UVA. BHSC. BU 10932

UVA. BHSC. BU 10932

UVA. BHSC. BU 10932

UVA. BHSC. BV 10932

AVRELII PRV-
DENTII CLEMENTIS
VIRI CONSVLA-
ris opera,
A
VICTORE GISELI-
no correcta & annotatio-
nibus illustrata:
AD HIPPOLYTVM ESTEN-
SEM CARDINALEM AC
principem illustrissimum.

MEMORIAE AETERNAE

Es de la Libreria del Colle. de S.t Ygnacio
cio Leval
Madrid
6513

PARISIIS,
Apud Hieronymum de Marnef sub signo
Pelicani, monte D. Hilary.

C. V. M. PRIVILEGIO.

1566.

UVA. BHSC. BU 10932

EXTRAICT DV PRIVILEGE DV ROY.

PAR grace & priuilege du Roy, eſt permis à Hieroſme de Marnef, libraire iuré en l'vniuerſité de Paris, d'imprimer ou faire imprimer, vne ou pluſieurs fois, en grand marge, moyenne ou petite, vn liure intitulé AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS VIRI CONSVLARIS OPERA &c. Lequel auroit eſté nouuellemẽt reueu, viſité, corrigé & aditionné. Et fait defenſe ledit Seigneur à tous autres libraires & imprimeurs & perſonnes quelconques, de non l'imprimer ainſi corrigé, aditioné & augmenté, ne faire imprimer en quelque forme ou marge que ce ſoit, vendre ne diſtribuer, en ces pays, terres & ſeigneuries, autres que ceux qu'aura imprimé ledit de Marnef, Et ce iuſques au tẽps & terme de ſix ans, à cõpter du iour que ledit liure ſera acheué d'imprimer, ſur les peines contenues eſdictes lettres patentes ſur ce données à Paris le quatrieſme de Apuril, l'an de grace mil cinq cens ſoixante deux. Et de noſtre regne le premier. Signé.

Par le Roy. GRENIER.

UVA. BHSC. BU 10932

VICTORIS GISE-
LINI FLANDRI
PRAEFATIO.

Ad Hippolytum Estensem cardinalem ac principem illustrissimum,

Singularem omnium honestarum artium patronum.

EXCIVNT profecto Cardinalis illustrissime heroicæ tuę ac prope diuinæ virtutes coniunctæ cum incredibili studio atque amore erga litteras, hominésque earum scientia excultos, vt non ij solum te ament & tanquam numen obseruent quos tua beas præsentia, tuísque opibus in honestissimo studiorum ocio foues atque ornas, sed vt alij etiam qui semotissimas orbis inhabitant plagas, tam nobilis animi fama concitati non visum ad-

UVA. BIBLIOTECA CENTRAL

mirentur & ſuſpiciant. Cum enim iſti per eruditiſsimorum hominum monumẽta tuo conſecrata nomini, quæ nimirum te duce & auctore inſtituta, perfecta & in communem mortalium vſum collata fuere, tantopere ſe proficere ſentiunt, vix dixerim quantum ſe-ſe ipſi tam munificæ tuæ liberalitati debe-re fateantur, quantáque animi æmulatione tantum fœlicitatis bonum Italiæ inuideant, ſuam interea patriã deplorantes in qua non tantus ſit numerus eorum qui præclariſsi-ma ingenia ad tam honeſtos conatus inui-tent ac promoueant. Neque id mehercule iniuria. Quid enim principe eo præſtan-tius laudabiliúſque fieri poteſt, qui litteras atque artes bonas & cuncta Reipub. orna-menta tum amat, tum liberalitate ſumma afficit? Nihil profecto. Siquidem ille non humanæ tantum ſocietati, ſed Deo quoque ipſi gratificatur, quòd literarũ propagatione religionis potiſsimum fundamenta ſtabi-liantur. Exaggerent alij laudes bellicas, nu-merent triumphos nobiliſsimorum impe-ratorum. Rectius Cicero, qui ea quæ clemẽ-ter fiunt & benignè, ſpoliis atque trophæis omnibus anteferre non dubitat. Quid au-tem magis affine clementię, quid cum omni benignitatis humanitatíſque laudibus co-

UVA. BHSC. BU 10932

gnatius

gnatius quam literarum disciplinas, id est religionis & virtutis omnis incunabula nutrire, tueri ac defendere? Merito igitur illi id omni animi contentione ac studio elaborant vt gloriam ac laudem tui nominis (licet singularibus virtutibus in altissimo dignitatis loco positis satis supérque celebratam) cum omni posteritate adæquent. Merito nos exteri hac ratione adiuti, tam liberalem munificentiam tibi ornamento, nobis vsui esse gratulamur: quanquam hoc videamur deteriori conditione, quòd cum perpetuo tam cari capitis præsentia sit carendum, vix vlla futuræ aliquando occasionis affulgeat spes, qua si non pro meritis (quî enim possimus?) at certe pro nostro desyderio grati animi significationem exhibeamus. Si autem derepente aliqua ostendatur, tum munusculo raptim ac temere parato pocillatoris illius plus satis officiosi instar dum grati videri volumus, ridiculi sumus. Quod ne mihi quoque accideret, certè quantum in me fuit operam dedi. Cum enim tua celsitudo veluti θεὸς ἀπὸ τῆς μηχανῆς turbatæ nuper Galliæ apparuisset, cupiebam inter tot voces tam oportunum aduentum gratulantes, & mei quoque officij aliquam partem extare. At cum mihi ipse conscius essem

UVA. BHSC. BU 10932

nihil heroica tua maiestate dignũ a me posse proficisci, tam benignè cum graui aliquo magnæque auctoritatis viro agendum fuit, qui tibi de voluntate obseruantiáque erga re mea spondere non grauaretur. Commodum itáque occurrebat Aur. Prudentius Cle mens vir consularis ob incredibile pietatis studium summámq; laudatissimarum scien tiarum cognitionem vnicè suspiciendus. Quem quidem quia primus ad illustrissimæ artis gloriam verum Christiani nominis titulũ adiecerit, maximi semper feci, faciámq; dum viuam: Bonámque in spem adducor fore vt ille tibi eadem de causa egregiè charus sit futurus, & illius de me testimonium non minus gratum & acceptum. At quod nam illud, inquis, illius testimonium? Opera sunt piè simul ac fœliciter ab illo iam senescente annis abhinc mille ducentis conscripta: quæ ad nostram quidem ætatẽ pervenere, sed ita vulneribus deformata, vt vix eadem esse cognoscas. Ea ante aliquot annos cũ duobus manuscriptis Gandauo missis diligenter cõtuleram: ac deinde Louanio relicto (vbi tertium exemplar hospes meus humanissimus Lucas Mæra studiorum amator eximius donarat) nonnihil vacui tempo ris in rure patrio nactus studiosius multò adhi

UVA. BHSC. BU 10932

adhibitis omnium typographorum editionibus recognoueram, abstergens quicquid vbique erat macularum. Atque hoc animi duntaxat causa. Incredibiles enim voluptatis fructus ex eiusmodi lectione capiebam. Verum cum progressu temporis considerarem nullum iam penè ex veteribus auctorem restare qui non ingeniosissimorum industria hominum ac præcipuè Marci Antonij Mureti tui (quem in his iure optimo antesignanum statuo) tersus omnibúsque numeris absolutus in lucem prodierit: pessiméque deinde me haberet solum hunc poëtam venustate simul ac vetustate multis ethnicis non inferiorem librariorum inscitia debitam diuinarum laudum gloriam adeo non adipisci vt nunc vulgo etiam vilescere & contemptim haberi cœperit: piè ac honestè facturum me putaui si nitori pristino restitutum hominibus doctis ac pietatis Christianæ studiosis cõmendatiorem redderem, quibus vero aut visus non est aut in pretio nullo adhuc fuit, iis vt innotescceret notúsq; charior in dies efficeretur. Non enim mihi dubium est quin omnes scriptorem tam castum lecturi attentius summo illum amore animíque studio prosequentur, præsertim cũ considerabunt quam fœliciter ille primus

UVA. BHSC. BU 10932

veterum ſcribendi rationem ad res diuinas tractandas conuerterit. Nam quantum ego quidē iudicio aſſequi poſſum, cum mira & ſingularis in eo ſit rerum præſtantia ac varietas, ornamentis tamen ac luminibus partim a ſe inuentis, partim ex vberrimo veterum fonte hauſtis ſingula vtcunque grauia & ardua concinnè ornatéq; depingit ac perſequitur, nihiloſecius perpetuo intra cancellos ſacræ religionis ſeſe continens. Quos ſi more poëtarum noſtri temporis petulanter tranſilire voluiſſet, nō dubium eſt quin alios ſibi coæuos (Auſonium dico & Claudianum Symmachi intimos) facilè aut vincere aut adæquare ſaltem potuiſſet. At multò maluit cum Chriſto νήπιος εἶναι & hoſtibus delirus videri quam μετὰ τῶν τοῦ κόσμου σοφῶν inani ſapientiæ titulo triumphare. O poëtam re & nomine Chriſtianum! Hunc imitemur & veluti exemplar propoſitum exprimere enitamur: certóque nobis ſtatuamus propriū ac peculiare poëtarum munus eſſe Chriſti gloriam illuſtrare, eiúſque noticiam vi quadam occulta ad morum feritatem emolliendam accommodata mortalium animis inſerere, ſolúmque id quod honeſtum, quod laudabile eſt diſcendum imitandúmque proponere. Poſtulat enim hoc æquitatis ratio, vt

cuius

UVA. BHSC. BU 10932

cuius rei ortus ad Deum refertur, vsus quoque eiusdem in eodem glorificando præcipuus sit. Quod nec Pindarus nec Hesiodus ignorant, dum Musas Ioui patri semper assistere comminiscuntur eius laudes & beneficia ὑνμνεούσας. Quid Homerus, Theognis, Callimachus, Orpheus & si qui gentiles his antiquiores? An non vt munus quod sese a Diis accepisse fatentur, in eosdem refunderent, ingenium omne atque studium pæanibus hymnísque decantandis exercuere? aut certe (quod tantundem est) an non rectè & fortiter ab heroïbus gesta in aliquas species obliquis figurationibus cum decore aliquo conuersa, obtentúque aliquo speciéque velata (sic enim loquitur Lactantius) hominibus exemplo effingenda proposuere? Sic vtique de Troiani belli scriptore sentit Horatius. Iam de litteris sacris quid attinet dicere? Quoties laudandus Deus, quoties illi agendæ gratiæ, quoties sententiosè quid efferendum fuit, orationem numeris astrictam soluta magis idoneam existimarunt. Verè Basilius, qui non alia de causa Spiritum sanctum ait Dauidi sub rythmorum specie sua prodidisse oracula quàm vt rectam inituri vitæ rationem sanctis exemplis modulatione dulci comprehensis imi-

UVA. BHSC. BU 10932

tarentur, auriúmque voluptate deliniti rei latentis verum perciperent fructum. Nihil enim tam pium, nihil tã ſalutare, quin illud lubentius legas ſi grato aliquo verborum lenocinio commendatum ſubiiciatur. Proinde eundem monentem audiamus, vbi ait, Οὐδὲν μακαριώτερον εἶναι τὸ τὼ ἀγγέλων χορείαν ἐν γῇ μιμεῖσθαι· ἐνθὼ μὲν ἀφ' ὁρμᾶς ἡμέρας εἰς εὐχὰς ὁρμῶντα, ἢ ὕμνοις καὶ ὠδαῖς γεφαίρειν τὸν κτίσαντα· εἶτα ἁλίου καθαρῶς διαλάμψαντος ἐπ' ἔργα πρὸ πόλιος παντὶ χοῦ ἀυτῷ τὰ ἐυχῶν συμπαρεύσης, ἢ τοῖς ὕμνοις ὥσπερ ἄλλα παραπύειν τὰς ἐργασίας. Hæc prolixius vt oſtendam quantopere illi errent, qui cœleſtẽ hanc poëtices facultatem ad res friuolas nulliúſque momenti, amores ſcilicet fabulas, calumnias, ne dicam turpiora, traduci tantum volunt, quibúſque res diuinas carmine complecti eſt veritatem mendaciter ſcribere. Vnum hoc reſtat Hippolyte principum decus ſummis precibus te rogem vt qua alacritate ex turbulentiſsimis grauiſsimorum negociorum vndis ad hæc humaniora ſtudia tanquam in portum deferri ibíque fathiſcentem laboribus animũ colligere conſueuiſti, eadem illa religioſiſſimi huius Pindari ἐπωδὰς vetuſtiſsimorum codicum

UVA. BHSC. BV 10932

codicum subsidio perpurgatas pro vsitata animi lenitate sub tuis auspiciis emendatius legi & minore negocio intelligi patiaris. Quod si impetro, magnum certè mihi ad maiora tentanda calcar addideris méq; æterno deuinxeris beneficio. Vale præstantissime literarum patrone. E lutecia Parisiorum.

*

UVA. BHSC. BU 10932

ARNOLDVS MANLIVS
ad V. Giſelinum ſuum.

Fœdati mendis veteres ſine honore iacebant:
Barbaries tanti maxima cauſſa mali.
Egregium formæ decus antiquúmque nitorem
Reddidit hæc ætas ingenioſa viris.
Solus adhuc Chriſti vates lacera ora ferebat,
Expertus medicas non erat ille manus.
Vidit et indoluit Giſelinus: hic acribus, inquit,
Indiget auxiliis, huic opus arte mea.
Macte tuis animis, dabis hæc ſi munera nobis,
Te pia poſteritas & tua facta canet.
Sic domitis quondam monſtris Tyrinthius heros
Sic retulit Phœbi nomina magna puer.
Ille manu victrice nocentia contudit orbi,
Hic animas luci reddidit arte ſua.
Tu quia Victor & in medica verſatus es arte,
Vtraque Clementi das pia dona tuo.
Ergo iam nitidus, iam demum viuus, honores
Quos meruit quondam te tribuente capit.

LVCAS FRVTERIVS
ad eundem.

Si multum ingenuæ tulere laudis
Clari nominibus pecunioſis
Vates quos veterum educauit ætas,

UVA. BHSC. BV 10932

Qui ludibria quælibet Deorum
Iouem, Mercurium, Thetin, Dianam,
Pomonam, Cererémque Liberúmque,
Vestam, Sterculiumque Cypridémque
Ad cœlum lepidis vocant susurris:
Non sanè Iouius sacri poetæ
Primos promeruere palmæ honores,
Quorum in carminibus nihil profani
Christum præter inest deúmque verum:
Inter quos adeo tuus poeta
Principem tenet occupátque sedem
Gisline Aonio calens ab æstro.
Qui prudenter in hoc sacro poeta
Prudens ingenij exhibes acumen.
Nam præter varias grauésque mendas
Quas docto genij tui labore
Eluisti, alias tamen lacunas
De libri veteris penu replesti.
Tanto mentis & ingeni decoro.
Vt Prudentius obstupere possit.
Sis posthac pius in pios poetas
Et quod temporis in profana vatum
Expendunt alij poëmata, hoc tu
Da sacris adeo & pijs poetis.
Sic te Phœbus amet, nouemque Musæ.
Sic victis Heliconiæ vrbis oris
Victor magnanimum efferas triumphum.

UVA. BHSC. BU 10932

GENNADIVS PRESBYTER in catalogo virorum illustrium, huius Prudentij sic meminit.

Prudentius vir secularis litteraturæ eruditus, cõposuit Dittochæum de Veteri, & Nouo testamento personis exceptis. Commentatus est & in morẽ Græcorum Hexaemeron de mundi fabrica, vsque ad cõditionem primi hominis, & prævaricationem eius. Composuit & libellos, quos Græca appellatione prætitulauit, ἀποθέωσις, ψυχομάχία, ἁμαρτιγένεια, id est, de diuinitate, de compugnantia animi, de origine peccatorum. Fecit & in laudem martyrum sub aliquorum nominibus, Inuitatorium ad martyrium librum vnum, & Hymnorum alterum: specia li tamẽ conditione aduersus Symmachum, idolatriã defendentem, ex quorum lectione agnoscitur Palatinus miles fuisse. Hæc Gennadius vbi, quia Dittochæum, & commentarios in Hexaemeron, cæteris præponit, hinc subiungit: Composuit & libellos, an Dittocheum aliud opus fuerit, quàm nos scripsimus, quærendum.

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRVDENTII
VITA PER ALDVM
Romanum.

AVRELIVS Prudentius Clemens, vir consularis, genere fuit Hispanus, ex vrbe Cæsaraugusta, vt ex eo hymno colligimus, quẽ in laudem duodeuiginti martyrum Cæsarauguſtanorum scripsit, Fuit homo ingeniosus, grauis, & ornatis moribus, ac Christianæ religionis obseruatissimus, quod ex ipsius operibus facilè est cognoscere: licet adolescentiam, & iuuentutem, quum bonis litteris indulgeret, incõtinenter egerit: quod dolet ipse in proœmio καθημερινῶν his verbis:

Actas prima crepantibus
Fleuit sub ferulis, mox docuit togæ
Infectum vitiis falsa loqui non sine crimine.
Tum lascina proteruitas,
Et luxus petulans (heu pudet, ac piget)
Fœdauit iuuenem nequitiæ sordibus, ac luto.

Fuit & iuris peritus, ac Massaliæ consul.

Militauit etiam non sine laude, puto sub Honorio, quod sic ipse testatur:

Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus vrbium.
Ius ciuile bonis reddidimus, terruimus reos.

UVA. BHSC. BU 10932

Tandem militiæ gradu
Euectum pietas principis extulit,
Assumptum proprius stare iubens ordine proximo.

Postremò septimũ & quinquagesimũ annum agens, res ecclesiasticas vario metrorũ genere cœpit componere ingeniosè quidẽ, & elegãter, sed spreta interdum syllabarum quãtitate in peregrinis dictionibus, & maximè Græcis: non quod putem ipsum ignorasse litteras Græcas, quoniã hi tituli librorum eius redarguunt, Ψυχομαχία, καθημερινὸν, ἀποθέωσις, ἁμαρτιγένια, περὶ στεφάνων, διτροχαῖον, sed Ectasin, Systolenq; facere posse interdũ in reb° sacris sibi licuisse (nisi mẽdosa codices) fortasse voluit. Dolẽs prẽterea nihil scribendo eo ætatis veniſſe, sic queritur:

Instat terminus & diem
Vicinum senio iam Deus applicat,
Quid nos vtile tanti spatio temporis egimus?

Floruit tẽporibus Valentiniani secũdi, & Theodosij magni, & filiorũ eius Arcadij & Honorij Imperatorũ, quibus & Ausonius & Claudianus poëtæ, itẽ Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, diui ecclesiæ sanctæ doctores floruerunt. Nam in procœmio primi libri contra Symmachum, colligimus Prudentiũ eo tempore floruisse, quo Symmachus, his ad Christum pro Symmacho precibus:

UVA. BHSC. BU 10932

Saluator

Saluator generis Romulæi precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum ſtatuis non operis tui
Mortalem, facili quem releues manu,
Huius, ſi potis eſt, iam miſereſcito
Præruptam in foueam præcipitis viri.
Spirat ſacrilegis flatibus inſcius,
Erroréſque ſuos indocilis fouet.
Obteſtor iubeas, ne citus impetus
Arſurum mendis inferat ignibus.

Tum quia contra Symmachum diuus et Ambroſius ſcripſit ad Valẽtinianum Auguſtum, perſpicimus diui Ambroſii tempeſtate fuiſſe Prudentium. In fine autem ſecundi libri contra Symmachum, videtur Prudẽtius ad Honorium Theodoſij Magni filium dirigere ſermonem his carminibus:

Te precor Auſonij dux Auguſtiſſime regni,
Et tam triſte ſacrum iubeas, vt cætera tolli.
Perſpice, nónne vacat meriti locus iſte paterni,
Quem tibi ſupplendum Deus, & genitoris amica
Seruabit pietas? ſolúsne præmia tantæ
Virtutis caperet partem tibi nate reſeruo?
Dixit: & integrum decus, intactúmque reliquit.
Arripe dilatam tua dux in tempora famam,
Quodq; patri ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille vrbem vetuit taurorum ſanguine tingui,
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.

UVA. BHSC. BU 10932

Nullus in vrbe cadat, cuius ſit pœna voluptas,
Nec ſua virginitas oblectet cædibus ora,
Iam ſolis contenta feris immanib⁹ harena,
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.
Sit deuota Deo, ſit tanto principe digna,
Et virtute potens, & criminis inſcia Roma,
Quẽcunque ducem belli ſequitur, pietate ſequatur.

Præterea meminit Stiliconis, quẽ & Rufinum Theodoſius Magnus, quũ Arcadius, & Honorius filij, quos poſtliberatũ orbẽ, ſubactosq́; vndiq; domitosq́; tyrannos, conſortes imperii fecerat, nõdũ maturi imperio forẽt, ductores legit, & Rufinũ Arcadio adiunxit, & Stiliconẽ Honorio: & Arcadius Conſtantinopoli, Romæ Honori⁹ imperauit. Carmina verò quib⁹ de Stilicone Honorij comite meminit, quoniã ſtragẽ barbarorũ continẽt, qui duce Radagaſio in Italiã irruperũt (fuit enim numerus cc. miliũ) operæ pretium hoc loco recẽſere exiſtimauimus, ſunt autẽ hæc:

Tentauit Getbicus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Iſtro
Has arces æquare ſolo, tecta aurea flammis
Soluere, maſtrucis proceres veſtire togatos.
Iámque ruens Venetos turmis protriuerat agros,
Et ligurum vaſtarat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Thuſciq; ſolũ victo amne premebat.
Depulit hos equitum nimbus, non peruigilanſer

Prob

UVA. BHSC. BU 10932

Proditor occulti tenebrosa nocte pericli,
Sed vis cruda virùm, perfractáque congredientum
Pectora, nec trepidans animus succumbere letho
Pro patria, & pulchrã per vulnera quærere laudẽ.
Nunquid & ille dies Ioue contulit auspice tantum
Virtutis pretium? dux agminis, imperiique,
Christipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
Atque parẽs Stilico, Deus vnus Christus vtrique.
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
Inscripta, cecinere tubæ, prima hasta dracones
Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
Illic terdenis Gens exitiabilis annis
Patrimoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famosis olim ditata rapinis
In cumulos congesta iacent, mirabere seris
Posteritas seclis inhumata cadauera latè,
Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.

Romã quoq; ex Hispania profectũ fuisse testatur ipse in lib. Περὶ στεφάνου, in Casiani, Hippolyti, & Petri, & Pauli martyriis. Cõpo fuit autẽ multa quæ titulis Græcis ornare operæ pretiũ duxit, præter duos libros aduersus Symmachũ, ac Romani martyris tragœdiã. Ea verò sunt ψυχομαχία, hoc est, animi pugna, Heroico carmine. ψυχὴ enim Græcè, Latinè animus, & μάχομαι pugno. In eo enim libro vitia cũ virtutibus pugnãt, & succumbũt vitia. Καθημερινὸν, hoc est, diurnarũ

UVA. BHSC. BU 10932

rerũ opus. Sunt enim odæ ex vario metrorũ genere à matutino ad vesperti nũ crepusculum. Ἀποθέωσις, hoc est, diuinitas, deificatio, ἀποθεόω, deifico: est enim opus de rebus diuinis. Ἁμαρτιγένεια, peccatorũ origo, ἡ ἁμαρτία peccatũ, & γεννάω genero. Scribit enim aduersus Marcionẽ hæreticũ, qui duos esse Deos dicebat, alterũ Veteris testamenti crudelem, sanguinariũ, ac pessimum: Noui alterum, pium, misericordem, optimum: atq; animos à bono, à malo corpora esse creata, pugnasséq; eos inter se, atq; à malo bonũ victũ, animúmq; in corpus immissum, & hinc inter carnẽ & animũ bella geri intestina assiduè: quod confirmabat his Apostoli verbis: Caro cõcupiscit aduersus spiritũ, spiritus autem aduersus carnẽ. Id verò, quia fomes peccatorum, origóq; est, ἁμαρτιγένεια ei libello inditũ est nomẽ. Περὶ στεφάνων, hoc est, de coronis. Sunt enim hymni in laudẽ martyrũ, qui quoniã legitimè certauerũt, coronis honestati sunt. Διττοχαῖον, duplex cibus, Λιτὸ duplex, & ὀχὴ cibus. Sunt enim tituli historiarũ veteris, & noui testamẽti: atq; hinc puto Dittochæũ, hoc est, duplicẽ cibũ appellatũ hunc librũ à Prudẽtio. Sed quoniã nõ sic excultus est, & elaboratus hic liber, vt cæteri Poëta cõpositi, sunt qui nõ esse Prudentij di-

cunt

UVA. BHSC. BU 10932

cunt. Ego verò ipsum à cæteris separare non sum ausus: tũ quia Gennadius, qui post diuũ Hieronymũ scripsit de viris illustribus, Dittochæũ à Prudentio cõpositũ dicit, tum etiã, quia in antiquissimo codice cęteris Prudẽtij operibus, quæ imprimenda curauimus, insertus & hic erat libellus, & pro Dittochęũ, dirrochæũ, titulus, scriptorũ culpa, quod cõiicio facilè: quia interpretatũ inibi est antiquissimis characteribus, duplex refectio, pro duplex cibus. Scribit etiã aduersus Symmachũ libros duos heroico carmine pulcherrimos, in quibus & doctrinã suã, copiámq; ac ingeniũ nõ mediocre ostẽdit. Erat autẽ hic Symmachus vrbis Romæ præfectus, ac summa vir eloquẽtia, qui ad Valentinianũ, & Theodosiũ, Arcadiúmq; Imperatores legatus à Senatu missus, vt veteres deorũ cultus reuocarentur, hac de re elegãtem habuit orationẽ. Quæ impressa inter diui Ambrosij epistolas visitur, cui & Ambrosius prosa oratione, & Prudentius duobus libris heroico carmine cõpositis, aptè, copioséque respõdent. Inquit quoq; Gennadius Hexaëmeron de mũdi fabrica, vsq; ad cõditionẽ primi parẽtis, & præuaricationẽ eiusdẽ commentatũ fuisse Prudentiũ, quod opus si veniſſet in manus nostras, vnà cũ cæteris prodiisset in publicum.

UVA BHSC. BU 10931

AVRELII PRV-
DENTII CLEMENTIS,
viri Consularis, in ψυχομα χίαν Præfatio.

Carmen Iambicum senarium acatalecticum habens locis imparibus Spondeum, Anapæstum, Iambum, Tribrachum: Paribus verò Iambum & nonnunquam Anapæstum, in sexto Pyrrhichium etiam.

⏑ – ⏑ – – – ⏑ – – – ⏑ –

SEnex fidelis prima credẽdi via est
Abrã, beati seminis serus Pater,
Adiecta cuius nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abrahã Deo.
Senile pignus qui dicauit victimæ,
Docens ad Aram cùm litare quis velit,
Quod dulce cordi est, quod pium, quod vnicum,
Deo libenter offerendum credito.
Pugnare nosmet cum prophanis Gentibus
Suasit, suúmque suasor exemplum dedit,
Nec ante prolem coniugalem gignere
Deo placentem matre viuat credidit.

UVA BHSC Biblioteca

Quàm ſtrage multa bellicoſus ſpiritus
Portenta cordis ſæuientis vicerit.
Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem crimineſis vrbibus
Sodomæ & Gomorrhæ, quas fouebat aduenæ
Pollens honore patruelis gloriæ.
Abram ſiniſtris excitatus nuntijs
Audit propinquum ſorte captum bellicæ
Seruire duris Barbarorum vinculis,
Armat trecentos térque ſenos vernulas
Pergant vt hoſtis terga cuntis cædere,
Quem Gaza diues, at triumphus nobilis
Captis tenebat impeditum copijs.
Quin ipſe ferrum ſtringit, & plenus Deo
Reges ſuperbos mole prædarum graues
Pellit fugatos, ſauciatos proterit,
Frangit catenas, & rapinam liberat,
Aurum, puellas, paruulos, monilia,
Greges equarum, vaſa, veſtem, buculas.
Loth ipſe ruptis expeditus nexibus
Attrita boiis colla liber erigit.
Abram triumphi diſſipator hoſtici
Redit, recepta prole fratris inclitus,
Ne quam fidelis ſanguinis proſapiam
Vis peſſimorum poſſideret principum.
Adhuc recentem cæde de tanta virûm,
Donat ſacerdos ferculis cœleſtibus,
Dei ſacerdos, Rex & idem præpotens.

UVA. BHSC. BU 1091

Origo cuius fonte inenarrabili
Secreta, nullum prodit autorem sui:
Melchisedech, qua stirpe, quîs maioribus
Ignotus, vni cognitus tantum Deo,
Mox & triformis Angelorum trinitas
Senis reuisit hospitis mapalia.
Et iam vieta Sarra in aluo fertilis
Munus iuuentæ mater exanguis stupet,
Hærede gaudens, & cachinni pœnitens.
Hæc ad figuram prænotata est linea,
Quam nostra recto vita resculpat pede,
Vigilandum in armis pectorum fidelium,
Omnémque nostri portionem corporis,
Quæ capta fœdæ seruiat libidini,
Domi coactis liberandam viribus.
Nos esse largè vernularum diuites,
Si quid trecenti, his nouenis additis
Possint, figura nouerimus mystica.
Mox ipse Christus, qui sacerdos verus est,
Parente inenarrabili atque vno satus,
Cibum beatis offerens victoribus,
Paruam pudici cordis intrabit casam,
Monstrans honorem trinitatis hospite.
Animam deinde spiritus connexibus,
Piè maritum, prolis expertam diu,
Faciet perenni fertilem de semine.
Tunc sera dotem possidens puerpera,
Hærede digno patris implebit domum.

* Et iam ietã Sarre in aluũ rtile Mu us venire

Comple- bus.

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRV-
DENTII V. C. PSYCHO-
MACHIAE, ID EST, DE
PVGNA ANIMI,
LIBER.

CHriſte graues hominum ſemper miſerate labores,
Qui patria virtute cluis, propriaque ſed vna,
(Vnum nanque Deum colimus de nomine trino,
Non tamẽ & ſolũ, quia tu Deus ex patre Chriſte)
Diſſere Rex noſter, quo milite pellere culpas
Mens armata queat noſtri de pectoris antro,
Exoritur quoties turbatis ſenſibus intus
Seditio, atque animam morborum rixa fatigat.
Quod tunc præſidium pro libertate tuenda,
Quæve acies furiis inter præcordia mixtis
Obſiſtat meliore manu. Nec enim bone ductor
Magnarum virtutum inopes, neruisq; carentes
Chriſticolas vitiis populantibus expoſuiſti.
Ipſe ſalutiferas obſeſſo in corpore turmas
Depugnare iubes, ipſe excellentibus armas
Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis

UVA. BHSC. BU 10932

Oppugnanda potens tibi dimicet, & tibi vincat.
Vincendi præsens ratio est, si cominus ipsas
Virtutum facies, & colluctantia contra
Viribus infestis liceat portenta notare.

FIDEI, ET IDOLO-latriæ pugna.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos:
Nanque repentinus laudis calor ad noua feruens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi.
Pectore sed fidens valido, membrísque retectis
Prouocat insani frangenda pericula belli.
Ecce lacessentem collatis viribus audet
Prima ferire Fidem, veterum cultura Deorum.
Illa hostile caput, phaleratáque tempora vittis
Altior insurgens labefactat, & ora cruore
De pecudum satiata solo applicat, & pede calcat
Elisos in mortem oculos, animámque malignam
Fracta intercepti commercia gutturis arctant,
Difficilémque obitum suspiria longa fatigant.
Exultat victrix legio, quam mille coactam
Martyribus Regina fides animarat in hostem.
Nunc fortes socios parta pro laude coronat
Floribus, ardentíque iubet vestirier ostro.

PVDICITIAE, ET Libidinis pugna.

Extra gramineo in campo concurrere prompta

UVA. BHSC. BU 10932

Virgo Pudicitia, speciosis fulget in armis:
Quam patrias succincta faces sodomita Libido
Aggreditur, piceámque ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem, pudibundáque lumina flammis
Appetit, & tetro tentat suffundere fumo:
Sed dextram furiæ flagrantis, & igneа diræ
Telæ lupæ saxo ferit imperterrita virgo,
Excussáque sacro tedas depellit ab ore.
Tunc exarmatæ iugulum meretricis adacto
Transfigit gladio, calidos vomit illa vapores
Sanguine concretos cœnoso, spiritus inde
Sordibus exhalans vicinas polluit auras.
**Hoc tibi habe, exclamat victrix Regina, suprem⁹*
Hic tibi finis erit, semper prostrata iacebis,
Nec iam mortiferas audebis spargere flammas
In famulos famulás ve Dei, quibus intima casti
Vena animi sola feruet de lampade Christi.
Téne, ô vexatrix hominum, potuisse resumptis
Vtribus extincti capitis recalescere flatu?
Assyrium postquam thalamum cervix Olophernæ
Cæsa, cupidineo madefactum sanguine lauit,
Gemmatúmque torum mœchi ducis aspera Iudith
Spreuit, & incœstos compescuit ense furores
Famosum mulier refercus ex hoste trophæum
Nõn trepidante manu, vindex mea, cœlitus audax.
At fortasse parum fortis matrona sub vmbra
Legis adhuc pugnans, dum tempora nostra figurat
Vera, quibus virtus terrena in corpora fluxit.

*Hoc habet.

UVA. BHSC. BU 10932

Grande per infirmos caput excisura ministros.
Nunquid, & intactæ post partum virginis vllum
Fas tibi iam superest? post partum virginis, ex qua
Corporis humani naturam pristina origo
Deseruit, carnémque nouam vis ardua seuit,
Atque innupta Deum concepit fœmina Christum
Mortali de matre hominem, sed cum patre numa
Inde omnis iam diua caro est, quæ concipit illum
Naturámque Dei consorti fœdere sumit.
Verbum quippe caro factum, non destitit esse
Quod fuerat verbum, carnis dum glutinat vsum,
Maiestate quidem non degenerante per vsum
Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
Ille manet quod semper erat, quod non erat esse
Incipiens. Nos, quod fuimus, iam non sumus, ah!
Nascendo in melius: mihi contulit, & sibi mansit.
Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia vexit.
Dona hæc sunt, quîs victa iaces lutulenta libido,
Nec mea post Mariam potis es perfringere iura.
Tu præceps ad mortis iter, tu ianua lethi,
Corpora commaculans, animas in tartara merg
Abde caput tristi iam frigida pestis abysso,
Occide prostibulum, manes pete, claudere Auer
Inq; tenebrosum nostris detrudere fundum.
Te voluant subter vada flammea, te vada nigra,
Sulphureúsque rotet per stagna sonantia vortex.
Nec iam Christicolas, furiarum maxima tentes.

UVA. BHSC. BU 10932

Vt purgata suo seruentur corpora Regi.
Dixerat hæc: & læta Libidinis interfectæ
Morte pudicitia, gladium Iordanis in vndis
Abluit infectum, sanies cui rorc rubenti
Heserat, & nitidum maculat vulnere ferrum.
Expiat ergo aciem fluuiali docta lauacro
Victricem victrix, abolens baptismate labem
Hostilis iuguli, nec iam contenta piatum
Condere vagina gladium: ne sorde latenti
Occupet ablutum rubigo scabra nitorem,
Catholico in templo diuini fontis ad aram
Consecrat, æterna splendens vbi luce coruscet.

PATIENTIAE ET Iræ congressus.

Ecce modesta graui stabat Patientia vultu,
Per medias immota acies, variósque tumultus,
Vulneráque, & rigidis vitalia peruia pilis
Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.
Hanc procul Ira tumẽs spumanti feruida rictu,
Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
Vt belli exortem, telóque, & voce lacessit,
Impatiensq; moræ conto petit, increpat ore,
Hirsurtas quatiens galeato in vertice cristas.
En tibi Martis, ait spectatrix libera nostri,
Excipe mortiferum securo pectore ferrum,
Nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem.
Sic ait, & stridens sequitur conuitia pinus

UVA. BHSC. BU 10932

Per teneros crispata notos, & certa sub ipsum
Defertur stomachum, rectóque illiditur ictu:
Sed resilit duro loricæ excussa repulsu.
Prouida nam Virtus conserto adamnante trilicem
Induerat thoraca humeros, squamosáque ferri
Texta per *intortos commiserat vndique nexus.
Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
Telorum nimbos, & non penetrabilis le durans,
Nec mota est iaculo monstri sine more furentis,
Opperiens propriis perituram viribus iram.
Scilicet indomitos postquam stomachando lacertos
Barbara bellatrix impenderat, & iaculorum
Nube superuacuam lassauerat irrita dextram,
Cùm ventosa leui cecidissent tela volatu,
*Ictibus & vacuis hastilia fracta iacerent:
Vertitur ad capulũ manus improba, & ense coruſ
Connixa in plagam, dextra sublimis ab aure
Erigitur, mediúmque ferit librata cerebrum.
Aerea sed cocto cassis formata metallo
Tinnitum percussa refert, aciémque retundit
Dura resultantem, frangit quoque vena rebellis
Illisum chalybem, dum cedere nescia cassos
Excipit assultus, ferienti & tuta resistit.
Ira, vbi truncati mucronis fragmina vidit,
Et procul in partes ensem crepuisse minutas:
Iam capulum retinente manu sine pondere ferri
Mentis inops, ebur infelix, decorísque pudendi
Perfida signa abicit, nomimentáque tristia lor

Spen

*inuame-nes.

*Iactibus

UVA. BHSC. BU 10932

Spernit, & ad proprium succenditur effera lethum,
Missile de multis, quæ frustra sparserat, vnum
Puluere de campi peruersos sumit in vsus,
Rasile figit humi lignum, ac se cuspide versa
Perfodit, & calido pulmonem vulnere transit.

Quam super assistens Patientia, vicimus, inquit,
Exultans, vitium solita virtute, sine vllo
Sanguinis, ac vitæ discrimine, lex habet istud
Nostra genus belli, Furias, omnémque malorum
Militiam, & rabidas tolerando extinguere vires.
Ipsa sibi est hostis Vesania, séque furendo
Interimit, moritúrque suis Ira ignea telis.

Hæc effata secat medias impunè cohortes
Egregio comitata viro: nam proximus Iob
Hæserat inuictæ dura inter bella magistræ,
Fronte seuerus adhuc, & multo funere anhelus,
Sed iam clausa truci subridens vlcera vultu,
Pérque cicatricum numerum sudata recensens
Milia pugnarum, sua præmia, dedecus hostis.
Illum Diua iubet tandem requiescere ab omni
Armorum strepitu, captis, & perdita quæ sunt
Multiplicare opibus, nec iam peritura referre.
Ipsa globos legionum, & concurrentia rumpit
Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres,
Omnibus vna comes virutibus associatur,
Auxiliúmque suum fortis Patientia miscet.
Nulla anceps luctamen init virtute sine ista
Virtus, nam vidua est, quam non patientia firmat.

UVA. BHSC. BU 10932

SVPERBIAE ET Humilitatis pugna.

Fortè per effusas inflata Surperbia turmas
Effreni volitabat equo, quem pelle leonis
Texerat, & validos villis onerauerat armos:
Quo se fulta iubis iactantius illa ferinis
Inferret, tumido despectans agmina fastu.
Turritum tortis caput accumularat in altum
Crinibus, extructos augeret vt addita cirros
Congeries, celsúmque apicem frons ardua ferret,
Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens à pectore nodum.
A ceruice fluens tenui velamine limbus
*Concipit *infestas textis turgentibus auras.*
*Ingestas.
Nec minus instabili sonipes feritate superbit
Impatiens madidis frenarier ora lupatis.
Huc illuc frendens obuertit terga, negata
Libertate fugæ, preßísque tumescit habenis.
Hoc sese ostentans habitu ventosa virago
Inter vtranque aciem supereminet, & phalerata
Circunflectit equum, vultúque & voce minatur,
Aduersum spectans cuneum, quem milite raro,
Et paupertinis ad bella coegerat armis
Mens humilis, Regina quidem, sed egens alieni
Auxilij, proprio nec sat confisa paratu.
Spem sibi collegam coniunxerat, edita cuius
Et suspensa ab humo est Opulentia diutte regno.
Ergo hyemem postquam malesana Superbia mē

UVA. BHSC. BU 10932

Vilibus instructam nullo ostentamine telis
Asspicit, in vocem dictis se fundit amaris.
Non pudet ô miseri plebeio milite claros
Attentare duces? ferróque lacessere gentem
Insignem titulis? veteres cui bellica virtus
Diuitias peperit? lætos & gramine colles
*Imperio calcare dedit? *vnde aduena nudus* *nunc.
Nititur antiquos (si fas est) pellere reges?
En, qui nostra suis in prædam cedere dextris
Sceptra volunt, en qui nostros sulcare nouales,
Aruáque capta manu populatier hospite aratro
Contendunt, duros & pellere marte colonos.
Nempe ô ridiculum vulgus, natalibus horis
Totũ hominẽ, & calidos à matre amplectimur art⁹,
Vimq; potestatum per membra recentis alumni
Spargimus, & rudibus dominamur in ossibus oẽs.
Quis locus in nostra tunc vobis sede dabatur,
Congenitis cùm regna simul ditionibus æquo
Robore crescebant? nati nam luce sub vna
Et domus, & Domini paribus adoleuimus annis:
Ex quo plasma nouum de consepto paradisi
Limite prograediens amplum transfugit in orbem,
Pellitósque habitus sumpsit venerabilis Adam,
Nudus adhuc, ni nostra foret præcepta sequutus.
Quis nam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris
Importunus iners, infelix, degener, amens,
Qui sibi tam serum ius vindicat, hactenus exul?
Nimirum vacuæ creduntur friuola famæ,

UVA. BHSC. BU 10932

Quę miſeros optare iubet quandoque futuri
Spem fortaſſe boni, lenta vt ſolatia mollem
Deſidiam pigro rerum medicamine palpent.
Quid ni illos ſpes palpet iners, quos puluere in iſtos
Tirones bellona truci non excitat ære,
Imbelléſque animos virtus tepefacta reſoluit?
An ne pudicitiæ gelidum iecur vtile bello eſt?
An tenerum pietatis opus ſudatur in armis?
Quàm pudet ô Mauors, & virtus conſcia, talem,
Contra ſtare aciem, ferróque lacesſere nugas,
Ac cum virgineis dextram conſerre choreis,
Iuſtitia eſt vbi ſemper egens, & pauper Honeſtas,
ſieiunaq;. *Arida Sobiectas, albo* ieiunia vultu,*
Sanguine vix tenui pudor interfuſus, aperta
Simplicitas, & ad omne patẽs ſine tegmine vulnus
Et proſtrata in humum, nec libera iudice ſeſe
Mens humilis, quam degenerem trepidatio prodit
Faxo ego ſub pedibus ſtipularum more teratur
Inualida iſta manus, neque enim perfringere dum
Dignamur gladiis, algenti & ſanguine ferrum
Imbuere, & fragili vires fœdare triumpho.
Talia vociferans rapidum calcaribus vrget
Cornipedem, laxíſque volat temeraria frenis,
Hoſtem humilem cupiens impulſu vmbonis equini
Sternere, deiectámque ſuper calcare ruinam.
Sed cadit in foueam præceps, quam callida fortè
Fraus interciſo ſuffoderat æquore furtim.
Fraus deteſtandis vitiorum e peſtibus vna,

UVA. BHSC. BU 10932

Fallendi versuta opifex, quæ præscia belli
Planiciem scrobibus violauerat insidiosis,
Hostili de parte latens, vt fossa ruentes
Exciperet cuneos, atque agmina mersa voraret.
Ac ne fallacem puteum deprendere posset
**Clara acies, virgis adopertas texerat oras,* **Cautæ.*
Et super imposito simulârat cespite campum.
At regina humilis quamuis ignara manebat
Vlteriore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
Venerat, aut foueæ calcarat furta malignæ.
Hunc eques illa dolum dum fertur præpete cursu
Incidit, & cæcum subitò patefecit hiatum.
Prona ruentis equi ceruice inuoluitur, ac sub
Pectoris impressu fracta inter crura rotatur.
At virtus placidi moderaminis, vt leuitatem
Perspicit obtritam monstri sub morte iacentis
Intendit gressum mediocriter, os quoque parcè
Erigit, & comi moderatur gaudia vultu.
Cunctanti Spes fida comes succurrit, & offert
Vltorem gladium, laudísque inspirat amorem
Illa cruentatam correptis crinibus hostem.
Protahit, & faciem leua reuocante supinat.
Tunc caput orantis flexa ceruice resectum
Eripit, ac madido suspendit colla capillo.
Extinctum vitium sancto Spes increpat ore,
Desine grande loqui, frangit Deus omne superbum,
Magna cadũt, inflata crepãt, tumefacta premũtur.
Disce supercilium deponere, disce cauere.

Univ. Bibliothek 10932

Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris.
Peruulgata viget nostri sententia Christi,
Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces.
Vidimus horrendum membris, animísque Goliam
Inualida cecidisse manu, puerilis in illum
Dextera fundali torsit stridore lapillum,
Transiectámque cauo penetrauit vulnere frontem.
Ille minax, rigidus, iactans, truculentus, amarus,
Dum tumet indomitùm, dum formidabile feruet,
Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras.
Expertus pueri quid possint ludicra parui,
Succumbit teneris bellator turbidus armis.
Me tunc ille puer virtutis pube secutus
Florentes animos sursum in mea regna tetendit,
Seruatur quia *qua certa mihi domus omnipotentis*
Sub pedibus Domini, méque ad sublime vocantem
Victores cæsa culparum labe capessunt.
Dixit, & auratis perstringens aëra pennis
In cœlum se virgo rapit, mirantur euntem
Virtutes, tolluntq; animos in vota, volentes
Ire simul, ni bella duces terrena retardent.
Confligunt vitiis, séque ad sua præmia seruant.

LVXVRIAE ET SOBRIETATIS pugna.

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
Luxuria, extinctæ iamdudum prodiga famæ,
Delibuta comas, oculis vaga, languida voce,

OVA. BHSC. BU 10832

Perdita delitiis, vitæ cui causa voluptas
Elumbem mollire animum, petulanter amœnas
Haurire illecebras, & fractos soluere sensus.
Et tunc peruigilem ructabat marcida cœnam:
Sub lucem quia forte iacens ad fercula raucos
Audierat lituos, atque inde tepentia linquens
Pocula, lapsanti per vina, & balsama gressu
Ebria calcatis, ad bellum floribus ibat.
Non tamen illa pedes, sed curru inuecta venusto
Saucia mirantum capiebat corda virorum.
O noua pugnandi species, non ales harundo
Neruo pulsa fugit, nec stridula lancea torto
Emicat amento, frameam nec dextra minatur.
Sed violas lasciua iacit, foliisque rosarum
Dimicat, & calathos inimica per agmina fundit.
Inde eblanditis virtutibus, halitus illex
Inspirat tenerum labefacta per ossa venenum.
Et male dulcis odor domat ora, & pectora, et arma,
Ferratósque toros obliso robore mulcet.
Deiiciunt animos, ceu victi, & spicula ponunt
Turpiter, heu dextris languentibus obstupefacti,
Dum currum varia gemmarum luce micãtem
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
Et solido ex auro precioſi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus, & radiorum
Argento albentem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.
Et iam cuncta acies in deditionis amorem

UVA. BHSC. BU 10932

Sponte ſua verſis tranſibat perdida ſignis,
Luxuriæ ſeruire volens, dominæq; fluentis
Iura pati, & laxa ganeorum lege teneri.
Ingemuit tam triſte nefas fortiſſima virtus
Sobrietas, dextro ſocios decedere cornu,
Inuictámque manum quondam ſine cæde perire.
Vexillum ſublime Crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixa cuſpide ſiſtit,
Inſtaurátque leuem dictis mordacibus alam,
Extimulans animos nunc probris, nunc prece mixta.
Quis furor inſanas agitat caligine mentes?
Quò ruitis? cui colla datis, quæ vincula tandem
Proh pudor, armigeris amor eſt perferre lacertis?
Lilia luteolis interlucentia ſertis
Et ferugineo venantes flore coronas?
His placet aſſuetas bello iam tradere palmas
Nexibus? his rigidas nodis innectier vlnas?
Vt mitra Caſariem cohibens aurata virilem
Combibat infuſum croceo religamine nardum
Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ
Vnguentum regale datum eſt, & chriſma perenne?
Vt teneri inceſſus veſtigia ſyrmate verrat,
Sericáque infractis fluitent vt pallia membris
Poſt immortalem tunicam, quam pollice docto
Texuit alma fides, dans impenetrabile tegmen
Rectoribus lotis, dederat quibus ipſa renaſci.
Ite ad nocturnas epulas, vbi cantarus ingens
Deſpuit effuſi ſpumantia damna falerni

UVA. BHSC. BU 10932

In men-

In mensam cyathis stillantibus, vda vbi multo
Fulcra mero, veteríque toreumota rore rigantur.
Excidit ergo animis eremi sitis, excidit ille
Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
Elicuit scißis salientem è vertice saxi:
Angelicusne cibus prima in tentoria nostris
Fluxit auis, quem nunc sero felicior æuo
Vespertinus edit populus de corpore Christi?
His vos imbutos dapibus iam crapula turpis
Luxuriæ ad madidum rapit importuna lupanar,
*Quósque viris non ira fremens *non idola bello*
Cedere compulerant, saltatrix ebria flexit.
State precor vestri memores, memores quoq; Christi,
Quæ sit vestra tribus, quæ gloria, quis Deus, & rex,
Quis Dominus, meminisse decet. Vos nobile Iudæ
Germen ad vsque Dei genitricem, qua Deus ipse
Natus homo, procerum venistis sanguine longo.
Excitet egregias mentes celeberrima Dauid
Gloria continuis bellorum exercita curis.
Excitet & Samuël, spolium qui diuite ab hoste
Attrectare vetat, nec victum viuere Regem
Incircuncisum patitur, ne præda superstes
Victorem placidum rediuiua in prælia poscat.
Parcere iam capto crimen putat ille tyranno.
At vobis contrà vinci, & succumbere votum est,
Pœniteat, per si qua mouet reuerentia summi
Numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
Proditione sequi, si pœnitet, haut nocet error.

* Aldi idoláq;

UVA. BHSC. BU 10932

Pœnituit Ionathan ieiunia ſobria dulci
Conuiolaſſe fauo ſumpto, melliſque ſapore
Heu male guſtato, regni dum blanda voluptas
Oblectat iuuenem, iuratáque ſacra reſoluit.
Sed quia pœnituit, nec ſors lacrymabilis vlla eſt,
Nec tinguit patrias ſententia ſæua ſecures.
En ego Sobrietas (ſi conſpirare paratis)
Pando viam cunctis virtutibus, vt male ſuadæ
Luxuries multo ſtipata ſatellite pœnas
Cum legione ſua Chriſto ſub iudice pendat.
Sic effata Crucem Domini ferientibus offert
Obuia quadrigis, lignum venerabile in ipſos,
Intentans frenos, quod vt expauere feroces
Cornibus expanſis, & ſumma fronte coruſcum,
Vertunt præcipitem cæca formidine fuſi
Per prærupta fugam, fertur reſupina reductis
Nequicquam loris auriga, comáſque madentes
Puluere fœdat humi, tunc & vertigo rotarum
Implicat excuſſam Dominam: nam prona ſub axem
Labitur, & lacero tardat ſufflamine currum.
Addit Sobrietas vulnus lethale iacenti,
Coniiciens ſilicem rupis de parte molarem.
Hunc vexilliferæ, quoniam ſors obtulit, ictum,
Spicula nulla manu, ſed belli inſigne gerenti
Caſus agit ſaxum, medij ſpiramen vt oris
Frangeret, & recauo miſceret labra palato,
Dentibus introrſum reſolutis, lingua reſectam
Dilaniata gulam fruſtris & ſanguine complet.

UVA. BHSC. BU 10932

Insolitis dapibus crudescit guttur, & ossa
Colliquefacta vorans reuomit, quas hauserat, offas.
Ebibe iam proprium post pocula multa cruorem,
Virgo ait increpitans, sint hæc tibi fercula tandem
Tristia præteriti nimiis sub luxibus æui.
Lascivas vitæ illecebras gustatus amaræ
Mortis & horrifico sapor vltimus asperet haustu.
Cæde ducis dispersa fugit trepidante pauore
Nugatrix acies. Iocus, & Petulantia primi
Cymbala proiiciunt: bellum nam talibus armis
Ludebant resono meditantes vulnera systro.
Dat tergum fugitiuus Amor. lita tela veneno,
Et lapsum ex humeris arcum, pharetrámque cadẽtẽ
Pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.
Pompa ostentatrix vani splendoris, inani
Exuitur nudata peplo, discissa trahuntur
Serta venustatis, collique ac verticis aurum
Soluitur, & gemmas discordia dissona turpæ.
Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
Ire Voluptatem: queniam vis maior acerbam
Compellit tolerare fugam: formido pericli
Perdurat teneras iter ad cruciabile plantas.
Qua se cunque fuga xtrepidis fert cursibus agmen,
Damna iacent, crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flammeolum, strophium, dyadema, monile.
His se Sobrietas, & totus Sobrietatis
Abstinet exuuiis miles, damnatáque castis
Scandala proculcat pedibus, nec fronte seueros

UVA. BHSC. BU 10932

Comiuente oculos prædarum ad gaudia flectit.

AVARITIAE ET Largitatis pugna.

Fertur Auaritia gremio præcincta capaci,
Quicquid edax luxus pretiosum liquerat, vnca
Corripuisse manu, pulchra ad ludibria vasto
Ore inhians, auréque legens fragmenta caduci
Inter arenarum cumulos, nec sufficit amplos
Impleuisse sinus, iuuat infarcire crumenis
Turpe lucrum, & grauidos furtis distendere fiscos,
Quos læua celante tegit, lateríque sinistri
Velat oprimento: velox nam dextra rapinas
Abradit, spoliísque vngues exercet ahenos.
Cura, fames, metus, anxietas periuria, pallor,
Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
Eumenides furiæ, monstri comitatus aguntur.
Nec minus interea rabidorum more luporum
Crimina persultant toto grassantia campo,
Matris Auaritiæ nigro de lacte creata.
Si fratris galeam fuluis radiare ceraunis
Germanus vidit commilito, non timet ensem
Exerere, atque caput socio mucrone ferire,
De consanguineo rapturus vertice gemmas.
Filius extinctum belli sub sorte cadauer
Aspexit si forte patris, fulgentia bullis
Cingula, & exuuias gaudet rapuisse cruentas,
Cognatam ciuilis agit discordia prædam,

UVA. BHSC. BU 10932

Nec parcit propriis amor insatiatus habendi
Pignoribus, spoliatq; suos fames impia natos.
Talia per populos edebat funera victrix
Orbis Auaritia, sternens centena virorum
Milia vulneribus variis, hunc lumine adempto,
Effossisq; oculis velut in caligine noctis
Cæcum errare sinit, perq; offensacula multa
Ire, nec oppositum baculo tentare periclum.
Porrò alium capit intuitu, fallitq; videntem,
Insigne ostentans aliquid, quod dum petit ille,
Excipitur telo incautus, cordisq; sub ipso
Saucius occulto ferrum suspirat adactum.
Multos precipitans in aperta incendia cogit,
Nec patitur vitare focos, quibus æstuat aurum,
Quod petit arsurus pariter speculator auarus.
Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
Occupat interitu, neque enim est violentius vllum
Terrarum vitium, quod tantis cladibus æuum
Mundani involvat populi, damnetq; gehennæ.
Quin ipsos tentare manu (si credere dignum est)
Ausa sacerdotes Domini, qui prælia fortè
Ductores primam ante aciem pro laude gerebant
Virtutum, magnóque implebant classica flatu.
Et forsinnocuo tinxisset sanguine ferrum,
Ni Ratio armipotens gentis Leuitidis vna
Semper fida comes clypeum obiectasset, & atræ
Hostis ab incursu claros texisset alumnos.
Stant tuti rationis ope, stant turbine ab omni

UVA. BHSC. BU 10932

Immunes, fortésque animi, vix in cute summa
Perstringens paucos tenui de vulnere lædit
Cuspis Auaritiæ. Stupuit lues improba castis
Heroum iugulis longe sua tela repelli.
Ingemit, & dictis ardens furialibus infit,
Vincimur heu segnes, nec nostra potentia præfert
Vim solitam, languet violentia sæua nocendi,
Sueuerat inuictis quæ viribus omnia vbique
Rũpere corda hominũ. Nec enim tam ferrea quẽquã
† durauit *Formauit natura virum, cuius rigor æra
Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro.
Ingenium omne neci dedimus, tenera, aspera, dura,
Docta, indocta simul, bruta, & sapientia, nécnon
Casta incæsta meæ patuerunt pectora dextræ.
Sola igitur rapui quicquid Styx abdit auaris
Gurgitibus, nobis ditissima tartara debent
Quos retinẽt populos, quod voluũt sæcula nostrũ est,
Quod miscet mundus vesana negotia, nostrum est.
Qui fit, prævalidas quod pollens gloria vires
Deserit, & cassos ludit fortuna lacertos?
Sordet Christicolis rutilantis fulua monetæ
Effigies, sordent argenti emblemata, & omnis
Thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
Quid sibi docta volunt fastidia? nónne triumphum
† summus Egimus è Scarioth *magnus qui discipulorum
Et conuiua Dei, dum fallit fœdere mensæ
Haudquaquã ignarũ, dextrãque paropside tinguit,
Incidit in nostrum flammante cupidine telum,

UVA. BHSC. BU 10932

Infamem mercatus agrum de ſanguine amici
Numinis, obliſo luiturus iugera collo.
Viderat & Hiericho propria inter funera, quãtis
Poſſet noſtra manus, cùm victor concidit Achar.
Cædibus inſignis, murali & ſtrage ſuperbus,
Succubuit capto victis ex hoſtibus auro,
Dum vetitis inſigne legens anathema fauillis,
Mœſta ruinarum ſpolia inſatiabilis haurit
Non illum generoſa tribus, non plebis auitæ,
Iuuit Iuda parens, Chriſto quandóque propinquo
Noblis, & tali felix Patriarcha nepote.
Quis placet exẽplum generis, placeat quoque forma.
Exitij ſit pœna eadem quibus & genus vnum eſt.
Quid moror aut Iudæ populares, aut populares
Sacricolæ ſummi (ſummus nam fertur Aaron)
Fallere fraude aliqua Martis congreſſibus impar.
Nil refert, armis contingat palma, dolísve.
Dixerat, & toruam faciem, furialiáque arma
Exuit, ínque habitum ſeſe transformat honeſtum.
Fit virtus ſpecie, vultúque & veſte ſeuera:
Quam memorant frugi, parcé cui viuere cordi eſt,
Et ſeruare ſuum, tanquam nil raptet auare,
Artis adumbratæ meruit ceu ſedula laudem.
Huius ſe ſpecie mendax Bellona coaptat.
Non ut auara lues, ſed virtus parca putetur.
Nécnon & tenero pietatis tegmine crines
Obtegit anguineos, vt candida palla latentem
Diſſimulet rabiem, diróque obtenta furori,

* forman

UVA. BHSC. BU 10932

Quod rapere, & clepere est, auideq; abscõdere parta,
Natorum curam dulci sub nomine iactet.
Talibus illudens, malè credula corda virorum
Fallit imaginibus, monstrum ferale sequuntur,
Dum credunt virtutis opus, capit impia Erinnys
Consensu faciles, manicisque tenacibus arctat.
Attonitis ducibus, perturbatisque maniplis
Nutabat virtutum acies errore biformis
Portenti, ignorans, quid amicum credat in illo,
notet *Quidve hostile † vocet. lethum versatile & ancepi*
Lubricat incertos dubia sub imagine visus.
Cùm subito in medium frendens miseratio campum
Prosilit auxilio socijs, pugnámque capessit
Militiæ postrema gradu, sed sola duello
Impositura manum, ne quid iam triste supersit.
Omne onus ex humeris reiecerat, omnibus ibat
induuiis. *Nudata* exuuiis, multo & se fasce leuarat,*
Olim diuitiis, grauibúsque oppressa talentis,
Libera nunc miserando inopes, quos larga benignè
Fouerat, effundens patrium bene prodiga censum,
Iam loculos ditata fide spectabat inanes,
Aeternam numerans redituro fœnore summam.
et impos *Horruit inuictæ Virtutis fulmẽ,* inopsq;*
t *Mentis Auaritia stupefactis sensibus hæsit,*
Certa mori, nam quæ fraudis via restat, vt ipsa
Calcatrix mundi mundanis victa fatiscat
Illecebris, spretoq; iterum sese implicet auro?
Inuadit trepidam Virtus fortissima duris,

UVA. BHSC. BU 10932

Vlnarum nodis, obliso & gutture frangit
Exanguem, siccámq; gulam, compressa ligantur
Vincla lacertorum sub mentum, & faucibus arctis
Extorquent animam, nullo quæ vulnere rapta
Palpitat, atq; aditu spiraminis intercepto
Inclusam patitur venarum carcere mortem.
Illa reluctanti genibúsque, & calcibus instans
Perfodit & costas, atque ilia rumpit anhela.
Mox spolia extincto de corpore diripit, auri
Sordida frusta rudis, nec adhuc fornace recoctam
Materiem, tineis etiam marsupia crebris
Exesa, & virides obducta ærugine numos
Dispergit seruata diu victrix & egenis
Dissipat, ac tenues captiuo munere donat.
Tunc circunfusam vultu exultante coronam
Respiciens, alacris media inter milia clamat:
Soluite procinctum iusti, & discedite ab armis
Causa mali tanti iacet intersecta, lucrandi
**Ingluuie pereunte, licet requiescere sanctis.* **illuuie.*
Summa quies, nil velle super quàm postulet vsus
Debitus, vt simplex alimonia, vestis & vna
Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
Expletumq; modum naturæ non trahat extra.* ** ald. naturam.*
Ingressurus iter peram ne tollito, néve
De tunicæ alterius gestamine prouidus esto.* ** ito.*
Nec te sollicitet res crastina, ne cibus aluo
Defuerit, redeunt escæ cum sole diurnæ.
Nónne vides vt nulla auium cras cogitet, ac se

UVA. BHSC. BC 10932

Pascendam, prestante Deo, non auxia credat?
Confidunt volucres victum non defore viles,
Passeribúsque subest modico venalibus asse
Indubitata fides, Dominum curare potentem
Ne pereant. Tu cura Dei, facies quoque Christi
An dubitas ne te tuus vnquam deserat autor?
Ne trepidate homines, vitæ dator, est dator escæ.
Quærite luciferum cœlesti dogmate pastum,
Qui spem multiplicans alat † inviolabilis æui
Corporis immemores, memor est, qui condidit illud,
Suppeditare cibos, atque indiga membra fouere.
His dictis curæ emotæ, metus, & labor, & vis,
Et scelus, & placidæ fidei fraus inficiatrix
Depulsa vertere solum. Pax inde fugatis
Hostibus alma abigit bellum, discingitur omnis
Terror, & auulsis exfibulat ilia zonis.
Vesti ad vsque pedes descendens destuit imos,
Temperat & rapidum priuata modestia gressum
Cornicinum curua æra silent. placabilis implet
Vaginam gladius, sedato & puluere campi
Suda redit facies, liquidæ sine nube diei
Purpuream videas cœli clarescere lucem.
Agmina casta simul vultum sensere tonantis:
Arridere hilares puiso certamine turmæ,
Et Christum gaudere suis victoribus arcem
Aetheris, ac † portum famulis aperire profundum.
Dat signum felix Concordia, reddere castris
Victrices aquilas, atque in tentoria cogi.

† insatiabilis,

† patrium

VVA. BHSC. BU 10932

Nunquam

Nunquam tanta fuit ſpecies, nec par Deus vlli
Militiæ, cùm diſpoſitis biſida agmina longè
Duceret ordinibus, peditum pſallente caterua,
Aſt alia de parte equitum reſonantibus hymnis.
Non aliter cecinit reſpectans victor hiantem
Iſraël rabiem ponti poſt terga minantis
Cùm iam progrediens calcaret littora ſicco
Vlteriora pede, ſtridénſque per extima calcis
Mons rueret pendentis aquæ, nigróſque relapſo
Gurgite Nilicolas fundo deprenderet imo,
Ac refluente ſinu iam redderet vnda natatum
Piſcibus, & nudas præceps operiret arenas.
Pulſauit reſono modulantia tympano plectro
Turba Dei celebrans mirum ac memorabile ſeclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas
Fluctibus inciſis, & ſubſiſtente procella
Creſcere, ſuſpenſósque globos potuiſſe teneri.
Sic expugnata vitiorum gente, reſultant
Myſtica dulcimodis virtutum carmina pſalmis.
Ventum erat ad fauces portæ caſtrenſis, vbi arctum
Liminis introitum bifori dant cardine claustra.

CONCORDIAE ET Diſcordiæ pugna.

Naſcitur hinc inopina mali lachrimabilis aſtu
Tempeſtas, placidæ turbatrix inuida Pacis:
Quæ tantum ſubita vexauit clade triumphum.
Inter confertos cuneos Concordia forte

UVA. BHSC. BU 10932

Dum ſtipata pedem iam tutis mœnibus inſert,
Excipit occultum vitij latitantis ab ictu
Mucronem leuo in latere, ſqualentia quamuis
Texta catenato ferri ſubtegmine corpus
Ambirent, ſutis & acumen vulneris hamis
Reſpuerent, rigidis nec fila tenacia nodis
Impactum ſinerent penetrare in viſcera telum.
Rara tamen chalybem tenui tranſmittere puncto
*Commiſſura dedit, qua ſeſe extrema politæ
Squama ligat tunicæ, ſinus & ſibi conſerit oras.
Intulit hoc vulnus pugnatrix ſubdola victæ
Partis, & incautis victoribus inſidiata eſt.
Nam pulſa culparum acie Diſcordia, noſtros
Intrarat cuneos, ſociam mentita figuram.
Scissa recul palla ſtructum & ſerpente flagellum
Multiplici media camporum in ſtrage iacebat,
Ipſa redimctos olea frondente capillos
Oſtentans, feſtis reſpondet læta choreis.
Sed ſicam ſub veſte tegit, te maxima virtus
Te ſolam tanto è numero, Concordia triſti
Fraude petens. Sed non vitalia rumpere ſacri
Corporis eſt licitum, ſummotenus extima tactu
Læſa cutis, tenuem ſignauit ſanguine riuum.
Exclamat Virtus ſubitò turbata: Quid hoc eſt?
Quæ manus hîc inimica latet? quæ pectora noſtra
Vulnerat, & ferrum tanta inter gaudia vibrat?
Quid iuuat indomitos bello ſedaſſe furores,
Et ſanctam vitiis pereuntibus vrbem recreatum.

*Ald. cõiunctura.

UVA. BHSC. BU 10932

Si Virtus ſub Pace cadit? Trepida agmina mœſtos
Conuertere oculos, ſtillabat vulneris index
Ferrata de veſte cruor. m x & pauor hoſtem
Commin s aſtantem prodit: nam pallor in ore
Conſcius audacis facti, dat ſigna reatus,
Et deprenſa tremit languẽs manus, & color albẽs.
Circunſtat properè ſtricti mucronibus omnis
Virtutum legio, exquirens fer. ente tumultu
Et genus, & nomen, patriam, ſectamq;, Deumq;
Quem colat, & iuſſu cuiatis venerit: illa
Exanguis, turbante metu Diſcordia dicor,
Cognomento hereſis: Deus eſt mihi diſcolor inquit.
Nũc minor, aut maior, modo duplex, & nũ ſimplex,
Cùm placet aëreus & de phantaſmate viſus,
Aut innata anima eſt, quoties vol ludere numen,
Præceptor Belial mihi ſit, dom s eſt plaga mundi.
Non tulit vlteri s capti blaſphemia m nſtri
Virtutum regina Fides, ſed verba loquentis
Impedit, & vocis claudit ſ iramina pilo,
Pollutam rigida tranſfigens cuſpide lingu am.
Carpitur innumeris ferali beſtia dextris,
Fruſtatim ſibi quiſq; ra it, quod ſpargat in auras,
Quod canibus donet, coruis quod edacibus vltro
Offerat, immundis c no exhalante cloacis
Quod tradat, mõſtris quod mãdet habere marinis.
Diſciſſum fœdis animalib s omne cadauer
Diuiditur, ruptis hereſis perit horrida membris.
Compoſitis igitur rerum, morumq; ſecundis

UVA. BHSG BU 10932

t postquã
ntra tuta
morari Cõ
ligit, ac sta
tione frui.

*In commune bonis, *tranquillæ plebis ad vnum*
Contigit hac statione frui, vallóque foueri
Pacificos sensus, & in ocia soluere curas:
Extruitur media castrorum sede tribunal
Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
Excitat in speculam, subiecta vnde omnia latè
Liber inoffensõ circunspicit aëre visus.
Hunc syncera Fides, simul & Concordia sacro
Fœdere iuratæ Christi sub amore sorores,
Conscendunt apicem, mox & sublime tribunal
Par sanctum, charúmque sibi, supereminet æquo
Iure potestatis, consistunt aggere summo
Conspicuæ, populósque iubent astare frequentes.
Concurrunt alacres castris ex omnibus omnes,
Nulla latet pars mentis iners, quæ corporis vllo
Intercepta sinu per conceptacula sese
Degeneri languore tegat, tentoria apertis
Cuncta patent velis, reserantur carbasa, ne quis
Marceat obscuro stertens habitator operto.
Auribus intentis expectat concio, quídnam
Victores post bella vocet Concordia princeps,
Quam velit atque Fides virtutibus addere legem
Erumpit primam in vocem Concordia, tali
Alloquio. Cumulata quidem iam gloria vobis
O patris, ô Domini fidissima pignora Christi
Contigit: extincta est multo certamine sæua
Barbaries, sanctæ quæ circumsepserat vrbis
Indigenas, ferróque viros, flammáque premebat.

UVA. BHSC. BU 10932

publi

Publica sed requies priuatis rure, foróque
Constat amicitiis: scissura domestica turbat
Rem populi, titubátque foris, quod dissidet intus.
Ergo cauete viri, ne sit sententia discors
Sensibus in vestris, ne secta exotica tectis
Nascatur conflata odiis, quia scissa voluntas
Confundit variis arcana biformia fibris.
Quod sapimus, coniungat amor: quod viuimus, vno
Conspiret studio, nil dissociabile firmum est.
Vtq; homini, atque Deo medius interuenit Iesus,
Qui sociat mortale patri, ne carnea distent
Spiritui æterno, sitq; vt Deus vnus vtrunque:
Sic quicquid gerimus, mentísque & corporis actus,
Spiritus vnimodis texat compagibus vnus.
Pax plenum virtutis opus, Pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiúmque pericli,
Sydera Pace vigent, consistunt terrea Pace.
Nil placitum sine pace Deo, non munus ad Aram
Cùm cupias offerre probat, si turbida fratrem
Mens impacati sub pectoris oderit antro,
Nec si flammiuomis Christi pro nomine martyr
Ignibus insilias, seruans inamabile votum
Bile sub obliqua, pretiosam proderit Iesu
Impendisse animam, meriti quia clausula Pax est.
Non inflata tumet, non inuidet æmula fratri.
Omnia perpetitur patiens, atque omnia credit.
Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat.
Occasum lucis veni[illegible]

VD16 ZV 10232

Anxia, ne ſtabilem linquat ſol conſcius iram,
Quiſque litare Deo mactatus vult holocauſtis,
Offerat in primis pacem, nulla hoſtia Chriſto
* facta *Dulcior, hoc ſolo * ſancta ad donaria vultum*
Munere conuertens, liquido oblectatur odore.
Sed tamen & niueis tradit Deus ipſe columbis
Pennatum tenera plumarum veſte colubrum
Rimante ingenio doctè internoſcere mixtum
Innocuis auibus, latet & lupus ore cruento
Lacteolam mentitus ouem ſub vellere molli,
Cruda per agninos exercens funera rictus.
Hac ſeſe occultant Fotinus, & Arrius arte,
Immanes feritate lupi: diſcrimina produnt
Noſtra, recénſque cruor, quamuis de corpore ſummi
Quid poſſit furtiua manus. Gemitum dedit omnis
Virtutum populus, caſu concuſſus acerbo.
Tunc generoſa Fides hæc ſubdidit: Imò ſecundis
In rebus ceſſet gemitus, Concordia læſa eſt,
Sed defenſa Fide, quin & Concordia ſoſpes
Germanam comitata Fidem, ſua vulnera ridet.
Hæc mea ſola ſalus, nihil hac mihi triſte recepta,
Vnum opus egregium reſtat poſt bella labori
O proceres, regni quod tandem pacifer hæres.
Belligeri, armatæ ſucceſſor inermis & aulæ
* Inſtru- * *Inſtituit Solomon: quoniam genitoris anheli*
ta *Fumarat calido regum de ſanguine dextra.*
Sanguine nam terſo templum fundatur, & ara
Ponitur aduatis Chriſti domus ardua tectis.

VIVA BIBLIOPOLIUM

Hier-

Hier ſalem templo tunc illuſtrata quieto
Suſcepit iam diua Deum, circumvaga poſtquàm
Sedit marmoreis fundata altaribus arca.
Surgat & in noſtris templum venerabile caſtris.
Omnipotens cuius ſanctorum ſancta reuiſat.
Nam quid terrigenas ferro pepuliſſe phalanges
Culparum prodeſt, hominis ſi filius arce
Aetheris illapſus, purgati corporis vrbem
Intret inornatam, templi ſplendenti egenus?
Hactenus alternis ſudatum eſt comminus armis,
Munia nunc agitet tacitæ toga candida Pacis,
Atq; ſacris ædem properet diſcincta iuuentus.
Hæc vbi dicta dedit, gradibus Regina ſuperbis
Deſiliit, tantiq; operis Concordia conſors
Metatura nouum iacto fundamine templum:
Aurea planiciem ſpatiis ercurrit arundo
Dimenſis, quadrent vt quatuor vndique frontes,
Ne commiſſuris diſtantibus angulus impar
Argutam mutilet per diſſona ſymmetra normam.
Auroræ de parte tribus plaga lucida portis
Illuſtrata patet, triplex aperitur ad Auſtrum
Portarum numerus, tres occidualibus offert
Ianua trina fores, toties Aquilonis ad axem
Panditur alta domus: nullum illic ſtructile ſaxum,
Sed cauſa per ſolidum, multoq; forata dolatu,
Gemma relucenti limen complectitur arcu,
Veſtibulumq; lapis penetrabile concipit vnus.
Portarum ſummus inſcripta in poſtibus auro

UVA. BHSC. BU 10932

Nomina apostolici fulgent bissena Senatus.
Spiritus his titulis arcana recondita mentis
Ambit, & electos vocat in præcordia sensus.
Quáque hominis natura viget (quam corpore toti
Quadrua vis animat) trinis ingressibus aram
Cordis adit, castísque colit sacraria votis:
Seu pueros Sol primus agat, seu feruor ephebos
Incendat nimius, seu consummabilis æui
Perficiat lux plena viros, sive algida Borræ
Aetas, decrepitam vocet ad pia sacra senectam:
Occurrit trinum quadrina ad compita numen,
Quod bene discipulis disponit rex duodenis.
Quin etiam totidem gemmarum insignia textis
Parietibus distincta micant, animásque colorum
Viuentes liquido lux euomit alta profundo.
Ingens chrysolitus natiuo interlitus auro,
Hinc sibi sapphirum sociauerat, inde beryllum,
Distantésque nitor medius variabat honores.
Hinc chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthò
Lumine vicino, nam forte cyanea propter
Stagna lapis cohibens, ostro fulgebat aquoso.
Sardonychen pingunt amethystina, pingit iaspis
Sardonium iuxta appositum, pulchérque topazon.
Has inter species smaragdina gramine verno
Prata virent, voluítque vagos lux herbida fluctus.
Te quoque conspicuum structura interserit ardens
Chrysoprase, & sydus saxis stellantibus addit.
Stridebat grauidis funalis machina vinclis,

UVA. BHSC. BU 10932

Immen

Immensas rapiens alta ad fastigia gemmas.
At domus interior septem subnixa columnis
Crystalli algentis vitrea de rupe recisis
Construitur, quarum tegit edita calculus albens
In conum casus capita, & sinuamine subter
Subductus conchæ in speciem, quod mille talentis
Margaritum ingens opibúsque & viribus arcæ
Adductis animosa Fides mercata pararat.
Hoc residet solio pollens Sapientia, & omne
Consilium regni celsa disponit ab aula,
Tutandíque hominis leges sub corde retractat.
In manibus dominæ sceptrum, non arte politum,
** Sed lignum viuum est, viridi quod stirpe recisum*
Quamuis nullus alat terreni cespitis humor,
Fronde tamen viret incolumi, tum sanguine tinctis
Intertexta rosis candentia lilia miscet,
Nescia marcenti florem submittere collo.
Huius forma fuit sceptri gestamen Aaron.
Floriferum, sicco quod germina cortice trudens,
Explicuit tenerum spe pubescente decorem.
Inq; nouos subitò viruit virga arida fœtus.*

Reddimus æternas indulgentissime doctor
Grates Christe tibi, meritósque sacramus honores
Ore pio: nam cor vitiorum stercore sordet.
Tu nos corporei latebrosa pericula operti,
Luctantísque animæ voluisti agnoscere casus.
Nouimus ancipites nebuloso in pectore sensus
Sudare alternis conflictibus, & variato

* Sed li
gno viuũ
viride eſt
* tumu

UVA. BHSC. BU 10932

Pugnarum euentu, nunc indole crescere dextram
Nunc inclinatis cervicibus ad iuga vitæ
Deteriora trahi, sesèque addicere noxis
Turpibus, & propriæ iacturam ferre salutis.
O quoties animam vitiorum peste repulsa
Sensimus incaluisse Deo, quoties epefactum
Cæleste ingenium post gaudia ca dida tetro
Cessisse è stomacho, feruent bella horrida, feruent
Ossibus, atque inclusa fremi discordibus armis.
Non simplex natura hominis: nam viscera lino
Effigiata premunt animum. Contrà ille sereno
Editus afflatu nigrantis carcere cordis
Aestuat, & sordes arcta inter vincula recusat.
Spiritibus pugnant variis lux, atque tenebræ,
Distantésque animat duplex substantia vires.
Donec præsidio Christus Deus adsit, & omnes
Virtutum gemmas componat sede piata
Atque vbi peccatum regnauerat, aurea templi
Atria constituens, texat spectamine morum
Ornamenta animæ, quibus oblectata decore
Aeternùm solio diues Sapientia regnet.

PSYCHOMACHIAE FINIS.

AVR

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRV-
DENTII, VIRI CON-
sularis, in Librum κα. Μ-
μερινῶν *Præfatio.*

Ode tricolos triſtrophos: Primus enim verſus eſt Glyconius, conſtans Spondeo, Choriambo, & Pyrrhichio. Secundus Aſclepiadæus, conſtans Spondeo, & duobus Choriambis, & Pyrrhichio. Tertius Choriambus, cõſtans Spondeo, & tribus Choriambis, & Pyrrhichio, hoc modo.

— — —∪∪— ∪∪

— — —∪∪— —∪∪— ∪∪

— — —∪∪— —∪∪— —∪∪— ∪∪

PER *quinquennia iam decem*
Ni fallor, fuimus, ſeptimus inſuper
Annum cardo rotat, dum fruimur ſole volubili.
Inſtat terminus, & diem
Vicinum ſenio iam Deus applicat.
Quid nos vtile tanti ſpatio temporis egimus?
Aetas prima crepantibus
Fleuit ſub ferulis. Mox docuit toga
Infectum vitiis falſa loqui, non ſine crimine.

UVA. BHSC. BU 10932

Tum

Tum lasciua proteruitas,
Ac luxus petulans (heu pudet, ac piget,)
Fœdauit iuuenem nequitiæ sordibus, ac luto.
Exin iurgia turbidos
Armarunt animos, & male pertinax
Vincendi studium subiacuit casibus asperis.
Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus vrbium,
Ius ciuile bonis reddidimus, terruimus reos.
Tandem militiæ gradu
Euectum pietas Principis extulit,
Assumptum propius stare iubens ordine proximo.
Hæc dum vita volans agit,
Irrepsit subitò canities seni
Oblitum veteris Messalæ consulis arguens.
Sub quo prima dies mihi
Quàm multas hyemes voluerit, & rosas
Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.
Nunquid talia proderunt
Carnis post obitum vel bona, vel mala?
Cũ iam quicquid id est quod fuerã, mors abolouerit.
Dicendum mihi quisquis es.
Mundum, quem coluit, mens tua perdidit,
Non sunt illa Dei, quæ studuit, cuius habeberis.
Atqui fine sub vltimo
Peccatrix anima stultitiam exuat,
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
Hymnis continuet dies,

UVA. BHSC. BU 10932

Nec nox vlla vacet, quin Dominum canat,
Pugnet contra hereſes, catholicam diſcutiat fidem.
Conculcet ſacra gentium,
Labem Roma tuis inferat idolis,
Carmen martyribus deuoueat, laudet apoſtolos.
Hæc dum ſcribo, vel eloquor,
Vinclis è vtinam corporis emicem
Liber, quo tulerit lingua ſono mobilis vltimo.

HYMNVS AD GALLICANTVM.

Monocolon, dimetrum, Iambicum, Archilochicum, Acatalecticum, recipiens locis imparibus Spondeum, & nonnunquam Anapæſtum: paribus verò Iambũ, & nonnunquam Pyrrhichium, hoc modo.

— ∪ — — ∪ —

Ales diei nuntius
Lucem propinquam præcinit,
Nos excitator mentium
Iam Chriſtus ad vitam vocat.
*Auferte clamat * lectulos* *Lectu
Aegros, ſopores deſides. *agro ſop
Caſtique, recti, ac ſobrij *deſides.
Vigilate, iam ſum proximus.
Poſt ſolis ortum fulgidi
Serum eſt cubile ſpernere,
Ni parte noctis addita

UVA. BHSC. BU 10932

Temp

Tempus laberi adieceris:
Vox ista, quam strepunt aues
Stantes sub ipso culmine
Pauloante quàm lux emicet,
Nostri figura est iudicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratisque opertos segnibus,
Suadet quietem linquere
Iam iámque venturo die.
Vt cùm corruscis flatibus
Aurora cœlum sparserit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad spem luminis.
Hic somnus ad tempus datus,
Est forma mortis perpetis.
Peccata ceu nox horrida
Cogunt iacere, ac stertere.
Sed vox ab alto culmine
Christi docentis premet,
Adesse iam lucem propè,
Ne mens sopori seruiat.
Ne somnus vsque ad terminos
Vitæ soporis opprimat
Pectus sepultum crimine,
Et lucis obitum fugæ.
Ferunt vagantes daemonas
Latos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos

UVA. BHSC. BU 10932

Sparsim timere & cedere.
Inuisa nam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum præscij
Norunt repromissæ spei,
Qua nos soporis liberi
Speramus aduentum Dei.
Quæ vis sit huius alitis,
Saluator ostendit Petro,
Ter ante quàm gallus canat,
Sese negandum prædicans.
*Fit nanque * peccator prius* * peccatus
Quàm præcedat lucis proximæ
Illustret humanum genus,
Finémque pernoctandi ferat.
Fleuit negator denique
Ex ore prolapsum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animúsque seruaret fidem.
Nec tale quicquam postea
Lingua loquutus lubrica est,
Cantúque galli cognita,
Peccare iustus destitit.
Inde est quod omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exultans canit,

UVA. BHSC. BV 10932

Christum rediſſe ex inferis.
Tunc mortis oppreſſus vigor,
Tunc lex ſubacta eſt Tartari.
Tunc vis diei fortior
Noctem coëgit cedere.
Iam iam quieſcant improba,
Iam culpa furua obdormiat.
Iam noxa lethalis ſuum
Perpeſſa ſomnum marceat.
Vigil viciſſim ſpiritus
Quodcunque reſtat temporis
Dum meta noctis clauditur,
Stans, ac laborans excubet.
Ieſum ciamus vocibus,
Flentes, precantes, ſobrij:
Intenta ſupplicatio
Dormire cor mundum vetat.
Sat conuolutis artubus
Senſum profunda obliuio
Preſſit, grauauit, obruit
Vanis vagantem ſomniis.
Sunt nempe falſa, & friuola
Quæ mundiali gloria
Ceu dormientes egimus:
Vigilemus, hic eſt veritas.
Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, proſpera,
Quæcunque nos inſtant mala,

UVA. BHSC. BU 10932

Fit mane, nil ſunt omnia,
Tu Chriſte ſomnum deſtice,
Tu rumpe noctis vincula,
Tu ſolue peccatum vetus,
Nouúmque lumen ingere.

HYMNVS MATVTINVS.

Carminis ratio eadem eſt, quæ eſt ſuperioris.

Nox, & tenebræ, & nubila,
Confuſa mundi, & turbida,
Lux intrat, albeſcit polus,
Chriſtus venit, diſcedite.
Caligo terræ ſcinditur
Percuſſo ſolis ſpiculo,
Rebúſque iam color redit,
Vultu nitentis ſyderis.
Sic noſtra mox obſcuritas,
Fraudiſque pectus conſcium,
Ruptis retectum nubibus
Regnante palleſcit Deo.
Tunc non licebit claudere,
Quod quiſque fuſcum cegitat,
Sed manc clareſcent nouo
Secreta mentis prodita.
Fur ante lucem ſqualido
Impunè peccat tempore,
Sed lux dolis contraria

UVA. BHSC. BU 10932 e

Latêre furtum non ſinit.
Verſuta fraus, & callida,
Amat tenebris obtegi.
Aptamq; noctem turpibus
Adulter occultus fouet.
Sol ecce ſurgit igneus
Piget, pudeſcit, pœnitet,
Nec teſte quiſquam lumine
Peccare conſtanter poteſt.
Quis mane ſumptis nequiter
Non erubeſcit proculis,
Cùm ſit libido temperans,
Caſtumq; nugator ſapit?
Nunc nunc ſeuerum viuitur,
Nunc nemo tentat ludicrum,
Inepta nunc omnes ſua
Vultu colorant ſerio.
Hæc hora cunctis vtilis
Qui quiſq; quod ſtudet, gerat,
Miles, togatus, nauita,
Opifex, arator, inſtitor.
Illum forenſis gloria,
Hunc triſte raptat claſſicum,
Mercator hinc, ac ruſticus
Auara ſuſpirant lucra.
At nos buccelli, ac fœnoris
Fandíque prorſus neſcij,
Nec arte fortes bellica,

Ter

UVA. BHSC. BU 10932

Te Christe solum nouimus.
Te mente pura, & simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare curuato genu
Flendo, & canendo discimus.
His nos lucramur quæstibus,
Hac arte tantum viuimus,
Hæc inchoamus munera,
Cùm sol resurgens emicat.
Intende nostris sensibus,
Vitamq; totam dispice,
Sunt multa fucis illita,
Quæ luce purgentur tua.
Durare nos tales iube,
Quales remotis sordibus
Nitere pridem iusseras,
Iordane tinctos flumine.
Quodcunque nox mundi dehinc
Infecit atris nubibus,
Tu lux Eoi syderis
Vultu sereno illumina:
Tu sancte, qui tetram picem
Candore tinguis lacteo,
Ebenóque crystallum facis,
Delicta tergens liuida.
Sub nocte Iacob cærula
Luctator audax angeli
Eò vsque dum lux surgeret

UVA. BHSC. BU 10932

Sudauit impar prælio.
Sed cùm iubar claresceret,
Lapsante claudus popolite,
Fœmúrque victus debile
Gulpæ vigorem perdidit.
Nutabat inguem sauciũm,
Quæ corporis pars vilior.
Longèque sub cordis loco,
Diram fouet libidinem.
Hæ nos docent imagines
Hominem tenebris obsitum,
Si forte non cedat Deo,
Vires rebelles perdere.
Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui
Luctando claudum, & tabidum
Dies oborta inuenerit,
*Tandem *facessat cæcitas*
Quæ nosmet in præceps diu
Lapsos sinistris gressibus
*Errore *traxit deuio.*
Hæc lux serenum conferat,
Purósque nos præstet sibi,
Nihil loquamur subdolum.
Voluamus obscurum nihil.
Sic tota decurrat dies,
Nec lingua mendax, nec manus,
Oculúe peccent lubrici,

*Fathis- ıs cæcitas

*Traxisti uio,

UVA. BHSC. BU 10932

Ne noxa corpus inquinet.
Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actúsque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quicquid est
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo falli iudicem.

HYMNVS ANTE CIBVM.

Carmen Alcmanium, trimetrum, hypercatalecticum, monocolum, pentastrophon, constans tribus Dactylis & semipede, id est heptimetri heroica, hoc modo.

– ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪ ∪ – ∪

O crucifer bone luciſator
Omniparens, pie, verbigena,
Edite corpore virgineo
Sed prius in genitore potens,
Astra, solum, mare quàm fierent:
Huc nitido precor intuitu,
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus: & irradia,
Nominis vt sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil Domine,
Nec iuuat ore quid appetere,

UVA. BHSC. BU 10932

Pocula ni prius, atque cibos
Chriſte tuus fauor imbuerit,
Omnia ſanctificante fide.
Fercula noſtra Deum ſapiant,
Chriſtus & influat in pateras,
Seria, ludicra, verba, iocos,
Denique quod ſumus, aut agimus
Trina ſuperna regat pietas.
Hic mihi nulla roſæ ſpolia,
Nullus aromate fragrat odor,
Sed liquor influit ambroſius,
Nectareámque fidem redolet,
Fuſus ab vſque patris gremio.
Sperne camœna leues ederas,
Cingere tempora quis ſolita es,
Sertáque myſtica dactylico
Texere docta liga ſtrophio,
Laude Dei redimita comas.
Quod generoſa poteſt anima,
Lucis, & æthereis indigena,
Soluere dignius obſequium,
Quàm data munera ſi recinat
Artificem modulata ſuum?
Ipſe homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu,
Quæ polus, aut humus, aut pelagus
Aere gurgite, rure creant,
Hæc mihi ſubdidit, & ſibi me.

UVA. BHSC. BU 10932

Callidus illaqueat volucres
Aut pedicis dolus, aut maculis,
Illita glutine corticeo
Vimina plumigenam seriem
Impediunt, & abire vetant.
Ecce per æquora fluctiuagos
Texta greges sinuosa trahunt.
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine vulnifico
Credula saucius ora cibo.
Fundit opes ager ingenuas,
Dives aristiferæ segetis,
Hic vbi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna vbi bacca virct.
Hæc opulentia Christicolis
Seruit, & omnia suppeditat,
Absit enim procul illa fames
Cedibus vt pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes.
Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum,
Nos oleris coma, nos siliqua
Fœta legumine multimodo
Pauerit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niueos
Vbere de gemino latices,
Perq; coagula densa liquor

UVA. BHSC. BU 10932

In ſolidum coit, & fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi Cecropia
Nectare ſudat olente fauus,
Hæc opifex apis aërio
Rore liquat, tenuiq; thymo,
Nexilis inſcia connubij.
Hinc quoq; pomiferi nemoris
Munera mitia prouenium,
Arbor onus tremefacta ſuum
Deciduo grauis imbre pluit,
Puniceóſque iacit cumulos.
Quæ veterum tuba, quævæ lyræ
Flatibus incita, vel fidibus,
Diuitis omnipotentis opus,
Quæq; fruenda patent homini,
Laudibus æquiparare queat?
Te pater optime mane nouo,
Solis & orbita cum media eſt,
Te quoque luce ſub occidua
Sumere cùm monet hora cibum,
Noſtra Deus canit harmonia.
Quod calet halitus interior,
Corde quod abdita vena tremit,
Pulſa & incita quod reſonam
Lingua ſub ore latens caueam,
Laus ſuperi patris eſto mihi.
Nos igitur tua ſancta manus

UVA. BHSC. BU 10932

Cespite composuit malido,
Effigiem meditata suam,
Vtq; foret rata materies
Flauit & indidit ore animam.
Tunc per amœna vireta iubet
Frondicomis habitare locis.
Ver vbi perpetuum redolet,
Pratáque multicolora latex
Quadrifluo celer amne rigat.
Hæc tibi nunc famulentur ait,
Vsibus omnia dedo tuis.
Sed tamen aspera mortifero
Stipite carpere poma veto,
Qui medio viret in nemore.
Hic draco perfidus indocile
Virginis illicit ingenium,
Vt socium malesuada virum
Mandere cogeret ex vetitis,
Ipsa pari peritura modo.
Corpora mutua nosse nefas,
Post epulas inoperta vident,
Lubricus error & erubuit:
Tegmina suta parant foliis,
Dedecus vt pudor occuleret.
Conscia culpa Deum pauitans
Sede pia procul exigitur.
Innuba fœmina quæ fuerat,
Conjugis excipit imperium.

UVA. BHSC. BU 10932

Fœdera triſtia iuſſa pati.
Autor & ipſe doli Coluber
Plectitur improbus, vt mulier
Colla trilinguia calce terat,
Sic coluber muliebre ſolum
Suſpicit, atque virum mulier.
His ducibus vitioſa dehinc
Poſteritas ruit in facinus,
Dumq; rudes imitatur auos,
Fáſq; nefáſque ſimul glomerans
Impia crimina morte luit.
Ecce venit noua progenies,
Aethere proditus alter homo,
Non luteus, velut ille prius:
Sed Deus ipſe gerens hominem,
Corporeiſque carens vitiis.
Fit caro viuida ſermo patris,
Numine quem rutilante grauis
Non thalamo, neq; iure tori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat,
Hoc erat aſpidis atque hominis
Digladiabile diſſidium,
Quod modo cernua fœmineis
Vipera proteritur pedibus.
Edere namq; Deum merita
Omnia virgo venena domat,

UVA. BHSC. BU 10932

Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger renomit,
Gramine concolor in viridi.
Quæ feritas modo non trepidat,
Territa de grege candidulo?
Impauidas lupus inter oues
Tristis obambulat, & rabidum
Sanguinis immemor os cohibet.
Agnus enim vice mirifica
Ecce leonibus imperitat,
Exagitánsque truces aquilas
Per vaga nubila, pérque notos
Sydere lapsa columba fugat.
Tu mihi Christe columba potens,
Sanguine pacta cui cedit auis,
Tu niueus per ouile tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
Sub iuga tigridis ora premens.
Da locuples Deus hoc famulis
Rite precantibus, vt tenui
Membra cibo recreata leuent,
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tensa grauet stomachus.
Haustus amarus abesto procul
Nec libeat tetigisse manus
Exitiale quid, aut vetitum,
Gustus & ipse modum teneat,
Sospitet vt iecur incolume.

UVA. BHSC. BU 10932

Sit satis anguibus horrificis,
Liba quod impia corporibus
Ah miseram peperere necem
Sufficiat semel ob facinus
Plasma Dei potuisse mori.
Oris opus, vigor igneolus
Non moritur, quia flante Deo
Compositus, superóque fluens
De solio patris artificis,
Vim liquidæ rationis habet.
Viscera mortua quinetiam
Post obitum reparare datur,
Eq; suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Puluereo coëunte situ.
Credo equidem, neq; vana fides,
Corpora viuere more animæ:
Nam modo corporeum memini
De Phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.
Spes eadem mea membra manet,
Quæ redolentia funereo
Iussa quiescere sarcophago,
Parili *Dux*parilis rediuiuus homo*
liuinus *Ignea Christus ad astra vocat.*
no.

HYMNVS POST CIBVM.

Metrum monocolon Hendecasyllabum Phaleutrum, constans Spon-

UVA. BHSC. BU 10932

deo,

deo, Dactylo, & tribus Trochæis, hoc modo:

— — ∪∪— — ∪∪— ∪∪

PASTIS viſceribus, ciboq́; ſumpto,
Quem lex corporis imbecilla poſcit,
Laudem lingua Deo patri rependat:
Patri, qui Cherubin ſedile ſacrum,
Necnon & Seraphim ſuum ſupremo
Subnixus ſolio tenet, regitq́;.
Hic eſt, quem Sabaoth Deum vocamus,
Expers principij, carénſque fine,
Rerum conditor, & repertor orbis.
Fons vitæ liquida fluens ab arce,
Infuſor fidei, ſator pudoris,
Mortis perdomitor, ſalutis autor.
Omnes quod ſumus, ac vigemus inde eſt,
Regnat ſpiritus ille ſempiternus,
A Chriſto ſimul & parente miſſus.
Intrat pectora candidus pudica,
Quæ templi vice conſecrata rident,
Poſtquam combiberint Deum meduilis.
Sed ſi quid vitij, dolíve naſci
Inter viſcera iam dicata ſenſit,
Ceu ſpurcum refugit celer ſacellum.
Tetrum flagrat enim vapore craſſo
Horror conſcius æſtuante culpa,
Offenſúmque bonum niger repellit.
Nec ſolus pudor, innocénſque rotum

UVA. BHSC. BU 10932

Templum constituunt perenne Christo
In cordis medij sinu, ac recessu:
Sed ne crapula ferueat cauendum est,
Quæ sedem fidei cibis refertam
Vsque ad congeriem coartet intus.
Parcis victibus expedita corda
Infusum melius Deum receptant,
Hic pastus animæ est, sapórque verus.
Sed nos tu gemino fouens paratu,
Artus atque animas vtroque pastu
Confirmas pater, ac vigore comples.
Sic olim tua præcluens potestas,
Inter rauciſonos ſitum leones
Illapsis dapibus virum refouit.
Illum fusile numen execrantem,
Et curuare caput sub expetita
Aeris materia nefas putantem
Plebs diræ Babylonis, ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicarant,
Sæuis protinus haustibus vorandum.
O semper pietas, fidésque tuta:
Lambunt indomiti virum leones,
Intactúmque Dei tremunt alumnum.
Astant comminus, & inbas reponunt,
Mansuescit rabies, famésque blanda
Prædam rictibus ambit incruentis.
Sed cùm tenderet ad superna palmas,
Expertúmque sibi Deum rogaret,

OVA.IBHSC.BU 10932

Clauſ

Clausus iugiter, indigénsque victu:
Iussus nuntius aduolare terris,
Qui pastum famulo daret probato:
Raptim desilit obsequente mundo.
Cernit forte procul dapes inemptas,
Quas messoribus Abacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Huius cæsarie manu prehensa,
Plenis sicut erat grauem canistris
Suspensum rapit & vehit per auras.
Tum raptus simul ipse prandiúmque,
Sensim labitur in lacum leonum,
Et quas tunc epulas gerebat, offert.
Sumas lætus ait, libénsque carpas
Quæ summus pater, angelúsque Christi
Mittunt liba tibi sub hoc periclo.
His sumptis, Daniëlus excitauit
In cœlum faciem, cibóque fortis
Amen reddidit, alleluia dixit.
Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum
Grates reddimus & sacramus hymnos.
Tu nos tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos, regis, & feram repellis,
Quæ circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes:
Cùm te summe Deus precemur vnano.

UVA. BHSC. BU 10932

Vexamur, premimur, malis rotamur,
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt,
Iuncta est supplicijs fides iniquis.
Nec defit tamen auxilis medela:
Nam languente trucis leonis ira,
Illapsæ superingeruntur escæ.
Quas si quis sitienter hauriendo
Non gustu tenui, sed ore pleno,
Internis velit implicare venis,
Hic sancto satiatus ex propheta,
Iustorum capiet cibos virorum,
Qui fructum Domino metunt perenni.
Nil est dulcius ac magis saporum,
Nil quod plus hominem iuuare possit,
Quàm vatis pia præcinentis orsa.
His sumptis licet insolens potestas
Pra'sum indicet, irrogetq; mortem,
Impasti licet irruant leones,
Nos semper Dominum patrem fatentes,
In te Christe Deus loquemur vnum,
Constantérque tuam crucem feremus.

HYMNVS AD INCENSVM CERI PASCHALIS.

Carmen monocolon Choriambicum Asclepiadæum

UVA. BHSC. BU 10932

piadæum Tetrametrum Acatalecticum, conſtans Spondęo, duobus Choriambis, Pyrrhichio vel Iambo hoc modo:

– – – ∪∪ – – ∪∪ – ∪∪ ∪∪

Inuentor rutili Dux bone luminis,
Qui certis vicibus tempora diuidis,
Merſo Sole chaos ingruit horridum,
**Lucem Chriſte tuis redde fidelibus.* ** lumen.*
Quamuis innumero ſydere regiam,
Lunaríque polum lampade pinxeris,
Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quærere.
Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido corpore conditam
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram:
Noſtris igniculis vnde genus venit,
**Pingui quos olei rore madentibus*
Lychnis aut facibus paſcimus aridis, ** Pinguis*
Quin & fila fauis ſcirpea floreis
Preſſo melle prius collita fingimus.
Viuax flamma viget, ſeu cava teſtula
Succum linteolo ſuggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem ſtuppa caleus bibit.
Nectar de liquido vertice feruidum
*Guttatim lacrymis ſtillat*alentibus,* **olentibus*
Ambuſtum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido fiere cacumine.

UVA. BHSC. BU 10932

Splendent ergo tuis maneribus pater
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentémque diem lux agit æmula
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.
Sed quis non rabidi luminis arduam,
Manantémque Deo cernat originem?
Moses nempè Deum spinifero in rubo
Vidit conspicuo lumine flammeum.
Felix qui meruit sentibus in sacris
Cœlestis soliꝫ visere Principem,
Iussus nexa pedum vincula soluere,
Ne sanctum insolucris polluueret locum,
Hunc ignem populus sanguinis inclyti
Maiorum meritis tutus, & impotens,
Suetus sub Dominis viuere barbaris,
Iam liber sequitur longa per auia:
Qua gressum tulerant, castréque cernle
Noctis per medium conscia mouerant,
Plebem pernigilem fulgure præuio
Ducebat radius sole micantior.
Sed rex Niliaci littoris, inuido
Feruens felle, iubet prænalidam maximo
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratásque acies clangere classicum.
Sumunt arma viri, séque minacibus
Accingunt gladiis, triste canit tuba,
Hic fidit iaculis, ille volantia
Præfigit calamis spicula Gnossis.

UVA. BHSC. BU 10932

Ensatur cuneis turba pedestribus,
Currus pars, & equos & volucres rotas
Conscendunt celeres, signáque bellica
Prætendunt tumidis clara draconibus.
Hinc iam seruitij nescia pristini
Gens Pelusiacis vsta vaporibus,
Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris littoribus fessa resederat.
Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert & validis prælia viribus.
Moses porrò suis in mare præcipit
Constans intrepidis tendere gressibus.
Prebent rapta locum stagna viantibus,
Riparum in faciem peruia, sistitur
Circumstans vitreis vnda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat æquore.
Pubes quinetiam decolor asperis
Irritata odijs rege sub impio,
Hebræum sitiens fundere sanguinem
Audet se pelago credere concauo.
Ibant præcipiti turbine pereita
Fluctus per medios agmina regia.
Sed confusa dehinc vnda reuoluitur
In semet reuolans gurgite confluo.
Currus tunc, & equos, telaque naufraga,
Ipsos & proceres, & vaga corpora
Nigrorum videas nare satellitum,
Arcis iustitium triste tyrannicæ,

Quæ tandem poterit lingua retexere
Laudes Christe tuas? qui domitum Pharon
Plagis multimodis cedere Præsuli
Cogis iustitiæ, vindice dextera.
Qui pontum rabidis ædibus inuium
Persultare vetas, vt refluo in salo
Securus pateat te duce transitus,
Et mox vnda rapax deuoret impios.
Cui ieiuna viæ *saxa *madentibus
Exundant scatebris, & latices nouos
Fundit scissa silex, quæ sitientibus
Dat potum populis axe sub igneo.
Instar fellis aqua tristifico in lacu
Fit ligni venia mel velut Atticum,
Lignum est, quo sapiunt aspera dulcius,
Nam præfixa cruci spes hominum viget.
Implet castra cibus tunc quoque oninguidus
Illabens gelida grandine densius,
His mensas epulis, hac dape construunt,
Quam dat sydereo Christus ab æthere.
Necnon imbrifero ventus anhelitu
Crassa nube leues inuehit alites,
Quæ *difflata in humum cum semel agmina
Fluxerunt, reduci non reuolant fuga,
Hæc olim patribus præmia contulit
Insignis pietas numinis vnici,
Cuius subsidio nos quoque vescimur,
Pascentes dapibus pectora mysticis.

*eremi:
*loquaci-
bus.

*conflata:

UVA. BHSC. BU 10932

Fessos

Fessos ille vocat per freta seculi,
Discissis populum turbinibus regens.
**Raptatásque animas mille laboribus* **Iactatas.*
Iustorum in patriam scandere præcipit.
Illinc purpureis tecta rosariis
Omnis fragrat humus, caltáque pinguia
Et molles violas, & tenues crocos
Fundit fonticulis vnda fugacibus.
Illic & gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raráque cinnama
Spirant, & folium, fonte quod abdito **prælabens*
**Prælabens fluuius portat in exitum.*
Felices animæ prata per herbida
Concentu parili suaue sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos.
Calcant & pedibus lilia candidis.
Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ
Illa nocte (sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis
Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens Oceano lucifer imbuit
Sed terris domini de cruce tristibus
Maior sole nouum restituens diem)
Marcent suppliciis tartara mitibus.
Exultátque sui carceris otio
Vmbrarum populus, liber ab ignibus
Nec feruent soluto flamina sulphure.

UVA. BHSC. BU 10932

Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votáque prospera
Certatim vigili congerimus prece,
Extructóque agimus liba sacrario.
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quæ suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perspicuo flamma iacit vitro.
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis sta etrionibus,
Et qua Phosphoreum temo regit iugum
Passim purpureos spargier hesperos.
O res d gna Deus, quam tibi roscidæ
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil pretiosius,
Lucem qua reliqua præmia cernimus.
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,
Lumen, quod famulans offero, suscipe,
Tinctum pacifici chrismati sanguine.
Per Christum genitum summe pater tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria,
Qui noster Dominus, qui tuus vnicus
Spirat de patrio corde paraclitum.
Per quem splendor, honos, laus, sapientia,
Maiestas, bonitas, & pietas tua
Regnum continuat numine triplici,
Texens perpetuis secula seculis.

UVA. BHSC. BU 10932

HYM

HYMNVS ANTE SOMNVM.

Dimetrum Iambicum, Anacreonticum, Catalecticum, monocolum, tetraſtrophum, conſtans tribus pedibus, & ſemipede. Primo enim loco habet Iambum vel ſpondæum promiſcuè, ſecũdo Iambum, tertio Iambum vel Spondæum, hoc modo:

⏑ – ⏑ – ⏑ – ⏑

– – ⏑ – – – ⏑

ADES *pater ſupremen*
Quem nemo vidit vnquam,
Patríſque ſermo Chriſte,
Et ſpiritus benigne.
O *trinitatis huius*
Vis vna, lumen vnum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex vtroque miſſus.
Fluxit labor diei,
Redit quietis hora,
Blandus ſopor viciſſim
Feſſos relaxat artus.
Mens æſtuans procellis.
Curíſque ſauciatæ
Totis bibit medullis
Obliuiale poclum.
Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec vllum

UVA. BHSC. BU 1093

Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.
Lex hæc data est caducis
Deo iubente membris,
Vt temperet laborem
Medicabilis voluptas.
Sed dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectúsque feriatum
Placat rigante somno:
Liber vagat per auras
Rapido vigore sensus,
Variásque per figuras
Quæ sunt operta cernit.
Quia mens soluta curis,
Cui est origo cœlum
Puráque fons ab æthra,
Iners iacere nescit.
Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
Sed sensa somniantum
Dispar fatigat horror,
Nunc splendor intererrat,
Qui dat futura nosse.
Plerunque dissipatis
Mendax imago veris,

Animos

UVA. BHSC. BU 10932

Animos pauore mœstos
Ambage fallit atra.
Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
Res edocet latentes.
At qui coinquinatum
Vitiis cor impiauit,
Lusus pauore multo
Species videt tremendas.
Hoc patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris
Interpres adprobauit.
Quorum reuersus vnus
Dat poculum tyranno,
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
Ipsum deinde regem
Perplexa somniantem,
Nouit famem futuram
Clausis cauere aceruis.
Mox præsul ac tetrarches
Regnum per omne iussus
Sociam tenere virgam,
Dominæ resedit aulæ.
O quàm profunda iustis
Arcana, per soporem

UVA. BHSC. BU 10932

Aperit tuenda Christus,
Quàm clara quàm tacenda.
Euangelista summi
Fidissimus magistri,
Signata quæ latebant
Nebulis videt remotis
Ipsum toruantis agnum
De cede purpurantem,
Qui conscium futuri
Librum resignat vnus.
Huius manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans vtrinque
Duplicem minatur ictum.
Quæsitor ille solus
Animæq; corporisque,
Ensisq; bis timendus
Prima, ac secunda mors est,
Idem tamen benignus
Vltor, retundit iram,
Paucosque non piorum
Patitur perire in æuum.
Huic inclytus perenne.
Tribuit pater tribunal,
Hanc obtinere iussit
Nomen, supra omne nomen.
Hic præpotens cruenti
Extinctor Antichristi,

UVA. BHSC. BV 10932

Qui de furente monstro
Pulchrum refert trophæum.
Quam bestiam rapacem,
Populósque devorantem,
Quam sanguinis charybdim,
Ioannes execratur.
Hæt nempe quæ sacratum
Præferre nomen ausa est
Iram petit gehennam,
Christo peremptæ vero.
Tali sopore iustus
Mentem relaxat heros,
Vt spiritu sagaci
Cœlum peragret omne.
Nos nil meremur horum,
Quos creber implet error,
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.
Sat est quiete dulci
Fessum fouere corpus
Sit, si nihil sinistrum
Vana minentur vmbræ.
Cultor Dei memento
Te fontis, & lauacri
Rorem subisse sanctum,
Te chrismate * inuotatum. * inunctum.
Fac cùm vocante somno
Castum petis cubile.

UVA. BHSC. BU 10932

Frontem, locúmque cordis
Crucis figura signe'.
Crux pellit omne crimen,
Fugiunt crucem tenebræ,
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul ô procul vagantum
Portenta somniorum,
Procul esto pernicaci
Præstigiator astu.
O tortuose serpens,
Qui mille per membros,
Fraudésque flexuosas
Agitas quieta corda:
Discede, Christus hic est,
Hic Christus est, liquesce,
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam cateruam.
Corpus licet fatiscens
Iaceat recline paulum,
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

HYMNVS IEIVNANTIVM.

Carmen monocolon iambicũ, senariũ, acatalecticũ, locis imparibus habens Spondæũ, Anapæstum, Iambũ, Tribrachum: Paribus verò Iambum & nõnunquã Anapæstum.

OVA. BISC. BU 10932

Eius

Eius ſpecimen, ſi voles, licebit mutuari ex primo hymno : Senex fidelis.

O *Nazarene dux Bethlem, verbum patris,*
Quem partus alui virginalis protulit,
Adeſto caſtis Chriſte parſimoniis,
Feſtúmque noſtrum rex ſerenus aſpice,
Ieiuniorum dum litamus victimam.

Nihil hoc profecto purius myſterio,
*Quo fibra cordis expiatur * liuidi,* * viuido
Intemperata quo domantur viſcera,
Aruina putrem ne reſudans crapulam
Obſtrangulatæ mentis ingenium premat.

Hinc ſubiugatur luxus, & turpis gula,
Vini atque ſomni degener ſocordia,
Libido ſordens, inuerecundus lepos,
Variæq; peſtes languidorum ſenſuum,
**Parcam ſubactæ diſciplinam ſentiunt.* * partam

Nam ſi licenter diffluens potu, & cibo,
Ieiuna ritè membra non coërceas,
Sequitur, frequenti marcida oblectamine
Scintilla mentis vt tepeſcat nobilis,
Animúſque pigris ſtertat vt præcordiis.

Frenentur ergo corporum cupidines,
Deterſa vt intus emicet prudentia,
Sic excitato perſpicax acumine,
Libérque flatu laxiore ſpiritus
Rerum parentem rectius precabitur.

Helia tali creuit obſeruantia

UVA. BHSC. BU 10932

Vetus sacerdos rutis hospes aridi,
Fragore ab omni quem remotum & segregem
Spreuisse tradunt criminum frequentiam,
Casto fruentem Syrtium silentio.
Sed mox in auras igneis iugalibus,
Curruque raptus emolauit pretis,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietam mundus afflaret virum,
Olim probatis inclytum ieiuniis.
Non ante cœli principem septemplicis
Moses tremendis fidus interpres thronis
Petuit videre, quàm decem tersis vicibus
Quater volutis sol peregrinus sydera
Omni carentem cerneret substantia.
Vitus precantis solus in lacrymis fuit,
Nam flendo pernox irrigatum puluerem
Humi madentis oppressit cernuo,
Donec loquentis voce pectitus Dei,
Expauit ignem non ferendum visibus.
Ioannes huius artis haud minus potens,
Dei perennis præcucurrit filium,
Cursus viarum qui retorsit tramites,
Et flexuosa corrigens dispendia,
Dedit sequendam calle recto limitem.
Hanc obsequelam præparabat manibus
Mox affuturo construens iter Deo,
Clusa planis, confragosa vallibus
Conuerterentur, nëve quicquam deinum

UVA. BHSC. BU 10932

Illapsa terris inaemiret veritas.
Non vsitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis iam vicio in pectore
Matris tetendit ferus infans vbera,
Nec ante partu de senili effusus est,
Quàm praedicaret virginem plen imi Deo.
Post sm patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setisve tectus, hispida & lanugine,
Secessit, horrens inquinari, & pollui
Contaminatis oppidorum moribus.
Illic dicata parcus abstinentiis
Potum, cibúmque vir severe indagtrie
In vsque serum respuebat vesperum,
Parcum lucustis & fauorum agrestium
Liquore pastum corpori suetus dare.
Hortator ille primus, & doctor nouae
Fuit salutis, nam sacrato in flumine
Veterum piatis lauit errorum notas,
Sed tincta postquam membra defecauerat,
Cœlo refulgens influebat spiritus.
Hoc ex lauacro tabe dempta criminum
Ibant renati non seces, quàm si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat,
Micet metalli sine lux argentei,
Sedèm polito prenitens purgamine.
Referre prisci stemmatis nunc seriem
Libet, fideli proditum volumine,

UVA. BHSC. BU 10932

Vt diruendæ ciuitatis incolis
Fulmen benigni mansuefactum patris
Piè repressis ignibus pepercerit.
Gens insolenti præpotens iactantia
Pollebat olim, quam fluentem nequiter
Corrupta vulgo soluerat lasciuia,
Et inde bruto contumax fastidio,
Cultum superni negligebat numinis.
Offensa tandem iugis indulgentiæ
Censura, iustis excitatur motibus,
Dextram perarmat rhompheali incendio,
Nimbos crepantes, & fragosos turbines
Vibrans tonantum nube flammarum quatit.
Sed pœnitendi dum datur diecula,
Si fortè vellent improbam libidinem,
Veteresque nugas condomare, ac frangere,
Suspendit ictum terror exorabilis,
Paulúmque dicta substitit sententia.
Ionam Prophetam mitis vltor excitat,
Pœnæ imminentis iret vt prænuntius:
Sed nosset ille cùm minacem iudicem
Seruare malle, quàm ferire, ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharsos fugam.
Celsam paratis pontibus scandit ratem,
Vda reuincta fune puppis soluitur.
Itur per altum, fit procellosum mare.
Tum causa tanti quæritur periculi,
Sors in fugacem missa vatem decidit.

UVA. BHSC. BU 10932

Iussus perire solus e cunctis reus,
Cuius voluta crimen vrna expresserat,
Præceps rotatur, & profundo immergitur,
Exceptus inde belluinis faucibus,
Aiui capacis viuus hauritur specu.
Transmissa raptim præda, cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transuolans
Impunè linguam: ne retentam mordicus,
Offam molares dissecarent viuidi,*
Os omne transit, & palatum præterit.
Ternis dierum, ac noctium processibus
Mansit ferino deuoratus gutture,
Errabat illic per latebras viscerum,
Ventris recessus circumibat tortiles
Anhelus, extis intus æstuantibus.
Intactus exin tertiæ noctis vice,
Monstri vomentis pellitur singultibus,
Qua murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsósque candens spuma tundit pumices,
Ructatus exit, séque seruatum stupet.
In Ninuitas se coactus percito
Gressu reflectit, quos vt increpauerat
Pudenda Censor imputans obprobria,
Impendet, inquit, ira summi vindicis,
Vrbemque flamma mox cremabit, credite.
Apicem deinceps ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidæ
Fumum ruinæ, cladis & diræ struem

* Viui

UVA. BHSC. BU 10932

Tectus flagellis multinodi germinis,
Nato & repente perfruens vmbraculo.
Sed mœsta postquam ciuitas vulnus noui
Hausit doloris, heu supremum palpitat,
Cursant per ampla congregatim mœniæ
Plebs, & senatus, omnis ætas ciuium,
Pallens iuuentus, eiulantes fœminæ.
Placet frementem publicis ieiuniis
Placare Christum, mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis, proq; gemma, & serico
Crinem fluentem sordibus spargit cinis.
Squalent recincta veste pullati patres,
Setasq; plangens turba sumit textiles,
Impexa villis virgo bestialibus,
Nigrante vultum contegit velamine,
Iacens harenis & puer prouoluitur.
Rex ipse, Coos æstuantem murices
Lænam reuulsa dissipabat fibula
Gemmas virentes, & lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum
Turpi capillos impeditus puluere:
Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
Ieiuna mensas pubes omnis liquerat,
Quin & negato lacte vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulæ,
Succum papillæ parca nutrix denegat.
Greges & ipsos claudit armentalium

UVA. BHSC. BU 10932

So.

Solers virorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis néve fontis hauriat,
Vacuis querelæ personant præsepibus.
Mollitus his, & talibus, breuem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum
**Prosper siniſtrum, prona nam clementia* **Propere*
Haud difficulter supplicem mortalium
Soluit reatum, fitq; fautrix flentium.
Sed cur vetustæ gentis exemplum loquor?
Pridem caducis cùm grauatus artubus
Iesus dicato corde ieiunauerit,
Prænuncupatus ore qui prophetico
Emanuël est, siue nobiscum Deus.
Qui corpus istud molle naturaliter
Captúmque laxo sub voluptatum iugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum,
Emancipator seruientis plasmatis,
Regnantis ante victor & cupidinis.
In hospitali nanq; secretus loco
Quinis diebus octies labentibus,
Nullam ciborum vendicauit gratiam,
Firmans salubri scilicet ieiunio
Vas appetendis imbecillum gaudiis.
Miratus hostis posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere, ac perpeti,
Explorat arte sciscitator callida
Deúsne membris sit receptus terreis.

UVA. BHSC. BU 10932

Sed increpata fraude, post tergum ruit.
Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu magister dogmatis
Tui dedisti Christe sectatoribus,
Vt cùm vorandi vicerit libidinem,
Late triumphet Imperator spiritus.
Hoc est quod atri liuor hostis inuidet,
Mundi polique quod gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
Quod limat ægram pectorum rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt niues,
Vt turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub ieiunio,
Si blanda semper misceatur largitas.
Est quippe & illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus,
Vnam, paremque sortis humanæ vicem
Inter potentes atque egenos ducere.
Satis beatus quisqui detram porrigit,
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cuius sinistra dulce factum nesciat,
Illum perennes protinus complent opes,
Ditátque fructus fœnerantem centuplex.

HYM

UVA. BHSC. BU 10932

HYMNVS POST IEIVNIVM.

Carmen Saphicum, Endecasyllabum, constans Trochæo, Spondæo, dactylo, & duobus Trochæis hoc modo.

– ◡ — — – ◡ ◡ – ◡ – ◡

Quartus verò quisque Adonius est constans Dactylo & Spondeo, hoc modo.

– ◡ ◡ — —

CHRISTE seruorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,
Leniter frenas, facilique septos
Lege coërces,
Ipse cùm portans onus impeditum
Corporis duros tuleris labores,
Maior exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.
Nona summissum rotat hora solem,
Patribus vixdum tribus euolutis,
Quarta denexo supereſt in axe
Portio lucis.
Nos breuis voti dape vendicata
Soluimus festum, fruimúrque mensis
Affatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.
Tantus æterni fauor est magistri,
Doctor indulgens ita nos amico

UVA. BHSC. BU 10932

Lactat hortatu, leuis obſequela vt
Mulceat artus.
Addit & nequis velit inuenuſto
Sordibus cultu lacerare frontem,
Sed decus vultus, capitiſque pexum
Comat honorem.
Terge ieiunans, ait, omne corpus,
Neve ſubducto faciem rubore
Luteus tingat color, aut notetur
Pallor in ore.
Rectius lato tegimus pudore
Quicquid ad cultum patris exhibemus.
Cernit occultum Deus & latentem
Munere donat.
Ille ouem morbo reſidem, gregíque
*Perditam *ſanat, male diſſipantem*
Sane *Vellus affixis vepribus per hirtæ*
Deuia ſyluæ,
Impiger paſtor reuocat, lupíſque
Geſtat excluſis humeros grauatus,
Inde purgatam reuehens aprico
Reddit ouili.
Reddit & pratis, viridíque campo
*Vibrat *implexis vbi nulla lappis*
mpexis. *Spina, nec germen ſudibus perarmat*
Carduus horrens:
Sed frequens palmis nemus, & reflexa
Vernat herbarum coma, tum perennis

UVA. BHSC. BU 10932

Gur-

Gurgitem viuis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.
Hisce pro donis tibi fide pastor,
Seruitus quænam poterit rependi?
Nulla compensant pretium salutis
Vota precantum.
Quamlibet spreto sine more pastu
Sponte confectos tenuemus artus,
Téque contemptis epulis rogemus
Nocte, diéque:
Vincitur semper minor obsequentum
Cura, nec munus genitoris æquat,
Frangit & cratem luteam laboris
Grandior vsus.
Ergo ne limum frangilem solutæ
Deserant vires, & aquosus albis
Humor in venis dominetur, ægrum
Corpus enervans:
Laxus, ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis, neque nos severus
Terror impellit, sua quenque cogit
Velle potestas.
Sufficit quicquid facias vocato;
Numinis nutu prius inchoare,
Siue tu mensam tenuas cibumue*
Sumere tentes.
Annuit dexter Deus, & secundo
Prosperat vsitu velut hoc salubre

* 12:

UVA. BHSC. BU 10932

Fidimus nobis fore, quod dicatas
Carpimus escas.
Sit bonum supplex precor & medelam
Conferat membris, animúmque pascat
Sparsus in venas cibus obsecrantum
Christicolarum.

HYMNVS OMNI HORA.

Carmen Trochaicum, tetrametrum, monocolon, tristrophon, catalecticum: Paribus locis habet Trochæũ, Spondæum, & nonnunquam Anapæstum: Impari-bus, Trochæum, Tribrachum, & Dactylum, hoc modo:

– ∪ – – – ∪ – – – ∪ – ∪ – ∪ ∪

DA puer plectrum, choreis vt canam fidelibus,
Dulce carmen, & melodũ, gesta Christi insignia,
Hũc camœna nostra solũ păgat, hũc laudet lyra.
Christus est, quem rex sacerdos adfuturum protinus
Infulatus concinebat voce, chorda, & tympano,
Spiritum cœlo influentem per medullas hauriẽs.
Facta nos & iam probata pangimus miracula,
Testis orbis est, nec ipsa terra, quod vidit, negat,
Comminus Deum docendis proditum mortalibus.
Corde natus ex parentis, ante mundi exordium,
Alpha & ω cognominatur, ipse fons, & clausula
Omniũ, quæ sunt, fuerunt, quæq; post futura sunt.
Ipse iußit, & creata, dixit ipse, & facta sunt,

UVA. BHSC. BU 10932

Ter-

Terra, cœlum, fossa ponti, trina rerum machina,
Quæq; in his vigẽt sub alto solis, & Lunæ globo.
Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret primoplasti ex germine,
Merserat quam lex profundo noxialis tartaro.
O beatus ortus ille, virgo cùm puerpera
Edidit nostram salutem, fœta sancto spiritu.
Et puer redemptor orbis os sacratum protulit.
Psallat altitudo cœli, psallant omnes Angeli,
Quicquid est virtutis vsquã psallat in laudẽ Dei:
Nulla linguarum silescat, vox & omnis cõsonet.
Ecce quem vates vetustis concinebant seculis,
Quem prophetarum fideles paginæ spoponderant,
Emicat, promissus olim, cuncta collaudent eum.
Cantharis infusa lympha fit salernum nobile,
Nuntiat vinum minister esse promptũ ex hydria,
Ipse rex sapore tinctis obstupescit poculis.
Membra morbis vlcerosa, viscerum putredines
Mando, vt abluantur, inquit, fit ratũ ꝙ iusserat,
*Turgidam cutem repurgãt*vulnerum piamina.* *Vlcerũ.
Tum perennibus tenebris iam sepulta lumina
Illinis limo salubri, sacri & oris nectare,
Mox apertis hac medela lux reducta est orbibus.
Increpas ventum furentem quod procellis tristibus
Vertat æquor fundo ab imo, vexet & vagã ratẽ:
Ille iussis obsecundat, mitis vnda sternitur.
Extimum vestri sacratæ furtim mulier attigit,
Protinus salus secuta est, ora pallor deserit.

UVA. BHSC. BU 10932

Sistitur riuus, cruore qui fluebat perpeti.
Exitus dulcis iuuentæ raptum ephebum viderat
Orba quem mater supremis funerabat fletibus:
Surge dixit, ille surgit, matri & astans redditur.
Sole iam quarto carentem, iam sepulcro absconditum
Lazarum iubet vigere reddito spiramine.
Fœtidum iecur reductus rursus intrat halitus.
Ambulat per stagna pŏti, summa calcat fluctuum,
Mobilis liquor profundi pendulam præstat viam,
Nec fatiscit vnda sanctis pressa sub vestigiis.
Suetus antro bustiali sub catenis frendere,
Mentis impos efferatis perciius furoribus
Prosilit, ruítq; supplex Christũ adesse, vt senserat.
Pulsa pestis lubricorum milleformis dæmonum,
Corripit gregis suilli sordida spurcamina,
Séq; nigris mergit vndis, vt pecus lymphaticum.
Quinque panibus peresis, & gemellis piscibus,
Affatim referta iam sunt accubantum milia
Fertq; qualus ter quaternus ferculorũ fragmina.
Tu cibus, panísque noster, tu perennis suauitas,
Nescit esurire in æuum qui tuam sumit dapem,
Nec lacunam ventris implet, sed fouet vitalia.
Clausus aurium meatus, & sonorum nescius,
Purgat ad p̃cepta Christi crassa quæq; obstacula,
Vocibus capax fruendis, ac susurris peruius.
Omnis ægritudo cedit, languor omnis pellitur,
Lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia,
Gestat & suum per vrbem lætus æger lectulum.

Quin

UVA. BHSC. BU 10932

Quin & ipſum, ne ſalutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat, fracta cedit ianua,
Vectibus cadit renulſis cardo diſſolubilis.
Illa prompta ad irruentes ad reuertentes tenax,
Obice extrorſum repulſo porta reddit mortuos.
Lege verſa, & limen atrum iam recalcãdũ patet.
Sed Deus dum luce fulua mortis antra illuminat,
Dum ſtupentibus tenebris cãdidum præſtat diem,
Triſtia ſqualentis æthræ palluerunt ſydera.
Sol refugit, & lugubri ſordibus ferrugine
Igneum reliquit axem, ſéque mœrens abdidit,
Fertur horruiſſe mundus noctis æternæ chaos.
Solue vocem mens ſonoram, ſolue linguam mobilem,
Dic tropheum paſſionis, dic triumphalem crucẽ,
Pange vexillum notatis quod refulget frontibus.
*O nouum *cæde ſtupenda vulneris miraculum,*
Hinc cruoris fluxit vnda, lympha parte ex altera,
Limpha nẽpe dat lauacrũ, tũ corona ex ſãguine eſt.
Vidit anguis immolatam corporis ſacri hoſtiam,
Vidit, & fellis peruſti mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo colla fractus ſibilat.
Quid tibi, prophane ſerpens profuit rebus nouis
*Plaſma primum perculiſſe verſipelli *aſtutia?*
Diluit culpam recepto forma mortalis Deo.
Ad breuem ſe mortis vſum dux ſalutis dedidit,
Mortuos olim ſepultos vt redire inſueſceret,
Diſſolutis priſtinorum vinculis peccanimum.

*Cædis ſtupendæ.

*Horta mine.

UVA. BHSC. BU 10932

Hunc patres, sanctiq; multi conditorem præuium
Iam reuertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt eq; bustis prodeunt.
Cerneres coire membra de fauillis aridis,
Frigidum venis resumptis puluerem tepescere,
Ossa, neruos, ac medullas glutino cutis tegi.
Post vt occasum resoluit vitæ & hominẽ reddidit,
Arduum tribunal alti victor ascendit patris,
Inclytam cœlo reportans Passionis gloriam.
Macte iudex mortuorum, macte rex viuentium,
Dexter in parentis arce, qui cluis virtutibus
Omnium venturus inde iustus vltor criminum.
Te senes, & te iuuentus, paruulorum te chorus,
Turba matrum, virginúmq; simplices puellulæ,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus,
Fluminum lapsus, & vndæ littorum crepidines,
Imber, æstus, nix pruina, sylua, & aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent seculorum seculis,

HYMNVS IN EXEQVIIS Defunctorum.

Carmen monocolon, Anapæsticum, dimetrum, Catalecticum, constat tribus Anapæstis & syllaba: Quamuis Prudentius promiscuè duabus prioribus sedibus Anapæsto & Sqondeo vtatur, tertia verò Anapæ

UVA. BHSC. BU 10932

Anapæsto est peculiaris, hoc modo:

⏑⏑– ⏑⏑– –

DEVS *ignee fons animarum,*
Duo qui socians elementa,
Viuum simul, ac moribundum
Hominem pater effigiasti:
Tua sunt tua rector vtráque,
Tibi copula imgitur horum,
Tibi dum vegetata cohærent,
Animus simul & caro viuit.
Rescissa sed ista seorsum
Soiuunt hominem, primúntque,
Humus excipit arida corpus,
Anime rapit aura liquorem.
Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactáque dissociari,
Et dissona texta retexi.
Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inuiolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant.
Vt dum generosa caducis,
Cen carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.
Si terrea forte voluntas

Eutemn

UVA. BHSC. BU-10932

Luteum sapit, & graue captat:
Animus quoque pondere victus,
Sequitur sua membra deorsum.
At si generis memor ignis
Contagia *nigra recuset:
Vehit hospita viscera secum,
Paritérque reportat ad astra.
Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breue restat, vt alti
Repetat collegia sensus.
Venient citò secula cum iam
Socius calor ossa reuisat,
Animatáque sanguine viuo
Habitacula pristina gestet.
Quæ pigra cadauera pridem
Tumulus putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur, hinc resolutos
Honor vltimus accipit artus,
Et funeris ambitus ornat.
Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos est,
Aspersáque myrrha Sabæo
Corpus medicamine fermat.
Quid nam sibi saxa cauata

UVA. BHSC. BU 10932

Quid

Quid pulchra volunt monumenta
Nisi quod res creditur illis
Non mortua, sed data somno?
Hoc prouida Christicolarum
Pietas studet, vtpote credens
Fore protinus omnia viua,
Quæ nunc gelidus sopor vrget.
Qui iacta cadauera passim
Miserans tegit aggere terræ
Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.
Quia lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub viua,
Cognatáque funera nobis
Aliena in morte dolere.
Sanctisator ille Tobiæ,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus iam ritè paratis
Ius pretulit exequiarum.
Iam stantibus ille ministris,
Cyathos & fercula liquit,
Studióque accinctus humandi,
Fleta dedit ossa sepulcro.
Veniunt mox præmia cœlo,
Pretiúmque rependitur ingens,
Nam lumina nescia solis
Deus illita felle serenat,
Iam tunc desit pater orbis

Quàm ſit rationis egenis
Mordax, & amara medela,
Cùm lux animum noua vexat.
Docuit quoque non prius vllum
Cæleſtia cernere regna,
Quàm nocte & vulnere triſti
Tolerauerit aſpera mundi.
Mors ipſa beatior inde eſt,
Quod per cruciamina lethi
Via panditur ardua iuſtis,
Et ad aſtra doloribus itur.
Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec poſt obitum recaleſcens
Compago fatiſcere nouit.
Hæc quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit ora,
Tunc flore venuſtior omni,
Sanguis cute tinguet amœna.
Nam nulla deinde ſenectus
Frontis decus inuida carpet,
Macies neque ſicca lacertos
Succo tenuabit adeſo,
Morbus quoque peſtifer artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta reſudans
Luet inter vincula mille.
Hunc eminus aere ab alto

UVA. BHSC. BU 10932

Victr

Victrix caro, iámque perennis
Cernet sine fine gementem
Quos moverat ipse dolores.
Quid turba superstes inepta
**Clangens vlulamina miscet?* **plange*
Cur tam bene condita iura,
Luctu dolor arguit amens?
Iam mœsta quiesce querela,
Lacrymas suspendite matres,
Nullus sua pignora plangat,
Mors hæc reparatio vitæ est.
Sic semina sicca virescunt
Iam mortua iámque sepulta,
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.
Nunc suscipe terra fouendum,
Gremióque hunc concipe molli,
Hominis tibi membra sequestro
Generosa & fragmina credo.
Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creatæ,
Feruens habitauit in istis
Sapientia príncipe Christo.
Tu depositum tege corpus,
Non immemor ille requiret
Sua munera fictor, & autor,
Propriíque ænigmata vultus.
Veniant modò tempora iusta.

UVA. BHSC. BU 10932

Cùm ſpem Deus impleat omnem,
Reddas patefacta neceſſe eſt,
Quglem tibi trado figuram,
Non, ſi carioſa vetuſtas
Diſſoluerit oſſa fauillis,
Fueritque ciniſculus arens
Minimi menſura pugilli,
Nec, ſi vaga *flumina, & aurę *flamina
Vacuum per inane volantes,
Tulerint cum puluere neruos:
Hominem periiſſe licebit.
Sed dum reſolubile corpus
Reuocas Deus, atque reformas,
Quá nam regione inbebis
Animam requieſcere puram?
Gremio ſenis abdita ſancti
Recubabit, vbi eſt Eleazar,
Quem floribus vndique ſeptum
Diues procul aſpicit ardens.
Sequimur tua dicta redemptor,
Quibus atra è morte triumphans
Tua per veſtigia mandas
Socium crucis ire latronem.
Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradiſi,
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.
*Illud precor optime ductor,

*Flic *Fam

UVA. BHSC. BU 10932

Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in ſede ſacrari,
Quam liquerat exul, & errans.
Nos tecta ſouebimus oſſa
Violis & fronde frequenti,
Titulúmque, & frigida ſaxa
Liquido ſpargemus odore.

HYMNVS OCTAVO
Calendas Ianuarias.

Carmen Iambicum, dimetrum, Acataleƈticum, recipiens locis imparibus Spondæum, & nonnunquam Anapeſtum: paribus verò Iambum, hoc modo:

— ⏑ — — ⏑ ⏑

QVID eſt quod arƈtum circulum
Sol iam recurrens deſcrit?
Chriſtus ne terris naſcitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu quam fugacem gratiam
Feſtina voluebat dies,
Quam penè ſubduƈtam facem
Senſim reciſa extinxerat,
*Cælum *nitеſcat lætius,*
Gratetur & gaudens hiemus,
Scandit gradatim denuo

*Eraſ. nteſcat & grata tur.

UVA. BHSC. BU 10932

Iubar priores lineas.
Emerge dulcis puſio,
Quem matris edit caſtitas,
Parens & expers coniugis
Mediator, & duplex genus.
Ex ore quamlibet patris
Sis ortus, & verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius.
Quæ prompta cœlum condidit,
Cœlum, diémque, & cætera,
Virtute verbi effecta ſunt
Hæc cuncta: nam verbum Deus.
Sed ordinatis ſeculis,
Rerúmque digeſto ſtatu,
Fundator ipſe & artifex
Permanſit in patris ſinu.
Donec rotata annalium
Tranſuoluerentur millia,
Atque ipſe peccantem diu
Dignatus orbem viſeret.
Nam cæca vis mortalium
Venerans inanes mænias,
Vel æra, vel ſaxa algida,
Vel ligna credebat Deum.
Hæc dum ſequuntur, perfidi
Prædonis in ius venerant,
Et multiplicatam ſumido

Vitam

**Eraſ. no item*

Vitam barathro immerserant.
Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium
Impune ne forsan sui
Patris perirct fabrica.
Mortale corpus induit,
Vt excitato corpore
Mortis catenam frangeret,
Hominémque portaret patri.
Hic ille natalis dies,
Quo te creator arduus
**Spirauit, & limo indidit,* **Eraſ. animauit & limo induit.*
Sermone carnem glutinans,
Sentis ne virgo nobilis,
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?
O quanta rerum gaudia
Aluus pudica continet,
Ex qua nouellum seculum
Procedit, & lux aurea
Vagitus ille exordium
*Vernantis orbis * prodidit,* **protulit.*
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit.
Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus,
Ipsásque harenas Syrtium

UVA. BHSC. BU 10932

Fræxasse nardo, & nectare.
Te cuncta nascentem puer
Sensere dura, & barbara,
Victúsque saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.
Iam mella de scopulis fluunt,
Iam stillat ilex arido
Sudans amomum stipite,
Iam sunt myricis balsama.
O sancta præsepis tua
Aeternæ rex cunabula,
Populisque per seclum sacra,
Mutis & ipsis credita.
Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cuius in pastu sita est.
Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, & quadrupes,
Sapiátque quod brutum fuit,
Negat patrum prosapia,
Perosa præsentem Deum,
Credas venenis ebriam
Furísve lymphatam rapi.
Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quicquam tibi
Mentis resedit integræ,

VALDHSC BU 10932

Ducem tuorùm principum.
Hunc quem latebræ & obstetrix
Et virgo fœta, & cunula
Et imbecilla infantia
Regem dederunt gentibus.
Peccator intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Deiectus ipse & irritis
Plangens reatum fletibus.
Cùm vasta signum buccina
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit.
Insignis ipse, & præminens
Meritis rependet congrua.
His lucis vsum perpetis,
Illis gehennam & tartarum.
Iudæa tunc fulmen crucis
Experta, qui sit senties,
Quem te furoris *præsulè*
Mors hausit, & mors reddidit.

* preside

HYMNVS EPIPHANIAE.

Ratio carminis huius conuenit cum superiori.

QVICVNQVE *Christum queritis,*
Oculos in altum tollite,
Illic licebit visere

Signum perennis gloriæ.
Hæc stella, quæ solis rotam
Vincit decore, ac lumine,
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.
Non illa seruit noctibus,
Sequuta lunam menstruam,
Sed solâ cœlum possidens,
Cursum dierum temperat.
Arctoa quamuis sydera
In se retortis motibus
Obire nolint, attamen
Plerúmque sub nimbis latent.
Hoc sidus æternum manet,
Hæc stella nunquam mergitur,
Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.
Tristis cometa intercidat,
Et siquod astrum Sirio
Feruet vapore, iam Dei
Sub luce destructum cadat.
Ex Persici ex orbis sinu,
Sol vnde sumit ianuam,
Cernunt periti interpretes
Regale vexillum Magi.
Quod vt refulsit, cæteri
Cessere signorum globi,
Ne pulcher est ausus suam

UVA. BHSC. BV 10932

Conferre *formam lucifer. *flammæ.
Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator, astris imperans,
Quem sic tremunt cœlestia.
Cui lux, & æthra inseruiunt?
Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cœlo, & Chao.
Hic ille rex est gentium,
Populique rex Iudaici
Promissus Abrahæ patri,
Eiúsque in æuum semini.
Æquanda nam stellis suæ
Cognouit olim germina,
Primus sator credentium,
Nati immolator vnici.
Iam flos subit Dauidicus
Radice Iessæa editus,
Sceptríque per virgam virens,
Rerum cacumen occupat.
Exin sequuntur percitæ
Fixis in altum vultibus,
Qua stella sulcum traxerat,
Clarámque signabat viam.
Sed verticem pueri supra
Signum pependit imminens,
Pronáque submissum face

UVA. BHSC. BU 10932

Caput ſacratum prodidit.
Videre quod poſtquam Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerrunt
Thus, myrrham, & aurum regium.
Agnoſce clara inſignia
Virtutis ac regni tui
Puer ô, cui trinam pater
Prædeſtinauit indolem.
Regem, Deúmque adnuntiant,
*Theſaurus, & *flagrans odor* *flagrans.
Thuris Sabæi, ac myrrheus
Puluis ſepulcrum prædocet.
Hoc eſt ſepulcrum quo Deus
Dum corpus extingui ſinit,
Atq; id ſepultum ſuſcitat,
Mortis refregit carcerem.
O ſola magnarum vrbium
Maior Bethleem, cui contigit
Ducem ſalutis cœlitus
Incorporatum gignere,
Altrice te ſummo patri
Heres creatur vnicus,
Homo ex tonantis ſpiritu,
Idémque ſub membris Deus.
Hunc & prophetis teſtibus,
Iisdémque ſignatoribus,
Teſtator, & lator iubet

UVA. BHSC. BU 10932

Adire regnum, & cernere.
Regnum quod ambit omnia
Dia, & marina, & terrea
Asoïs ortu ad exitum,
Et tartara, & cœlum supra.
Audit tyrannus anxius
Adesse regum principem,
Qui nomen Israël regat,
Teneátque Dauid regiam.
Exclamat amens nuntio,
Successor instat, pellimur,
*Satellites, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.
Mas omnis infans occidat,
Scrutarenum tricum sinus;
Intérque materna vbera
Ensem cruentet pusio.
Suspecta per Bethleem mihi
Puerperarum est omnium
Fraus, nequa furtim subtrahet
Prolem virilis indolis.
Transfigit ergo carnifex
Mucrone districto furens
Effusa nuper corpora,
Animásque rimatur nouas.
Locum minutis artubus
Vix interemptor inuenit,
Quo plaga descendat patens.

*Eras
rũ sate
corripe.

UVA. BHSC. BU 10932

Ingulóque maior pugio est.
O barbarum Spectaculum,
Illisa ceruix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculósque per vulnus vomit.
Aut in profundum palpitans,
Mersatur infans gurgitem,
Cui subter arctis faucibus,
*Singultat vnda & halitus.
Salute flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante cuius simplices
Palma, & coronis luditis.
Quid proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem iuuat?
Vnus tot inter funera
Impune Christus tollitur.
Inter cœui sanguinis
Fluenta solus integer
Ferrum, quod orbabat mares,
Partus fefellit virginis.
Sic stulta Pharaonis mali
Edicta quondam fugerat,
Christi figuram præferens

VVA. BHSC. BU 10932

Herodis

Moſes receptor ciuium.
Cautum & ſtatutum *iuſſerat, *iu
Quo non liceret matribus,
Cùm pondus alui abſolueret,
Puerile pignus tollere.
Mens obſtetricis ſedule
Piè in tyrannum contumax,
Ad ſpem potentis gloriæ
Furata ſeruat parnulum.
Quem mox ſacerdotem ſibi
Aſſumpſit orbis conditor,
Per quem notatam ſaxeis
Legem tabellis traderet.
Eicétne Chriſtum noſcere
Tanti per exemplum viri?
Dux ille cæſo Aegyptio
Abſoluit Iſraëlingo.
At nos ſubactos ingiter
Erroris imperio graui,
Dux noſter hoſte ſaucio
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam ſluctibus
Plebem marino in tranſitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam præferens.
Hic præeunte exercitu,
Paſſis in altum brachiis,
Sublimis Amalech premit

UVA. BHSC. BU 10932

Crucis quod instar tunc fuit.
Hic nempe Iesus verior,
Qui longa post dispendia,
Victor suis tribulibus
Promissa solvit integra.
Qui ter, quaternas denique
Refluentis amnis alveo
Fundauit, & fixit petras,
Apostolorum stemmata.
Iure ergo se Iudæ ducem
Vidisse testantur Magi,
Cùm facta priscorum ducum
Christi figuram pinxerint.
Hic rex piorum iudicum,
Rexere qui Iacob genus,
Dominæq; rex ecclesiæ,
Templi & novelli, & pristini.
Hunc posteri Effraim colunt,
Hunc sancta Manasse domus,
Omnésque suspiciunt tribus
Bissena fratrum semina.
Quin & propago degener
Ritum secuta inconditum,
Quæcunq; dirum seruidis
Baal caminis coxerat,
Famosa æternum nomina
Saxum, metallum, stipitem,
Rastum, dolatum, sectile,

UVA. BHSC. BV 10932

In

In Christi honorem deserit.
Gaudete quicquid gentium est,
Indea, Roma, & Grecia,
Aegypte, Thrax, Persa, & Scytha,
Rex vivus omnes possidet.
Laudate vestrum principem
Omnes beati, ac perditi,
Vivi, imbecilli, ac mortui,
Iam nemo posthac mortuus.

CATHEMERINON.
FINIS.

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRV-
DENTII CL. V. C.

περὶ στεφάνων, id est,
de coronis.

*

HYMNVS IN HONOREM
sanctorum martyrum Hemiterij & Cheledonij Calagurritanorum.

Carminis ratio eiusmodi est qualis hymni omnium horarum. Da puer plectrum.

— ◡ — — — ◡ — — — ◡ — ◡ — ◡ ◡

SCRIPTA sunt cœlo deorum martyrum voces tua,
Aereis quæ Christus illic annotauit litteris,
Sanguinis notis & idem scripta terris tradidit.
Pollet hoc felix per orbem terra Hibera stemmate.
Hic locus dignus tenendis ossibus visus deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.
Hic calentes hausit undas cede tinctas duplici.
Illitas cruore sancto nunc arenas incolæ
Confrequentant obsecrantes voce, votis, numere.
Exteri nec non & orbis hunc colonus aduenit.
Fama nam terræ in omnes præcurris prodigus,

Hic

UVA. BHSC. BU 10932

Hic patronos esse mundi quos precantes ambiant.
Nemo puras hic rogando frustra congessit preces,
Lætus hinc tersis reuertit supplicator fletibus,
Omne quod iustum poposcit impetratũ sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est,
Non sinãt, inane vt illius voce murmur fuderit,
Audiunt, statimq; ad aurẽ regis æterni ferunt.
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum causas petitis quæ medelis irrigant.
Nil suis bonus negauit Christus vnquã testibus,
Testibus quos nec catenæ, dira nec mors terruit
Vnicum Deum fateri sanguinis dispendio,
Sanguinis sed tale damnũ lux rependit* lõgior. *largior
Hoc genus mortis decorum est. Hæc probis digna
viris,
Membra morbis exedenda texta venis languidis
Hostico donare ferro, morte & hostem vincere.
Pulchra res istum sub ense persequentoris pati,
Nobilis per vulnus amplum porta iustis pãditur.
Læta mens in fonte rubro sede cordis exilit.
Nec rudem credi laboris ante vitam duxerant
Milites, quos ad perenne cingulũ Christus vocat,
Sueta virtus bell & armis militat sacrariis,
Cæsaris vexilla linquunt, eligunt signum crucis.
Proq; ventosis draconum quos gerebat pallijs,
Præsentis insigne lignũ, quod draconẽ subdidit.
Vile censent expeditis ferre dextris fpicula,

UVA. BHSC. BU 10932

Machinis muram ferire, castra fossis cingere,
Impias manus cruentis inquinare stragibus.
Fortè tunc atrox secundos Israëlis posteros
Ductor, ante mundialis ire ad aram insserat,
Idolis litare nigris, esse Christi desugas.
Liberam succincta ferro pestis vrgebat fidem,
Illa virgas, & secures & bisulcas vngulas
Vltro fortis expetebat, christi amore interrita.
Carcer illigata duris colla boiis impedit.
Barbaras forum per omne torter exercet manus,
Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.
Tunc & ense cesa virtus triste percussit solum,
Et rogis ingesta mœstis, ore flammas sorbuit.
Dulce tunc iustis eramari, dulce ferrum perpeti.
Hic deorum chara fratrum connalescunt pectora,
Fida quos per omne tempus iunxerat sodalitas,
Stant parati ferre, quicquid sors tulisset vltima.
Seu sortis prebenda cervix ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantis, post catastas ignea
Sine pardis offerendum pectus, aut leonibus.
Nos ne Christo procreati mammose dicabimur?
Et Dei formam gerentes seruiemus seculo?
Absit vt cælestis ignis se tenebris misceat.
Sit satis quod capta primo vita sub chirographo
Debitum persoluit omne, functa edictis Cesaris.
Tempus est Deo rependi quicquid est proprie Dei.
Ite segnorum magistri, vos tribuni abstinete,
Aureos auferte torques sanctiorem præmia:

UVA. BHSC. BU 10932

Clara nos hinc Angelorũ iam vocant stipendia.
Christus illic candidatis præsidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto, damnat infames deos,
Vosq; qui ridenda vobis monstra dixos fingitis.
Hæc loquentes obtruncatur mille pœnis martyres:
Nexibus manus vtrasq; flexus ineolvit rigor,
Et chalybs atrita colla grauibus ambit circulis.
O vetustatis silentis obsoleta oblivio:
Invidentur ista nobis, fama & ipsa extinguitur.
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,
Ne tenacibus libellis erudita secula
Ordinem, tempus, modumq; passionis proditum
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerẽt.
Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia
Iugibus longum catenis an capillam posuerint,
Quo viros dolore torqueor, quæve* pœna ornauerit. *pompa
Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras exolarũt munera,
Quæ viam patere cœli premicãdo ostenderent.
Illius fidem figuras, nube ferter annulus,
Hic sui dat pignus oris (vt ferunt) orarium,
Quæ superno rapta flatu lucis intrat intimum.
Per poli liquentis axem fulgor auri absconditur.
Ac diu visum sequacem textilis candor fugit,
Subuehũtur vsque in astra, nec videtur amplius.
Vidit hoc consentus adstans, ipse vidit carnifex,
Et manum repressit hæres ac stupore obpalluit,
Sed tamen peregit ictum, ne periret gloria.

UVA. BHSC. BU 10932

Iam ne credis bruta quondam Vasconũ gentilitas,
Quàm sacrũ crudelis error immolarit sanguinẽ?
Credis in Deum relatos hostiarum spiritus?
Cerne quàm palàm feroces hic domenturdæmones,
Qui lupino capta ritu deuorant præcordia,
Stragulãt mentes & ipsas, seq; miscent sensibus.
Tunc suoiam plenus hoste sistitur furens homo,
Spumeas efflans saliuas, cruda torquẽs lumina,
Expiandus quæstione non suorum criminum.
Audias, nec tortor adstat, eiulatus flebiles.
Scinditur per flagra corpus, nec flagellũ cernitur.
Crescit & suspensus ipse vinculis latentibus.
His modis spurcum latronẽ martyrũ virtus quatit.
Hæc coërcet, torquet, vrit, hæc catenas incutit,
Prædo vexatus relictis se medullis exuit.
Linquit illæsam rapinam, faucibus siccis fugit,
Vngue ab imo vsq; ad capillũ salua reddit omnia
Confitens ardere sese, nam gehennæ est incola.
Quid loquar purgata longis alba morbis corpora?
Algidus cùm decoloros horror artus concutit,
Hic tumor vultũ relinquit, hic color verus redit.
Hoc bonum Saluator ipse, quo fruamur, præstitit,
Martyrũ cùm mẽbra nostro consecrauit oppido.
Sospitant quæ nunc colonos quos Hiberus alluit.
State nunc hymnite. *hymnistæ matres pro receptis parvulis.*
Coniugum salute læta vox maritarum crepet *strepat,*
Sit dies hæc festa nobis, sit sacratum gaudium.

Lau

UVA. BHSC. BU 10932

LAVRENTIVS AR-
chileuita.

Menſura Carminis huius conuenit cum hymno Matutino, Ales diei.

ANTIQVA fanorum parens
Iam Roma Chriſto dedita,
Laurentio victrix duce
Ritum triumphans barbarum,
Reges ſuperbos viceras,
Populosq; frænis preſſeras:
Nunc monſtruoſis idolis
Imponis imperij iugum.
Hæc ſola deerat gloria
Vrbis togatæ inſignibus,
Feritate capta gentium
Domaret vt ſpurcum Iouem,
Non turbulentis viribus
Coſsi, Camilli, aut Cæſaris,
Sed martyris Laurentij
Non incruento prælio.
Armata pugnauit fides,
Proprij cruoris prodiga,
Nam morte mortem diruit,
Ac ſemet impendit ſibi.
Fore hoc ſacerdos dixerat,
Iam Xistus, adfixus cruci,
Laurentium flentem videns

UVA. BHSC. BU 10932

Crucis sub ipso stipite.
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere,
Præcedo frater, tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox Episcopi
Prænuntiatrix gloriæ
Nihil fefellit, nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem,
Quo passionem carmine
Dignè retexens concinam?
Hic primus è septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Leuita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior,
Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans claubus,
Votasq; dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus vrbis regiæ,
Minister insani ducis
Exactor auri & sanguinis.
Qua vi latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub fabricis

BU 10932

Cæmen-

Cumulosq; congestos tegi.
Laurentium sisti iubet,
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, & fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis, inquit, conqueri,
Sæuire nos iusto amplius,
Cùm Christiana corpora
Plus quàm cruentè scindimus.
Abest atrocioribus
Censura feruens motibus,
Blandè & quietè efflagito
Quod sponte obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis
Moremq; & artem, proditum est,
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro Antistites.
Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq; nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
Tum cura summa est fratribus,
(Vt fermo testatur loquax)
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit

UVA. BHSC. BU 10932

Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines
Nigrãte quos claudis specu.
Hoc poscit vsus publicus,
Huc fiscus, hoc ærarium,
Vt dedita stipendiis
Ducem iuuet pecunia.
Sic dogma vestrum est audio,
Suum quibúsque reddito,
En Cæsar agnoscit suum
Nomisma numis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da, nempe iustum postulo,
Ni fallor, haud vltam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm veniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Præcepta sed verbis dedit
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem
Que vos per orbem venditis,
Numos libenter reddite,

UVA. BHSC. BV. 10932

Estote verbis diuites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum,
Sed vt paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est diues, inquit, non nego,
Habetq; nostra ecclesia
Opumq; & auri plurimum,
Nec quisquam in orbe ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Augustus, arcem possidens,
Cui numus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam numinis,
Vulgabo cuncta, & proferam
Pretiosa quæ Christus tenet.
Vnum sed orans flagito,
Induciarum paululum,
Quo fungar efficacius
Promissionis munere:
Dum tota digestim mihi
Christi supellex scribitur,
Nam calculanda primitus,
Tunc subnotanda est summula.
Lætus tumescit gaudio
Præfectus, ac spem deuorat,
Aurum velut iam conditum

UVA. BHSC. BU 10932

Domi maneret gestiens.
Pepigere tempus tridui,
Laudatus inde absoluitur
Laurentius sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per vrbem cursitat
Diebus, infirma agmina,
Omnesq; qui poscunt stipem
Cogẽs in vnũ, & congregans.
Illic vtrisque obtutibus
Orbes cauatos præferens
Baculo regebat præuio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco semipes,
Breuiórve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est vlcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat,
Est cuius arens dextera
Neruos in vlnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, assuetos ali
Ecclesiæ matris penu.
Quos ipse primus nouerat.
Recenset exin singulos,
Scribens viritim nomina,
Longo & locatos ordine

UVA. BHSC. BU 10932

Adstare

Adstare pro templo iubet.
Præscriptus & iam fluxerat
Dies, furebat feruido
Iudex auarus spiritu,
Promissa solui efflagitans.
Tum martyr, assistas velim
Coramq; dispositas opes
Mirere, quas noster Deus
Prædiues in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet sequi,
Ventum ad sacratam ianuam,
Stabant cateruæ pauperum,
Inculta visu examina.
Fragor rogantum tollitur,
Præfectus horrescit stupens,
Conuersus in Laurentium,
Oculisque turbatis minax.
Contrà ille quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid displicet?
Num sordida hæc aut vilia?
Num despuenda existimas?
Aurum quod ardenter sitis
Effossa gignunt rudera,
Et de metallis squalidis

UVA. BHSC. BU 10932

Pœnalis excudit labor.
*Torrens * vel amnis turbidis*
Voluens arenis implicat,
Quod terrulentum, ac ſordidum,
Flammis neceſſe eſt decoqui.
Pudor per aurum ſoluitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipſe intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis, & magni putas?
Si quæris aurum verius,
Lux eſt, & humanum genus,
Hi ſunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per ſalutem viſcerum
Mens inſoleſcat turgida.
*Quum membra morbus * diſſecat,* diſſicit
Animus viget robuſtior,
Membris viciſſim fortibus
Vis ſauciatur ſenſuum.
Nam ſanguis in culpam calens
Minus miniſtrat virium,
Si feruor effœtus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore aſperrimo
Fragmenta membrorum pati,

BIBLIOTECA BU 1932

Et pul

Et pulcher intus viuere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues,
Carnis ne morbus fœdior
An mentis, & morum vlcera?
Nostri per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errórque mancum claudicat,
Et cæca fraus nihil videt.
Quemuis tuorum principum,
Qui veste & ore prænitet,
Magis probabo debilem,
Quàm quis meorum est pauperum.
Hunc qui superbit serico,
Quem currus inflatum vehit,
*Hydrops aquosus * lucido* *lurido
Tendit veneno intrinsecus.
Ast hic auarus contrahit,
Manus recuruas, & volam
Plicans aduncis vnguibus
Laxare neruos non valet.
Istum libido fœtida
Per scorta tractum publica
Luto & cloacis inquinat,

UVA. BHSC. BU 10932 *Dum*

Dum ſpurca mendicat ſtupra.
Quid ille ferueus ambitu
Sitíque honoris æſtuans,
Merſis ne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quiſquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, & ſcalpit iecur,
Scabiémque cordis ſuſtinet.
Quid inuidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta, & liuida
Malignitatum vulnera?
Tute ipſe qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum ſordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi quos ſuperbus deſpicis,
Quos execrandos iudicas,
Breui vlceroſos exuent
Artus, & incolumes erunt.
Quum carne corruptiſſima
Tandem ſoluti, ac liberi
Pulcherrimo vitæ ſtatu
In arce lucebunt patris,
Non ſorditati, aut debiles,
Sicut videntur interim,
Sed purpurantibus ſtolis

UVA. BHSC. BV-10932

Clari

Clari, & coronis aureis.
Tum si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes seculi
Velim recensendos dari,
Pannis videres obsitos,
Et mucculentis naribus,
Mentum salivis vuidum,
Lippósque palpebra putri.
Peccante nil est tetrius,
Nil tum leprosum aut putridum,
Cruda est cicatrix criminum,
Olétque vt antrum tartari.
Animabus inuersa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher aspectus prius
In corpore oblectauerat.
En ergo nummos aureos,
Quos proximè sponderam,
Quos nec faucillis obruat
Ruina nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes,
Gemmas corrusci *numinis,
Ornatur hoc templum quibus.
Eemis sacratas virgines,
Miteris intactas anus,
Primíque post damnum thori

* Lumin

UVA. BHSC. BU 10932

Ignis ſecundi neſcias.
Hoc eſt monile eccleſiæ,
His illa gemmis comitur,
Dotata ſic Chriſto placet,
Sic ornat altum verticem.
Eccum talenta ſuſcipe,
Ornabis vrbem Romulam,
Ditabis & rem principis,
Fies & ipſe ditior.
Ridemur, exclamat furens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur.
Et viuit inſanum caput?
Impunè tantas furcifer
Strophas cauillo mimico
Te nexuiſſe exiſtimas,
Dum ſcurra ſaltas fabulam?
Concinna viſa vrbanitas
Tractare noſmet ludicris?
Egon' cachinnis venditus
Acroma feſtiuum fui?
Adeŏne nulla auſteritas,
Cenſura nulla eſt faſcibus?
Adeon' ſecurim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis, libenter oppetam,
Votiua mors eſt martyri.
Eſt iſta vobis (nouimus)

UVA. BHSC. BU 10932

Persuasionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
Præstetur vt mortis citæ
Compendiosus exitus.
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Pœnis morarum iugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes sternite,
Ne feruor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat,
Qui fusus efflatu leui
Tormenta sensim temperet,
Semustulati corporis.
Bene est quod ipse ex omnibus
Mysteriarches incidit,
Hic solus exemplum dabit
Quid mox timere debeant.
*Conscende*constratum rogum,* *cõstruc
Decumbe digno lectulo.
Tunc, si libebit, disputa
Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante præfecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,

UVA. BHSC. BU 10982

Vincire membra, & tendere.
Illi os decore ſplenduit,
Fulgórque circunfuſus eſt.
Talem reuertens legifer
De monte vultum detulit,
Iudæa quem plebs aureo
Boue inquinata, & decolor
Expauit & faciem retro
Detorſit impatiens Dei.
Talémque & ille prætulit
Oris coruſci gloriam,
Stephanus per imbrem ſaxeum
Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
Baptiſma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.
Aſt impiorum cæcitas,
Os oblitum noctis ſitu
Nigrante ſub velamine
Obducta, clarum non videt,
Aegyptiæ plagæ in modum,
Quæ cum tenebris barbaros
Damnaret: Hebræis diem
Sudo exhibebat lumine.
Quin ipſa odoris qualitas,
Aduſta quam reddit cutis,
Diuerſa vtroſque permouet,

UVA. BHSC. BV 10932

His nidor, illis nectar est.
Idémque sensus dispari
Variatus aura, aut adficit
Horrore nares vindice:
Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus.
Nam Christus ignis verus est,
Is ipse complet lumine
Iustos, & vrit noxios.
Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus:
Vltro è cataста iudicem
Compellat affatu breui.
Conuerte partem corporis
Satis crematam iugiter,
Et fac periclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inuerti iubet:
Tunc ille, coctum est, devora,
Et experimentum cape
Sit crudum, an assum suauius.
Hæc ludibundus dixerat.
Cælum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat
Miseratus vrbem Romulam.
O Christe numen vnicum
O splendor, ô virtus patris,
O factor orbis, & poli,

UVA. BHSC. BU 10934

Atque auctor horum mœnium.
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togæ
Seruire, & armis cedere,
Vt discrepantum gentium
Mores & obseruantiam,
Linguæsque, & ingenia, & sacra,
Vnis domares legibus:
Ex omne sub regnum Remi
Mortale concesit genus,
Idem loquuntur dissoni
Ritus id ipsum sentiunt,
Hoc destinatum quò magis
Ius Christiani nominis
Quodcunque terrarum iacet
Vno illigaret vinculo.
Da Christe Romanis tuis
Sit Christiana vt ciuitas,
Per quam dedisti, vt cæteris
Mens vna sacrorum foret.
Confederentur omnia:
Hinc inde membra in symbolum,
Mansuescat orbis subditus,
Mansuescat & summum caput.
Aduertat abiunctas plagas
Coire in vnam gratiam,
Fiat fidelis Romulus,

Et ipse

UVA. BHSC. BU 10932

Et ipse iam credat Numa.
Confundit error Troicus,
Adhuc Catborum curiam.
Veneratur occultis focis
Phrygum penates exules.
Ianum bifrontem & Sterculum
Colit senatus, horreo
Tot monstra patrum dicere,
Et festa Saturni senis.
Absterge Christe hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat vt verum Deum
Errans Iulica cæcitas.
Et iam tenemus obsides
Fidissimos huius spei,
Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes.
Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens
*Primam, recludit creditas
Aeternitatis ianuas.
Discede adulter Iuppiter
Stupro sororis oblite,
Relinque Romam liberam,
Plebémque iam Christi fuge,
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,
Tibi id, quod ipse armaueras

*prin

UVA. BHSC. BV 10932

Factum Neronis officit.
Video futurum principem
Quandoque, qui seruus Dei
Tetris sacrorum sordibus
Seruire Romam non sinat:
Qui templa claudat vectibus,
Valuas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina,
Obdens ahenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora,
Stabunt & æra innoxia,
Quę nunc habentur idola.
Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis, erupit volens
Vocem sequutus spiritus,
Vexere corpus subditis
Cervicibus quidam patres.
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat,
Repens medullas indoles
Afflarat, & coëgerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.
Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium,
Christi ad tribunal curritur.

UVA. BHSC. BU 10932

Plebs

Plebs in ſacellis rarior.
Sic dimicans Laurentius
Non enſe præcinxit latus:
Hoſtile ſed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.
Dum dæmon inuictum Dei
Teſtem laceſſit prælio:
Perfoſſus ipſe concidit,
Et ſtratus æternum iacet.
Mors illa ſancti martyris,
Mors vera templorum fuit,
Tunc Veſta Palladios lares
Impunè ſenſit deſeri.
Quicquid Quiritum ſueuerat
Ornare nænias Numæ
Chriſti frequentans atria,
Hymnis reſultat martyrem,
Ipſa & ſenatus lumina
Quondam Luperci, aut Flamines,
Apoſtolorum & martyrum
Exoſculantur limina.
Videmus illuſtres domos,
Sexu ex vtroque nobiles
Offerre votis pignora
Clariſſimorum liberum.
Vittatus olim pontifex
Accitur inſignum crucis,
Aedémque Laurenti tuam

UVA. BHSC. BU 10[illegible]2

Vestalis intra Claudia.
Oter quatérq;,& septies
Beatus Vrbis incola,
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat ossium.
Cui propter aduolui licet
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.
Nos Vasco Hiberus diuidit
Binis remotos alpibus
Trans Cotianorum iuga,
Trans & Pyrenas ninguidos.
Vix fama nota est,abditis
Quàm plena sanctis Roma sit
Quàm diues vrbanum solum
Sacris sepulcris floreat.
Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cœlum intuemur eminus.
Sic sancte Laurenti tuam
Nos passionem quærimus,
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis,mentis polo.
Illic inenarrabili
Allectus vrbi municeps
Aeterne in arce curie

UVA. BHSC. BU 10932

Gestas coronam ciuicam.
Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.
Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Quod quisque supplex postulat
Fert impetratum prospere,
Poscunt, litantur, indicant,
Et tristis haud vllus redit.
Ceu præsto semper adsies,
Tuósque alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter ô Christi decus
Audi & poëtam rusticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua
Indignus agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et seruientem corpori,

UVA. BHSC. BU 10932

Absolue vinclis seculi.

HYMNVS IN LAVDEM *Eulaliæ virginis.*

Carmen monocolon, Alcmanium, dactylicum, hypercatalecticum: constans tribus Dactylis, & semipede, hoc modo:

– ∪∪ – ∪∪ – ∪∪ –

Carmine nobilis Eulalia,
Mortis & indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam
Cuius ab vbere progenita est
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Vrbe potens, populis locuples,
Sed magè sanguine martyrij,
Virgineoq; potens titulo.
Curriculis tribus atque nouem
Treis hyemes quater attigerat,
Cùm crepitante pyra trepidos
Terruit aspera carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Iam dederat prius indicium,
Tendere se patris ad solium,
Nec sua membra dicata thoro

OVA. BHSC. BU 10232

Ipsa

Ipſa crepundia reppulerat,
Ludere neſcia puſiola.
Spernere ſuccina, flere roſas,
Fulua monilia reſpuere,
Ore ſerena, modeſta gradu,
Moribus & nimium teneris
Caniciem meditata ſenum.
Aſt vbi ſe furiata lues
Excitat in famulos Domini,
Chriſticoláſque, cruenta iubet
Thura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis:
Infremuit ſacer Eulaliæ
Spiritus, ingeniíque ferox
Turbida frangere bella parat,
Et rude pectus, anhela Deo
Fœmina prouocat arma virum.
Sed pia cura parentis agit
Virgo animoſa domi vt lateat,
Aodita rure & ab vrbe procul,
Ne fera ſanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat.
Illa peroſa quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores ſine teſte mouet,
Septáque clauſtra fugax aperit,
Inde per inuia carpit iter.
Ingreditur pedibus lacertis,

UVA. BHSC. BU 10932

Per loca ſenta ſitu, & vepribus,
Angelico comitata choro,
Et licet horrida nox ſileat,
Lucis habet tamen illa ducem,
Sic habuit generoſa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebroſa potens,
Nocte viam face perſpicua
Præſtitit intereunte Chao.
Non aliter pia virgo viam
Nocte ſequuta diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica cùm fugeret,
Et ſuper aſtra pararet iter.
Illa gradu cita peruigili,
Millia multa prius peragit,
Quàm plaga pandat Eoa polum.
Mane ſuperba tribunal adit,
Faſcibus adſtat & in mediis,
*Vociferans, rogo quis *pudor eſt furer.*
Perdere præcipites animas,
Et male prodiga corda ſui
Sternere raſilibus ſcopulis,
Omnipotrémq; negare Deum?
Quæritis ô miſeranda manus
Chriſticolum genus? En ego ſum
Demonicis inimica ſacris,
Idola protero ſub pedibus,

UVA. BHSC. BC 10932

Pectore & ore Deum fateor,
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus & ipse nihil.
Illa nihil, quia facta manu:
Hic, manuum, quia facta colit:
Friuola vtráq;, & vtráq; nihil.
Maximianus opum Dominus,
Et tamen ipse cliens lapidum,
Prostituat, voueátque suis
Numinibus caput ipse suum,
Pectora cur generosa quatit?
Dux bonus, arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo,
Corporibúsque, piis inhians
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet & excruciare fidem.
Ergo age tortor adure seca,
Diuide membra coacta luto.
Soluere rem fragilem facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus.
Talibus excitus in furias
Prætor, ait rape præcipitem
Lictor, & obrue suppliciis,
Sentiat esse deos patrios,
Nec leue principis imperium.
Quàm cuperem tamen ante necem
Si potis es reuocare tuam

UVA. BHSC. BU 10932

Torua puellula nequitiam.
Respice gaudia quanta metas
Quæ tibi fert genialis honor,
Te lacrymis labefacta domus
Prosequitur, generisq; tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus & thalamo.
Non monet aurea pompa theri,
Non pietas veneranda furum,
Quas temeraria debilitas,
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitij.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facilis data fimisicæ,
Flebilitérque vlulanda tuis
In cineres resoluta flues.
Hæc, rogo quis labor est fugere?
Si modicum salis exiguis
Iuris & exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis,
Pœna grauis procul abfuerit.
Martyr ad ista nihil, sed enim
Infremit, inq; tyranni oculos
Sputa iacit, simulacra debinc
Dissipat, impositamq; molam
Thuribulis tede prosubigit.

UVA. BHSC. BU 10932

Ne

Nec mora, carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant,
Et latus vngula virgineum
Pulsat vtrinque & ad ossa secat
Eulalia numerante notas.
Scriberis ecce mihi Domine,
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua Christe trophea notant,
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.
Haec sine fletibus & gemitu
Leta canebat, & intrepida,
Dirus abest dolor ex animo,
Membráque picta cruore roso
Fonte cutem recalente lauant.
Vltima carnificina dehinc
Non laceratio vulnifica
Cratetenus, nec arata cutis,
Flamma sed vndiq; lampadibus
In latera, stomachúmque furit.
Crinis odorus vt in iugulos
Fluxerat, inuolitans humeris,
Qz pudibunda pudicitia,
Virgineúsq; lateret honos,
Tegmine verticis oppósito:
Flamma crepans volat in faciem,
Pérque comas vegetata caput
Occupat, experátq; apicem:

UVA. BHSC. BU 10932

Virgo citò cupiens obitum,
Appetit & bibit ore rogum.
Emicat inde columba repens,
Martyris os niue candidior
Visa relinquere, & astra sequi:
Spiritus hic erat Eulaliæ
Lacteolus, celer, innocuus.
Colla fluunt abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur,
Pax datur auribus exanimis,
Flatus in æthere plaudit ouans,
Templáque celsa petit volucer.
Vidit & ipse satelles auem
Fœminæ ab ore meare palam,
Obstupefactus, & attonitus
Prosilit, & sua gesta fugit.
Lictor & ipse fugit pauidus.
Ecce niuem glacialis hyems
Ingerit, & tegit omne forum,
Membra tegit simul Eulaliæ
Axe iacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli.
Cedat amor lacrymantum hominum
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat & officium,
Ipsa elementa iubente Deo
Exequias tibi virgo ferunt.
Nunc locus Emerita est tumulo

UVA. BHSC. BU 10932

Cla-

Clara colonia Vettoniæ,
Quam memorabilis amnis Ane
Præterit, & viridante rapax
Gurgite, mœnia pulchra lauat.
Hic vbi marmore perſpicuo
Atria luminat alma nitor,
Et peregrinus, & indigena
Reliquias, cineréſque ſacros
Seruat humus veneranda ſinu.
Tecta coruſca ſuperrutilant
De laquearibus aureolis,
Saxáque cæſa ſolum variant
Floribus vt roſulenta putes
Prata rubeſcere multimodis.
Carpite purpureas violas,
Sanguineosq́; crocos metite,
Non caret his genialis hyems,
Laxat & arua tepens glacies,
Floribus vt cumulet calathos.
Iſta comantibus è foliis
Munera virgo puerq́; date,
Aſt ego ſerta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, feſta tamen.
Sic venerarier oſſa libet,
Oſſibus altar & impoſitum,
Illa Dei ſita ſub pedibus
Proſpicit hæc, populoſq́; ſuos

* alta

UAM BHSC. BU 10932

Carmine propitiata fouet.

HYMNVS IN LAVDEM *decem & octo Martyrum Cæ-saraugustanorum.*

Ode dicolos tetrastrophos tres versus sunt Sapphici hendecasyllabi, quartus Adonius, eius modi cuius hymnus post Ieiunium, Christe seruorum.

Bis nouem noster populus sub vno
Martyrum seruat cineres sepulcro,
Cæsaraugustam vocitamus vrbem,
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.
Quum Deus dextrã quatiens coruscam
Nube sebnixus veniet rubente,
Gentibus instans posturus æquo
Pondere libram:
Orbe de magno capiet excitata
Obuiam Christo properanter ibit,
Ciuitas omnis pretiosa portans
Dona canistris.
Afra Carthago tua promet ossa
Ore facundo Cypriane doctor:

UVA. BHSC. BU 10932

Corde-

Corduba Aciſclum dabit, & Zoëllum,
Treſque coronas.
Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Chriſto genitrix piorum
Tarraco, intexit cui Fructuoſus
Sutile vinclum.
Nomen hoc gemmæ ſtrophio illigatum eſt,
Emicant iuxta lapides gemelli,
Ardet & ſplendor paribus duorum
Igne coruſco.
Parma Felicis decus exhibebit
Artubus ſanctis locuples Gerunda,
Noſtra geſtabit Calagurris ambos,
Quos veneramur.
Barchinon claro Cucufate freta
Surget, & Paulæ ſpecioſa Narbo,
Tèque prapollens Arelas habebit
Sancte Geneſi.
Luſitanorum caput eppidorum
Vrbs Adorata cineres puellæ
Obulam Chriſto rapiens, ad aram
Porriget ipſam.
Sanguinem iuſti cui paſtor hæret,
Ferculum duplex, geminúmque donum
Ferre Complutum gremio inhabit
Membra duorum.
Ingeret Tingis ſua Caſſianum
Feſta Maſſylum monumenta regum.

UVA. BHSC. BU 10932

Qui cinis gentes domitas coëgit
Ad iuga Christi.
Singulis paucæ tribus aut duobus
Forsan & quinis aliquæ placebunt,
Testibus Christi prius hostiarum
Pignore functæ.
Tu decem sanctos reuehes & octo
Cæsaraugusta studiosa Christi,
Verticem flauis oleis reuincta
Pacis honore.
Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti,
Sola prædiues pietate multa
Luce frueris.
Vix parens orbis populosa Pæni,
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te decus nostrum superare in isto.
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis excluſit genus inuidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
Vrbe piata.
Nullus vmbrarum latet intus horror,
Pulsa nam pestis populum refugit,
Christus in totis habitat plateis,
Christus vbique est.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris, chorus vnde surgens

UVA. BHSC. BU 10932

Tendit in cœlum niueus togatæ
Nobilitatis.
Inde Vincenti tua palma nata est,
Clerus hinc tantum peperit triumphum,
Hinc sacerdotum domus infulata
Valeriorum.
Sæuus antiquis quoties procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris,
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine creuit.
Nónne Vincenti peregre necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt ciues, velut ipsa membra
Cespes includat suus, & paterno
Seruet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamuis procul hinc in vrbe
Passus ignota, dederit sepulcro
Gloriam victor, prope littus altæ
Forte Sagunti.
Noster & nostra puer in palestra
Arte virtutis, fideíq; oliuo

* sepulcri

UVA. BHSC. BU 10932

Vnctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Nouerat templo celebres in isto
Octies partas, deciésq; palmas
Laureis doctus patriis, eadem
Laude cucurrit.
Hic & Encratis recubant tuarum
Ossa virtutum, quibus efferati
Spiritum mundi violenta virgo
Dedecorasti.
Martyrum nulli remanente vitæ
Contigit terris habitare nostris,
Sola tu morti propriæ superstes
Viuis in orbe.
Viuis, ac pœnæ seriem retexis,
Carnis & cæsæ spolium retentans,
Tetra quàm sulcos habeant amaros
Vulnera narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscisa patuit papilla
Corde sub ipso.
Iam minus mortis pretium peractæ est,
Quæ venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
*Fine*supremo*
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor hæsit ardens,

oporo.

UVA. BHSC. BU 10932

Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Inuidus quamuis obitum supremum
Persequutoris gladius negarit,
Plena te martyr tamen vt peremptam
Pœna coronat.
Vidimus partem iecoris reuulsam,
Vngulis longe iacuisse pressis,
Mors habet pallens aliquid tuorum
Te quoque viua.
Hunc nouũ nostræ titulum fruẽdum
Cæsarauguſtæ dedit ipse Christus,
Iuge viuentis domus vt dicata
Martyris esset.
Ergo ter senis sacra candidatas
Dives optato, simul & Luperco
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.
Ede Successum, cane Martialem,
Mors & Vrbani tibi concinatur,
Iuliam cantus resonet, simúlque
Quintilianum.
Publium pangat chorus, & reoluat
Quale Frontonis fuerit trophæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cecilianus.
*Quantus*Euenti tua bella sanguis*
Tinxerit, quantus tua Primitiue,

*He

UVA. BHSC. BU 10932

Tum tuos viuax recolat triumphos
Laus Apodami.
Quattuor posthinc supereſt virorum
Nomen extolli, renuente metro,
Quos Saturninos memorat vocatos
Priſca vetuſtas.
Carminis leges amor aureorum
Nominum parui facit, & loquendi
Cura de ſanctis vitioſa non eſt
Nec rudis vnquam.
Plenus eſt artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Chriſto,
Quas tenet cœli liber explicandus*
Tempore iuſto.
Octo tunc ſanctos recolet decémque
Angelus, coram patre, filióq;
Vrbis vnius regimen tenentes
Iuxta ſepulcri.
Quin ad antiquum numerum trahentur
Viua poſt pœnæ ſpeciem puella,
Morsq; Vincenti, cui ſanguis hinc eſt
Fons & honoris:
Additis Gaio (nec enim ſilendi)
Teq; Crementi, quibus incrementum
Ferre prouenit decus, ex ſecundo
Laudis agone.
Ambo confeſſi Dominum ſteterunt
Acriter contra fremitum latronum,

UVA. BHSC. BU 10932

Am-

Ambo gustarunt leuiter saporem
Martyriorum.
Hæc sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba quam seruat procerum creatrix
Purpureorum.
Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, vt absoluam retinaculorum
Vincla meorum.
Sterne te totam generosa sanctis
Ciuitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas, & artus
Tota sequeris.

HYMNVS IN LANDEM
Vincentij martyris.

Mensura catminis eadem est quæ fuit
Hymni matutini, Ales diei.

Beate martyr prospera
Diem triumphalem tuum,
Quo sanguinis merces tibi
Corona vincenti datur.
Hic te ex tenebris seculi
Tortore victo & iudice,
Euexit ad cælum dies,
Christoq; ouantem reddidit.

UVA. BHSC. BU 10932

Nunc angelorum particeps,
Colluces insigni stola,
Quam testis indomabilis
Riuis cruoris laueras.
Quum te satelles idoli
Præcinctus atris legibus,
Litare diuis gentium
Ferro, & catenis cogeret.
Ac verba primum mollia
Suadendo blandè effuderat
Captator, vt vitulum lupus
Rapturus, alludit prius,
Rex, inquit, orbis maximus.
Qui sceptra gestat Romula,
Seruire sanxit omnia
Priscis deorum cultibus.
Vos Nazareni assistite,
Rudémque ritum spernite,
Hæc sacra, quæ prĩceps colit,
Placate fumo, & victima.
Exclamat hic Vincentius,
Leuita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem ex columnis lacteis.
Tibi ista præsint numina,
Tu saxa, tu lignum colas.
Tu mortuorum mortuus
Fias deorum pontifex.

UVA. BHSC. BU 10932

Nos lucis auctorem patrem,
Eiúsque Christum filium,
Qui solus, ac verus Deus,
Datiane confitebimur.
Hic ille iam commotior,
Audes ne non felix, ait,
Ius hoc deorum, & principum,
Violare verbis asperis?
Ius & sacratum, & publicum,
Cui cedit humanum genus?
Nec te iuuentæ feruidæ
Instans periculum permouet.
Hoc nanq; decretum cape,
Aut ara thure, & cespite
Precanda iam nunc est tibi:
Aut mors luenda est sanguine.
Respondit ille altrinsecus,
Age ergo quicquid virium,
Quicquid potestatis tibi est,
Palàm reluctor, exere.
Vox nostra quæ sit, accipe,
Est Christus, & pater Deus,
Serui huius & testes sumus,
Extorque si potes fidem.
Tormenta, carcer, vngulæ,
Stridénsque flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum vltima
Mors Christianis ludus est.

UVA. BHSC. BU 10932

O vestra inanis vanitas,
Scitúmque brutum Cæsaris,
Condigna vestris sensibus
Coli iubentis numina,
Excisa fabrili manu,
Cauis recocta & follibus
Quæ voce, quæ gressu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His sumptuosa splendido
Delubra crescunt marmore,
His colla mugientium
Percussa taurorum cadunt.
Adsunt & illic spiritus,
Sunt sed magistri criminum,
Vestræ & salutis aucupes
Vagi, impotentes, sordidi,
Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare iustos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt & ipsi, ac sentiunt
Pollere Christum, & viuere
Eiúsque iam iámque affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes deniq;
Pulsi è latebris corporum
Virtute Christi & nomine,
Diuíque & ijdem dæmones.

UVA. BHSC. BU 10932

His intonantem martyrem
Iudex profanus non tulit,
Conclamat, os obtrudite,
Ne plura iactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptimq; lictores date,
Illos reorum carnibus
Pastos, maniúque exercitos.
Iam faxo ius prætorium
Conuitiator sentiat,
Impune ne nostris sibi
Diis destruendis luserit.
Tibi ergo soli contumax
Tarpeia calcentur sacra?
Tu porrò solus obteras
Romam, senatum, Cæsarem?
Vinctum retortis brachiis,
Sursum, ac deorsum extendite,
Compago donec ossium
Diuulsa, membratim crepet.
Post hinc hiulcis ictibus
Nudate costarum abdita,
Vt per lacunas vulnerum
Iecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus vngula.

UVA. BHSC. BU 10932

satellitū. Ac iam omne robur fortium
Euiscerando cesserat.
Nisiisque anhelus soluerat
Fessos lacertorum toros.
Ast ille tanto lætior,
Omni vacantem nubilo
Frontem serenam luminat,
Te Christe præsentem videns.
Quis vultus iste proh pudor?
Datianus aiebat furens.
Gaudet, renidet, prouocat,
Tortore tortus acrior.
Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
Ars & dolorum vincitur.
Sed vos alumni carceris,
Par semper inuictum mihi
Cohibete paulum dexteræ,
Respiret vt lassus vigor,
Præsicca rursus vlcera,
Dum se cicatrix colligit
Refrigerati sanguinis,
Manus resulcans diruat.
His contra Leuites refert,
Si iam tuorum perspicis
Languere virtutem canum:
Age ipse maior carnifex.

Offen-

UVA. BHSC. BU 10932

Ostende quo pacto queant
Imos recessus scindere,
Manus & ipse intersere
Riuósque feruentes bibe.
Erras cruente, si meam
Te rere pœnam sumere,
Quum membra morti obnoxia
Dilaniata interficis.
Est alter hîc intrinsecus,
Violare quem nullus potest,
Liber, quietus integer,
Exors dolorum tristium.
Hoc quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum, ac fictile,
Quocunque frangendum modo.
Quinimo nunc enitere
Illum secare, ac plectere,
Qui perstat intus, qui tuam
Calcat tyranne insaniam.
Hunc hunc lacesse, hunc discute
Inuictum & insuperabilem,
Nullis procellis subditum,
Solique subiectum Deo.
Hæc fatur, & stridentibus
Laniatur vncis denuo,
Cui prætor ore subdolo
Anguina verba exsibilat

UVA. BHSC. BU 10932

Si tanta callum pectoris
Præ durat obstinatio,
Puluinar vt nostrum mane
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
Librósque opertos detege,
Quo secta prauum seminans
Iustis cremetur ignibus.
His martyr auditis, ait:
Quem tu maligne mysticis
Minitaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc iustius.
*Romphæa*nam cœlestium*
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem,
Linguam perurens fulmine.
Vides fauillas indices
Gomorrheorum criminum,
Sodomita nec latet cinis,
Testis perennis funeris.
Exemplar hoc serpens tuum est,
Fuligo quem mox sulphuris,
Bitumen & mistum pice
Imo implicabunt tartaro.
His persequutor saucius
Pallet, rubescit, æstuat,
Insana torquens lumina,
Spumasq; frendens egerit,

*iam.

Tum

UVA. BHSC. BU 10932

Tum deinde cunctatus diu
Decernit extrema omnium
Igni grabato & laminis
Exerceatur quæstio.
Hæc ille sese ad munera
Gradu citato proripit,
Ipsúsque pernix gaudio
Pœnæ ministros præuenit.
Ventum ad palestram gloriæ
Spes certat, & crudelitas
Luctamen anceps conserunt,
Hinc martyr, illinc carnifex.
Serrata lectum regula
Dente in frequenti exasperat,
Cui multa carbonum strues
Viuum vaporat halitum.
Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito.
Ceu iam coronæ conscius,
Celsum tribunal scanderet.
Subter crepante aspergine
Scintillat excussus salis,
Punctísque feruens stridulis
Sparsim per artus figitur.
Aruina posthæc igneum
Impressa cauterem lauit,
Vis vnde roris sumidi
In membra sensim liquitur.

UVA. BHSC. BU 10933

Hæc inter immotus manet
Tanquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina:
Nam vincla palmas presserant.
Sublatus inde fortior,
Lugubre in antrum truditur:
Ne liber vsus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Aeterna nox illic latet
Expers diurni syderis,
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum coniicit
Truculentus hostis martyrem.
Lignóque plantas inserit
Diuaricatis cruribus.
Quin addit & pœnam nouam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam
Nec fando compertamretro.
Fragmenta testarum iubet
Hirta impolitis angulis
Acuminata, informia,
Tergo iacentis sternerent.

Tot

UVA. BHSC. BU 10932

Totum cubile ſpiculis
Armant dolores anxij,
Inſomne qui ſubter latus
Mucrone pulſent obuio.
Ec ille verſutus, vafra
Meditatus arte ſtruxerat
Sed Belzebulus callida
Commenta Chriſtus deſtruit.
Nam carceralis cæcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morſus ſtipitis
Ruptis cauernis diſſilit.
Agnoſcit hic Vincentius
Adeſſe quod ſperauerat
Tanti laboris præmium,
Chriſtum datorem luminis.
Cernit deinde fragmina
Iam teſtularum mollibus
Veſtire ſemet floribus
Redolente nectar carcere.
Quin & frequentes angeli
Stant, ac loquuntur cominus,
Quorum vnus ore auguſtior
Compellat his dictis virum.
Exurge martyr inclyte,
Exurge ſecurus tui,
Exurge, & almis cœtibus
Noſter ſodalis addere.

UVA. BHSC. BU 1092

Decurſa iam ſatis tibi
Panæ minacis munia,
Pulchróque mortis exitu
Omnis peracta eſt paſſio.
O miles inuictiſsime,
Fortiſsimíſque fortior,
Iam te ipſa ſæua & aſpera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator hæc Chriſtus Deus
Compenſat æuo interminо,
Propriíq; cellegam crucis
Larga coronat dextera.
Pone hoc caducum vaſculum
Compage textum terrea,
Quod diſſipatum ſoluitur,
Et liber in cœlum veni.
Hæc ille, ſed clauſas fores
Interna rumpunt lumina,
Tenuíſque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
Hæc cùm ſtuperet territus
Obſeſſor atri luminis:
Quem cura pernox manſerat
Seruare feralem domum:
Fallentis audit inſuper
Prædulce carmen martyris,
Cui vocis inſtar æmulæ
Conclaue reddit concauum.

Pauens

UVA. BHSC. BU 10932

Pauens deinde introſpicit,
Admota quantum poſtibus
Acies per arctas cardinum
Intrare iuncturas poteſt.
Vernare multis floribus
Stramenta teſtarum videt,
Ipſumq; vulſis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Prætoris hoc miraculo,
Flet victus, & voluit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
Exemptus inquit carcere,
Paulum benignis fotibus
Recreetur, vt paſtum nouum
Pœnis refectus præbeat.
Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præſultum totum,
Siccare cruda vulnera,
Ille vngularum duplices
Sulcos pererrat oſculis,
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique veſtem lineam
Stillante tinguunt ſanguine,
Tutamen vt ſacrum ſuis
Domi reſeruent poſteris.

UVA. BHSC. BU 10[illegible]2[illegible]

Tunc ipſe manceps carceris,
Et vinculorum ianitor,
Vt fert vetuſtas conſcia,
Repentè Chriſtum credidit.
Hic obſecratis vectibus
Denſæ ſpecum caliginis
Splendore lucis aduenæ
Micuiſſe clauſum viderat.
At verò poſtquàm lectuli
Martyr quietem contigit,
Aeger morarum tedio
Eſt mortis incenſus ſiti.
(Si mors habenda hniuſmodi eſt.
Quæ corporali ergaſtulo
Mentem reſoluit liberam.
Et reddit auctori Deo.
Mentem piatam ſanguine,
Mortis lauacris inclytam.
Quæ ſemet ac vitam ſuam
Chriſto immolandam præbuit.)
Ergo vt recline mollibus
Reiecit auleis caput,
Victor relictis artubus
Cœlum capeßit ſpiritus.
Cui recta celſo tramite
Reſeratur ad patrem via,
Quam fratre cæſus impio
Abel beatus ſcanderat.

Stipans

UVA. BHSC. BV 10932

Stipant euntem candidi
Hinc inde ſanctorum chori,
Paríque miſſus carcere
Baptiſta Ioannes vocat,
At Chriſtiani nominis
Hoſtem coquebant irritæ
Fellis venena, & liuidum
Cor efferata exuſſerant.
Sæuire inermem crederes
Fractis draconem dentibus
Euaſit exaltans ait
Rebellis & palmam tulit,
Sed reſtat illud vltimum
Inferre pœnam mortuo
Feris cadauer tradere,
Canibúsve carpendum dare.
Iam nunc & oſſa extinxero,
Ne ſit ſepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulúmque figat martyris.
Sic frendit, & corpus ſacrum
Profanus, ah dirum nefas,
Nudum negato tegmine
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames,
Aut beſtiarum aut alitum,
Audet tropheum gloriæ
Fœdare tactu ſqualido.

UVA. BHSC. BV 10932

Quin ſi qua clangens improbè
Circumuolaret eminus
Trucis volucris impetus
Depulſa vertebat fugam,
Nam coruus Heliæ datus
Olim, ciborum portitor,
Hoc munus implet ſedulo,
Et irremotus excubat.
Hic ex frutetis proximis
Infeſtus alarum ſono,
Oculóſque pennis verberans
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Auſit, rapacem belluam
Tauris paratam congredi,
Ceßiſſe plumis mollibus?
Ibat malignum murmurans
Leui volatu exterritus,
Prædámque viſam fugerat
Cuſtodis imbellis minis.
Quis audienti talia
Datiane tunc ſenſus tibi?
Quantis gementem ſpiculis
Figebat occultus dolor?
Quum te perempti corporis
Virtute victum cerneres,
Ipſis & impar oſſibus,
Vacuíſque iam membris minorì

UVA. BHSC. BU 10932

Sed

Sed quis tyranne pertinax
Hunc impotentem ſpiritum
Determinabit exitus?
Nullúsne te frangat modus?
Nullus, nec vnquam deſinam,
Nam ſi ferina immanitas
Manſueſcit, & clementia
Coruos voraces mitigat:
Mergam cadauer fluctibus:
Inſana nunquam naufragis
Ignoſcit vnda, & ſpumeum
Neſcit profundum parcere.
Aut ſemper illic mobilis
Incerta per ludibria
Auſtris feretur flantibus,
Squamoſa paſcens agmina:
Aut ſub fragoſis rupibus
Scabri petrarum murices
Inter receſſus ſcrupeos
Diſciſſa rumpent viſcera.
Ecquis virorum ſtrenuè
Cymbam peritus pellere
Remo, rudente, & carbaſo,
Secare qui pontum queas?
Rapias paluſtri è ceſpite
Corpus, quod intactum iacet
Leuíque vectum lembulo
Amplum per æquor auferas.

UVA. BHSC. BU 10932

Sed complicatum spartevs
Claudat cadaver cvllevs,
Qvem fvne connexvs lapis
Præceps in altvm deprimat.
At tv per vndas emices
Roravte præceps palmvla,
Donec relictvm longior
Abscondat aspectvs solvm.
Hæc ipsa quidam militvm,
(Enmorphio nomen fvit,)
Violentvs, audax, barbarvs,
Furore fervens arripit.
Funale textum conserit
Suto, quod implet corpore,
Emensvs & multvm freti,
Inter procellas excvtit.
O præpotens virtvs Dei,
virtvs creatrix omnivm
Quæ turgidvm quonda mare
Gradiente Christo stravit,
Vt terga calcans æquoris
Siccis mearet passibvs,
Plantas nec vndis tingveret
Vasti viator gvrgitis.
Hæc ipsa virtvs insserat
Rubrvm salvm debiscere,
Patente dvm fvndo aridvm
Secvra plebs iter legit.

Ne

UVA. BHSC. BU 10932

Nécnon & ipſa nunc iubet
Seruire ſancto corpori
Pontum quietis lapſibus
Ad curua pronum littora.
Saxum molaris ponderis
Vt ſpuma candens innatat,
Tantíque cuſtos pignoris
Fiſcella fertur fluctibus,
Cernunt ſtupentes nauite
Veſtam remenſo marmore,
Labi retrorſum leniter
Aeſtu ſecundo, & flamine.
Certant & ipſi concito
Pontum phaſelo ſcindere,
Longe ſed artus præuolant
Telluris ad mollem ſinum.
Prius relatos denique
Hæmus quieta ſuſcipit,
Quàm pulſa ſummis niſibus
Carina portum tangeret.
Felix amœni littoris
Receſſus ille, qui ſacra
Fouens harenis viſcera
Vicem ſepulcri præbuit.
Dum cura ſanctorum pia
Dcflens adornat aggerem,
Tumulóque corpus creditum
Vitæ reſeruat poſtere

UVA. BHSC. BU 10932

Sed mox ſubactis hoſtibus,
Iam pace iuſtis reddita,
Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus.
Subiecta nam ſacrariis.
Imámque ad aram condita,
Cœleſtis auram muneris
Perfuſa ſubter hauriunt,
Sic corpus. Aſt ipſum Dei
Sedes receptum continet,
Cum Maccabæis fratribus,
Secto Iſaiæ proximum,
Simplex ſed illis contigit
Corona pœnarum, quibus
Finem malorum præſtitit
Mortis ſupremus exitus.
Quid tale ſector auſus eſt?
Truncata nunquid corporis,
Segmenta poſt ſerram feris
Obiecit, aut vndis dedit?
Num Maccabæi martyris
Linguam tyramus crutam,
Ruptámve pellem verticis
Auibus cruentis obtulit.
Tu ſolus o bis inclyte,
Solus brauij duplicis
Palmam tuliſti, tu duas
Simul paraſt laureas

UVA. BHSC. BU 10932

In morte victor aspera,
Tum deinde post mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.
Adesto nunc, & percipe
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum patris.
Per te, per illum carcerem
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, vngulas,
Per carceralem stipitem,
Per fragmen illud testeum,
Quo parta creuit gloria,
Per quem trementes posteri
Exosculamur lectulum,
Miserere nostrarum precum,
Placatus vt Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si ritè solennem diem
Veneramur ore, & pectore,
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur.
Paulisper huc illabere
Christi fauorem deferens,
Sensus grauati vt sentiant
Leuamen indulgentiæ.

UVA. BHSC. BU 10932

Sic nulla iam reſtet mora
Quin excitatam nobilis
Carnem reſumat ſpiritus,
Virtute perfunctam pari.
Vt quæ laborum particeps
Commune diſcrimen tulit,
Sit & cohæres gloriæ
Cunctis in æuum ſeculis.

HYMNVS BEATISSIMORUM martyrum Fructuoſi, Epiſcopi eccleſiæ Tarraconenſis, & Augurij, & Eulogij diaconi.

Conuenit carminis genus cum hymno poſt cibum, Paſtis viſceribus hoc modo.

— — — ◡◡ — ◡ — ◡ — ◡

FELIX Tarraco Fructuoſe veſtris
Attollit caput ignibus coruſcum
Leuitis geminis procul relucens.
Hiſpanos Deus aſpicit benignus,
Arcem quandoquidem potens Hiberam
Trino martyre trinitas coronat.
Ardens Augurius capeſſit æthram.
Necnon Eulogius ſimul ſupernum
Chriſti lucidus ad ſedile tendit.
Dux & præuius & magiſter illis

VNIVERSITAT DE BARCELONA 1932

Ad

Ad tantum decus, ex Episcopali
Clarus nomine Fructuosus ibat.
Accitus quia præsidis repentè
Iussu, venerat ad forum sacerdos
Leuitis comitantibus duobus,
Inde ad carceream viros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat,
Gaudet currere Fructuosus vltro.
At ne quis socios timor feriret,
Præceptor vehemens eundo firmat,
Incenditque fidem calore Christi,
Mecum state viri, vocat cruentus
Ad pœnam coluber Dei ministres,
Ne mors terreat, est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronæ est,
Carcer prouehit ad superna cœli,
Carcer conciliat Deum beatis.
His dictis adeunt specum reorum,
Exercent ibi mysticum lauacrum
Et purgamen aquæ stupent tenebræ.
Sex hic continuis latent diebus,
Tandem stant trucis ad tribunal hostis,
Fratres ter geminos tremunt catastæ.
Iudex Emilianus imminebat
Atrox, turbidus insolens, profanus,
Aras dæmonicas coli iubebat.
Tu qui doctor, ait, seris nouellum
Commenti genus, vt leues puellæ

UVA. BHSC. BU 10932

Lucos destituant, Iouem relinquant.
Damnes si sapias anile dogma,
Iussum est Cæsaris ore Gallieni
Quod princeps colit, hoc colamus omnes.
Hæc fanti placidus refert sacerdos.
Aeternum colo principem, dierum
Factorem dominúmque Gallieni,
Et Christum patre prosatum perenni,
Cuius sum famulus, gregísque pastor.
Subridens ait ille, iam fuisti,
Nec differt furor, aut refrenat iram,
Sæuis destinat ignibus cremandos,
Exultant, prohibéntque flere vulgum.
Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum offerentes.
Ieiunamus, ait, recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora,
Nunquam conuiolabo ius dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resoluet.
Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens, sitim peregit.
Intrant interea locum rotunda
Conclusum cauea, madens ferarum
Multo sanguine quem furor frequentat,
Tum spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, & fremit voluptas.

UVA. BHSC. BU 10932

Hic

Hic flammante pyra, niger minister
Ardens supplicium parare iussus,
Construxit facibus rogum supremis.
Qui dum corpora concremanda soluit,
Feruentes animas amore lucis
Fracto carceris expediuit antro.
Certant officiis pij sodales.
Plantus calceamenta dissolutis
Pronus detrahere studebat vnus:
Sed sanctus vetat ora fructuosus
Inclinata premi, facessite, inquit,
Ne nostram grauet obsequela mortem.
Atquin ipse meos pedes resoluam,
Ne vestigia præpedita vinclis
Tardis gressibus irruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur vestri memor vt siem rogatis?
Cunctis pro populis rogabo Christum.
Vix hæc ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum, velut Moyses
Quondam fecerat ad rubum propinquans.
Non calcare sacram crematione m,
Aut adstare Deo prius licebat,
Quàm vestigia pura figerentur.
*Stabat calce * mero. resultat ecce* *id est, nu*
Cælo spiritus, & serit loquelam
Quæ cunctos tremefecit audientes.
Non est credite pœna quam videtis,

UVA. BHSC. BU 1093

Quæ puncto tenui citata transit,
Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animæ, quibus per ignem,
Celsa scandere contigit tonantis:
Quas olim fugiet perennis ignis.
Hæc inter, rapidis focos crepantes
Intrant passibus, & minantur ipsis
Flammarum trepidantibus taminis.
Nexus denique, qui manus retrorsus
In tergum reuocauerant reuinctas,
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere pœna palmas
In morem crucis ad patrem leuandas.
Soluit brachia quæ Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens tyrannus.
Illis sed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.
Hos quum defugeret vaporus ardor,
Orant, vt celer ignis aduolaret,
Et finem daret anxijs periclis.
Exorata suos obire tandem
Maiestas famulos iubet caducis
Missos corporibus, sibíque reddi.
Vidit præsidis ex domo satelles
Cælum martyribus patere apertum,

UVA. BHSC. BU 10932

Insig

Insignésque viros per astra ferri.
Quin & filiolæ monens herili
Ostendit sceleris notam paterni.
Cœlo viuere, quos forum peremit.
Hæc tum virginitas palàm videre
Per sudum meruit, patente cœlo,
Vt crimen Domini domus timeret.
Tum de corporibus sacris familiæ,
Et perfusa mero leguntur ossa,
Quæ raptim sibi quisque vendicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne relliquias resuscitandas,
Et mox cum domino simul futuras,
Discretis loca diuidant sepulcris,
Cernuntur niueis stolis amicti,
Mandant restitui, cauóque claudi
Mixtim marmore puluerem sacrandum.
O triplex honor, ô triforme culmen
Quo nostræ caput excitatur vrbis,
Cunctis vrbibus eminens Hiberis.
Exultare tribus libet patronis,
*Quorum præsidio * fouentur omnes*
Terrarum populi Pyrenearum.
Circumstet chorus ex vtroque sexu,
Heros, virgo, puer, senex, anicla,
Vestrum psallite rite Fructuosum.

* fouentur

UVA. BHSC. BU 10932

Laudans Augurium resultet hymnus,
Mistis Eulogium modis coæquans,
Reddamus paribus pares Camœnas.
Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum littoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata pangant.
Olim tempus erit ruente mundo,
Quum te Tarraco Fructuosus acri
Soluet supplicio tegens ab igni.
Fors dignabitur & meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces Hendecasyllabos reuoluens.

HYMNVS QVIRINI
Martyris, & Episcopi Ecclesiæ Siscianæ.

Carmen est Glyconicum, constans Spondæo, Choriambo, & Pyrrhichio, seu Iambo, hoc modo:

— — — ∪∪ — ∪∪

INSIGNEM meritis virum
Quirinum placitum Deo
Vrbis mœnia Siscię
Concessum sibi martyrem
Complexu patrio fouent.
Hic sub Galerio duce,
Qui tunc Illiricos sinus

UVA. BHSC. BU 10932

Vrgebat

Vrgebat ditionibus,
Fertur catholicam fidem
Illustrasse per exitum.
Non illum gladij rigor
Non incendia, non feræ
Crudeli interitu necant,
Sed lymphis fluuialibus
Gurges dum rapit, abluit.
Nil refert vitreo æquore,
An de flumine sanguinis
Tinguat passio martyrem.
Aeque gloria prouenit
Fluctu quolibet vuida,
Sommo fontis ab ardui
Sanctæ plebis Episcopus
In præceps fluuio datur,
Suspensum laqueo gerens
Ingentis lapidem molæ.
Deiectum placidissimo
Amnis vertice suscipit,
Nec mergi patitur sibi,
Miris vasta natatibus
Saxi pondere sustinens.
Spectant eminus è solo
Doctorem pauidi greges,
Nam Christi populus frequens
Riparum sinuamina
Stipato agmine sepserat.

UVA. BHSC. BU 10932

Sed Quirinus vt eminens
Os circuntulit, heu ſuos
Extemplo trepidos videt,
Nil ipſe proprij memor
Inter ſtagna periculi.
Confirmat pia pectora,
Verbis mirificis rogans,
Ne quem talia terreant,
Ne conſtans titubet fides,
Aut pœnam putet emori.
Dicentem fluitantibus
Amnis terga vehunt vadis,
Nec ſubſtrata profunditas
Saxóque, & laqueo, & viro
Audet ſponte dehiſcere.
Senſit martyr Epiſcopus
Iám partam ſibi præripi
Palmam mortis, & exitus,
Aſcenſúmque negarier
Aeterni ad ſolium patris.
Ieſu cunctipotens, ait,
Haudquaquam tibi, gloria
Hæc eſt inſolita, aut noua,
Calcare fremitum maris,
Prona & flumina ſiſtere.
Scimus diſcipulum Petrum
Quum veſtigia tingueret
Mortali trepidus pede,

UVA. BHSC. BU 10932

Dextra

Dextræ subsidio tuæ
Subiecisse salum solo,
Iordanem quoque nouimus
Tortis vorticibus vagum,
Dum fertur rapido impetu,
Ad fontem resluis retro
Confugisse meatibus.
Hæc miracula sunt tuæ
Virtutis Domine, vt modo
Suspendar leue prænatans
Summo gurgite fluminis,
Cum collo scopulum traham.
Iam plenus titulus tui est,
Et vis prodita nominis,
Quam gentilis hebet stupor.
Absoluas precor optime
Huius nunc animæ moras.
Quid possis, probat amnicus
Qui vectat silicem liquor
Hoc iam quod supereſt cedo,
Quo nil est pretiosius
Pro te Christe Deus mori.
Orantem simul halitus,
Et vox deserit, & calor,
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus graue saxeum
Corpus suscipiunt aquæ.

LOCVS

UVA. BHSC. BU 10932

LOCVS VBI MARTYRES nunc paßi ſunt, quod Baptiſterium appellatur.

Carmen eſt Elegiacum.

ELECTVS Chriſto locus eſt, vbi corda probata
Prouehat ad cœlum ſanguine, purget aqua,
Hic duo purpureum Domini pro nomine cæſi
Martyrium pulchra morte tulere viri.
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne nouo.
Qui cupit æternum cœli conſcendere regnum,
Huc veniat ſitiens, ecce parata via eſt.
Ante coronati ſcandebant ardua teſtes,
Atria nunc lotæ celſa petunt animæ.
Spiritus æterno ſolitus deſcendere lapſu,
Vt dederat palmam, ſic tribuit veniam.
Haurit terra ſacros, aut fonte, aut ſanguine rores
Exundátque ſuo iugiter vnda Deo.
Ipſo loci eſt Dominus, laterum cui vulnere vtroque,
Hinc cruor effuſus fluxit, & inde latex.
Ibitis hinc, vt quiſque poteſt per vulnera Chriſti,
Deuectus gladiis alter, & alter aquis.

PAS

UVA. BHSC. BU 10932

PASSIO CASSIANI

martyris in foro Corneliano.

Carmen heroicum, cui adnexum est
senarium Iambicum.

SYLLA *ferum statuit Cornelius, hoc Itali vrbem*
Vocant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi quum peterem te rerum maxima Roma,
*Spes est oborta * prosperum Christum fore.* *propitiũ.
Stratus humi tumulo aduoluebar, quẽ sacer ornat
Martyr, dicato Cassianus corpore,
Dum lacrymans mecũ reputo mea vulnera, & oẽs
Vitæ labores, ac dolorum acumina,
Erexi ad cœlum faciem, stetit obuia contra
Fucis colorum picta imago martyris.
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis præferens punctis cutem.
Innumeri circum pueri, miserabile visu,
Confossa paruis membra figebant stylis,
Vnde pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur adnotantes scripserant.
Aedituus consultus ait, quod prospicis hospes
Non est inanis, aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quæ tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.
Præfuerat studiis puerilibus, & grege multo
Septus, magister literarum sederas.

UVA. BHSC. BU 10932

Verba notis breuibus comprendere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta præpetibus sequi.
Aspera nonnunquam præcepta, & tristia visa
Impube vulgus mouerant ira, & metu.
Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
Nec dulcis vlli disciplina infantiæ est.
Ecce fidem quatiens tempestas sæua, premebat
Plebem dicatam Christianæ gloriæ.
Extrahitur cœtu è medio moderator alumni
Gregis quòd aris supplicare spreuerat.
Pœnarum artifici quærenti, quod genus artis
Vir nosset, alto tam rebellis spiritu,
Rispondent: agmen tenerum, ac puerile gubernat,
Fictis notare verba signis imbuens,
Ducite conclamat captiuum ducite, & vltro
Donetur ipsis verberator parvulis.
Vt libet illudant, lacerent impunè, manúsque
Tinguant magistri seriatas sanguine.
Ludum discipulis volupe est vt trahat ipse
Doctor seuerus, quos minis coërcuit.
Vincitur post terga manus, spoliatur amictu,
Adest acutis agmen armatum stilis.
Quantum quisque odij tacita conceperat ira,
Effundit ardens fœle tandem libero.
Conijciunt alij lapides, ínque ora tabellas
Frangunt, relisa fronte lignum dissilit.
Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,
Rubétque ab ictu curua humeris pagina.

UVA. BHSC. BV 10932

Inde

Inde alij stimulos, & acumina ferrea vibrant
Qua parte aratis cera sulcis scribitur,
Et qua secti apices abolentur, & æquoris hirti
Rursus nitescens innouatur area.
Hinc foditur Christi confessor, & inde secatur
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixere ducentæ,
Totidémque guttæ vulnerum stillant simul.
Maior tortor erat, qui summa pupugerat infans,
Quàm qui profunda perforarat viscera.
Ille leuis, quoniam percussor morte negata
Sæuire solis scit dolorum spiculis.
Hic quanto interius vitalia condita pulsat,
Plus dat medelæ dum necem prope applicat.
Este precor fortes, & vincite viribus annos,
Quod desit æuo, suppleat crudelitas.
Sed male conatus tener, infirmúsque laborat,
Tormenta crescunt dum fatiscit carnifex.
Quid gemis, exclamat quidam, tute ipse magister
Istud dedisti ferrum, & armasti manus.
Reddimus ecce tibi iam millia multa notarum,
Quæ stando, flendo, te docente excepimus.
Non potes irasci quod scribimus, ipse iubebas
Nunquam quietum dextera vt ferret stilum.
Non petimus toties te præceptore negatas
Auare doctor iam scholarum ferias.
Pungere puncta libet, sulcíque intexere sulcos,
Flexas catenis impedire virgulas.

UVA. BHSC. BU 10932

Emendes licet inſpectos longo ordine verſus,
Mendoſa fortè ſiquid errauit manus:
Exerce imperium, ius eſt tibi plectere culpam,
Si quis tuorum te notauit ſegnius.
Talia ludebant pueri per membra magiſtri,
Nec longa feſſum pœna ſoluebat virum.
Tandem luctantis miſeratus ab æthere Chriſtus,
Iubet reſolui pectoris ligamina.
Difficiléſque moras animæ, ac retinacula vitæ
Relaxat artus, & latebras expedit.
Sanguis ab interno venarum fonte patentes,
Vias ſequutus, deſerit præcordia.
Totq; foraminibus penetrati corpors exit,
Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
Hæc ſunt quæ liquidis expreſſa coloribus hoſpes
Miraris, iſta eſt Caſſiani gloria.
Suggere, ſi quod habes iuſtum, vel amabile votum,
Si qua tibi ſpes eſt, ſi quid intus æſtuas.
Audit crede preces martyr proſperrimus omnes,
Ratáſque reddit, quas videt probabiles.
Pareo: complector tumulum, lacrymas quoq; fundo,
Altar tepeſcit ore, ſaxum pectore.
Tunc arcanæ mei percenſeo cuncta laboris,
Tunc quod petebam, quod timebam murmuro,
Et poſt terga domum dubia ſub ſorte relictam,
Et ſpem futuri forte nutantem boni.
Audior vrbem adeo, dextris ſucceſſibus vtor:
Domum reuertor, Caſſianum prædico.

RO-

UVA. BHSC. BU 10932

ROMANI MARTYRIS *supplicium.*

Carminis ratio eadem est, quæ fuit præfationis Psychomachiæ, Senex fidelis.

ROMANE *Christi fortis adsertor Dei,*
Elinguis oris organum fautor moue,
Largire comptum carmen infantissimo,
Fac vt tuarum mira laudum concinam,
Nam scis & ipse posse mutos eloqui.
Plectrum palati, & faucium sæuus tibi,
Tortor reuulsit, nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum.
Vox veritatis testis, extingui nequit,
Nec si recisis palpitet meatibus,
Sic noster hærens sermo lingua debili
Balbutit, & modis laborat absonis:
Sed si superno rore respergas iecur,
Et spiritali lacte pectus irriges,
Vox impeditos rauca laxabit sonos.
Euangelista scripsit ipsum talia
Præcepta Messiam dedisse apostolis,
Nolite verba, quum sacramentum meum
Erit canendum, prouidenter quærere:
Ego imparatis, quæ loquantur, suggeram.
Sum mutus ipse, sed potens facundiæ,
Mea lingua Christus luculenter disseret,
Ipse explicabit quos supremo spiritu

UVA. BHSC. BU 10932

Dæmon tumultus dum domatur, mouerit,
Furore pestis peior in nouissimo.
Sic vulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, & dolore sæuior,
Quassando pressis immoratur dentibus,
Hastile fixum sed manet profundius,
Nec cassa sentit morsuum pericula.
Galerius * *vrbis fortè Romanæ statum* *orbis.
Ductor regebat, vt refert antiquitas,
Immitis, atrox, asper, implacabilis,
Edicta latè mundum in omnem miserat,
Christum negaret quisqui mallet viuere.
Hæc ille serpens ore dictat regio,
Qui mortuorum de sepulcris exiens
Clamat: Quid ante tempus aduentu cito
Mea regna soluis? parce fili altissimi,
Vel possidere corda porcorum iube.
Præfectus istis imminens negotiis
Asclepiades ire mandat milites
Ecclesiatenúsque de sacrariis
Raptare plebem mancipandem vinculis,
Ni disciplinam Nazarenam respuat.
Mox ipse templum cogitans irrumpere,
Et dissipare sancta sanctorum studens,
Armis profanus præparabat impiis
Altaris Aram funditus pessundare,
Foresque & ipsas in ruinam soluere.
Præcurrit index his repentè cognitis

UVA. BHSC. BU 10932

Romanus acris heros excellentiæ,
Venire in armis perduelles nuntiat,
Animos pauentium præstruens hortatibus,
Stent vt parati, ne ve cedant turbini.
Conspirat vno fœderatus spiritu
Grex Christianus, agmen imperterritum,
Matrum, virorum, paruulorum, virginum,
Fixa & statuta est omnibus sententia
Fidem tueri, vel libenter emori.
Refert repulsus miles ad subsellia,
Plebis rebellis esse Romanum ducem,
Flagrare cunctos peruicaci audacia,
Iugulos retectos obstinate opponere,
Quo glorioſa morte fortes oppetant.
Præceps iubetur inde Romanus rapi,
Solúsque vt incitator, & fax omnium,
Pro contumaci plebe causam dicere.
It non resistens, séque vinciri petit,
Flexas & vltro torquet in tergum manus.
Amor coronæ pene præuenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas bisulcis exarandas vngulis.
Irrumpit altum limen, & preconibus
Stupore mutis, ipse tortorem trahit.
Astanti ob ora sic tyrannus incipit:
Infame monstrum, vilis, intestabilis,
Tu ventilator vrbis, & vulgi leuis
Procella, mentes inquietas mobiles,

UVA. BHSC. BU 10932

Ne se imperita turba dedat legibus.
Populare quiddam sub colore gloriæ
Illiterata credidit frequentia,
Vt se per æuum consecrandos autument,
Si bella diuis ceu gigantes inferant,
Victíq; flammis obruantur montium.
Hoc tu parasti perdite spectaculum
Cladis cruentæ denecandis ciuibus,
Quos vt profanos, impiati & seculi
Reos, necesse est te magistro interfici,
Tu causa mortis, tu malorum signifer.
Ni fallor æquum est, vt quod auctor improbus
Tolerare multos compulisti, vt carnifex,
In te recurrat, prôque tantis cædibus
Quæ mox futuræ, primus exitium luas,
Feras & ipse quod ferendum suaseras.
His ille contra reddit ore libero:
Amplector ô præfecte, nec me subtrahо,
Vt pro fideli plebe solus immoler,
Dignus subire cuncta, si me consulas,
Quæcunq; vestra iusserit crudelitas.
Intrare seruis idolorum, ac dæmonum,
Sanctam salutis non licet nostræ domum,
Ne polluatur purus orandi locus:
Confido sancto spiritu nunquam tibi
Dandum, vt beatum limen attingas pede.
Nisi forte noster factus, in nostrum gregem
Mereare sumi, quod pater faxit Deus.

Incen-

UVA. BHSC. BU 10932

Incenſus his Aſclepiades, iuſſerat
Euiſcerandum corpus eculeo eminus
*Pendere, & vncis*vinculíſque creſcere.*
Apparitores ſed furenti ſuggerunt
Illum vetuſta nobilem proſapia,
Meritíſque multis eſſe primum ciuium.
Iubet amoueri noxialem ſtipitem,
Plebeia clarum pœna ne dammet virum.
Tundantur, inquit, terga crebris ictibus,
Plumbóque ceruix verberata extuberet:
Perſona quæque competenter plectitur,
Magníq; refert vilis, an ſit nobilis:
Gradu reorum, forma tormentis datur:
Pulſatus ergo martyr illa grandine,
Poſtquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
Erectus infit: abſit vt me nobilem
Sanguis parentum præſtet, aut lex curiæ,
Generoſa Chriſti ſecta nobilitat viros.
Si prima noſtris quæ ſit incunabulis
Origo, textu ſtemmatis recenſeas,
Dei parentis eſſe ab ore cœpimus,
Cui quiſqui ſeruit, ille vere eſt nobilis,
Patri rebellis inuenitur degener.
Honos deinde ſtemmati accedit nouus,
Et ſplendor ingens, vt magiſtratus venit,
Si confitendi nominis teſtem probum
Signent inuſta ferri, & ignis vulnera,
Et vim dolorum mors ſequatur inclyta.

*vngu-
liſq;.

UVA. BHSC. BU 10932

Caue benignus esse peruerse velis
Nec mi remissus leniter peperceris,
Incumbe membris tortor, vt sim nobilis:
His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris, matrisque flocci fecero.
Hæc ipsa vestra dignitatum culmina
Quid esse censes? nónne cursim transeunt
Fasces, secures, sella prætextæ, togæ,
Lictor, tribunal, & recenta insignia
Quibus tumetis, moxq; detumescitis?
Quum consulatum initis, vt vernæ solent,
(Pudet fateri) farre pullos pascitis,
Aquila ex eburna sumit arrogantiam
Gestator eius, ac superbit belluæ
Inflatus esse, cui figura est alitis.
Iam si sub aris ad sigillorum pedes
Iaceatis, infra sectilem quercum siti,
Quid esse vobis æstimem proiectius?
Nudare plantas, ante carpentum scio
Proceres togatos, matris Ideæ sacris.
Lapis ingellus euehendus essedo
Muliebris oris clausus argento sedet,
Quem dum ad lauacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis
Almonis vsque peruenitis riuulum.
Quid illa turpis pompa nempè ignobiles
Vos esse monstrat, quam luperci curritis,
Quem seruilorum non rear vilissimum,

Nudus

UVA. BHSC. BU 10932

Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verbere ictas ludicro?* *al. læ.
Miseret tuorum me sacrorum, & principum,
Morúmque Roma seculi summum caput,
Age explicemus, si placet mysteria
Præfecte vestra, iam necesse est audias,
Nolis velisue, quid colatis sordium.
Nec terret ista, qua tumes vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta lethi comminaris asperi.
Si me mouere rebus vllis niteris,
Ratione mecum, non furore dimica.
Iubes relictis patris, & Christi sacris,
Vt tecum adorem fœminas, mille ac mares,
Deos, deásque, deq; sexu duplici
Natos, nepotes adnepotes editos,
Ac tot stuprorum sordidam prosapiam.
Nulunt puellæ, sæpe ludúntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus:
Incæsta feruent, furta mœchorum calent,
Fallit maritus, odit vxor pellicem,
Deos catenæ colligant adulteros.
Ostende quæso, quas ad aras præcipis
Vernece cæso fumet vt cespes meus:
Delphósne pergam? sed vetat palæstricæ
Corrupta ephebi fama, quem vester Deus
Effœminauit Gymnadis licentia.
Mox fleuit inpuratus occisum grauí

UVA. BHSC. BU 109[illegible]

Disco, & dicauit florulentum succubam.
Conductus idem pauit alienum pecus,
Furem deinde perditi passus gregis
Segnis bubulcus, tela & ipsa perdidit.
An ad Cybellis ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus ob libidinem,
Per triste vulnus, pérq; sectum dedecus
Ab impudicæ tutus amplexu deæ,
Per multa matri sacra plorandus spado.
Sed credo magni limen amplectar Iouis,
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Iuliæ,
Luat seueram victus & Scantiniam
Te cognitore dignus ire in carcerem.
Quid aureorum conditorem temporum
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat malum:
Quem si beatè viuere audit Iuppiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.
Quid inter aras dissidentum numinum
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius.
Iunonis iram sentiet quisq; vt Deum
Signo, aut sacello consecrarit Herculem.
Dicis licenter hæc Poëtas fingere,
Sed sunt & ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati, quódque describunt, colunt.
Tu cur piaculum tam libenter lectita?

UVA. BHSC. BU 10932

Cur in theatris te videnie id plauditur?
Cycnus ſtuprator peccat inter pulpita.
Saltat tonantem tauricornem ludius,
Spectator horum pontifex ſummus ſedes,
Ridéſque & ipſe, nec negando diluis,
Quum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu Sacrate per cachinnos ſolueris,
Quum ſe maritum fingit Alcmenæ Deus?
Meretrix Adonin vulneratum ſcænica
Libidinoſo plangit affectu palàm,
Nec te lupanar Cypridis ſanctæ mouet?
Quid? quod ſub ipſis veritas ſignis patet
Formata in ære criminum veſtigiis?
Quid vult ſigillum ſemper adfixum Ioui
Auis miniſtræ? nempe velox armiger
Leno exoletum qui tyranno pertulit.
Facem recincta veſte prætendit Ceres.
Cur? ſi deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quærens, mater errat peruigil?
Fuſos rotantem cernimus Tyrinthium.
Cur? ſi Neæræ non fuit ludibrio?
Quid ruſticorum monſtra deteſter Deum?
Faunos, Priapos, fiſtularum præſides
Nymphas natantes, incoláſque aquatiles,
Sitas ſub alto more ranarum lacu.
Diuinitatis vis in algis vilibus?
Ad hæc colenda me vocas cenſor bone?
Potésne quicquam tale, ſi ſanum ſapis,

UVA. BHSC. BU 10932

Sanctum putare? nónne pulmonem mouet
Deriſus iſtas intuens ineptias,
Quis vinolentæ ſomniis fingunt anus?
Aut ſi quid vſquam vanitatis myſticæ,
Nobis colendum eſt, ipſe primus incipe,
Promíſq; adora quicquid in terris ſacri eſt,
Deos latinos, & deos Aegyptios,
Quis Roma libat, quîs Canopus ſupplicat.
Venerem precaris? comprecare & Simiam.
Placet ſacratus aſpis Aeſculapÿ?
Crocodilus, Ibis, & Canes cur diſplicent?
Adpone porris religioſas arulas,
Venerare acerbum Cepe, mordax Allium.
Fuliginoſi thure placantur Lares,
Et reſpuuntur conſecrata holuſcula,
Aut vnde maior eſſe maieſtas focis,
Quàm nata in hortis ſarculatis creditur?
Si numen ollis, numen & porris ineſt.
Sed pulchra res eſt forma in ære ſculptilis:
Quid imprecabor officinis Graciæ,
Quæ condiderunt gentibus ſtultis deos?
Forceps Myronis, mallens polycleti
Natura veſtrum eſt, atque origo cœlitum.
Ars ſeminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Iouis circumplicat,
Dum deſluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, & corymbos Liberi,
Et dum Mineruæ pectus hydris aſperat,

UVA. BHSC. BU 10932

Iniecit atram territis formidinem,
Vt fulmen æris, ceu tonantis horreant,
Tremant venenum sibilantis Gorgonæ,
Putent Ephebum post triumphos Indicos
Ferire Thyrso posse, quum sit ebrius.
Tum quod Dianam molle succinctam vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis:
Si fortè vultum tristioris Herculis,
Liquore crispo massa finxit fusilis,
Clava minari, ni colatur, creditur.
Iam quis pauentum corda terror occupat?
Iunonis iram si politè expresserit,
Velut retortis intuens obtutibus,
Auertat ora delitantis hostia,
Lapis seuera fronte mentitur minas.
Miror quod ipsum non sacratis Mentorem,
Nec templum, & aras ipse Phidias habet
Fabri deorum, vel parentes numinum:
Qui si caminis institissent segnius,
Non esset vllus Iuppiter conflatilis.
Non erubescis stulte, pago dedite,
Te tanta semper perdidisse obsonia:
Quæ diis ineptus obtulisti talibus
Quos trulla, peluis, cantharus, sartagines,
Fracta, & liquata contulerunt vascula.
Ignosco fatuis hæc tamen vulgaribus,
Quos lana terret discolora in stipite,

UVA. BHSC. BU 10932

Quos ſæpe falſus circulator decipit,
Quibus omne ſanctũ eſt, quod pauendũ rancidæ. *vanulæ*
Edentularum cantilenæ ſuaſerint.
Vos eruditos miror, & doctos viros,
Perpenſa vitæ quos gubernat regula,
Neſcire vel diuina, vel mortalia
Quo iure conſtent, quanta maieſtas regat,
Quicquid creatum, quæ creauit omnia.
Deus perennis, res inæſtimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur.
Excedit omnem mentis humanæ modum,
Nec comprehendi viſibus noſtris valet,
Extráque & intus implet, ac ſuperfluit.
Intemporalis ante quàm primus dies,
Eſſe & fuiſſe ſemper vnus obtinet,
Lux ipſe vera, veri & auctor luminis
Quum lumen eſſet, lumen effudit ſuum:
Ex luce fulgor natus hic eſt filius.
Vis vna patris, vis & vna eſt filij,
Vniſque ab vno lumine ſplendor ſatus,
Pleno refulſit claritatis lumine,
Natura ſimplex pollet vnius Dei,
Et quicquid vſquam eſt, vna virtus condidit,
Cœlum, ſolúmque vim marini gurgitis,
Globos dierum, noctiumq; præſides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila,
Septentriones, heſperos, æſtus, niues,
Fontes, pruinas, & metalla, & flumina,

UVA. BHSC. BU 10932

Prærupta, plana, montium conuallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
*Iumenta, *pecua, ſubiugales belluas,* *pecudes
Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quæ ſunt odori, quæq; vernant eſui.
Hæc non labore, & arte molitus Deus,
Sed iuſſione, quam poteſtas protulit,
Mandauit eſſe, facta ſunt quæ non erant,
Verbo creauit omniformem machinam,
Virtus paterna ſemper in verbo fuit.
Cognoſtis ipſum, nunc colendi ægnoſcite
Ritum, modumq;, quale ſit templi genus,
Quæ dedicari ſanxerit donaria,
Quæ vota poſcat, quos ſacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
Aedem ſibi ipſe mente in hominis condidit
Viuam, ſerenam, ſenſualem, flabilem,
Solui incapacem poſſe, nec deſtructilem,
Pulchram, venuſtam, præminentem culmine,
Diſcriminatis illitam coloribus.
Illic ſacerdos ſtat ſacrato in limine,
Foréſque primas virgo cuſtodit fides,
Innexa crines vinculis regalibus,
Poſcit litari victimas Chriſto, & patri,
Quas ſcit placere candidatas, ſimplices,
Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, caſtitatem corporis,
Dei timorem, regulam ſcientiæ,

UVA. BHSC. BU 10932

Ieiuniorum parcitatem ſobriam,
Spem non iacẽtem, ſemper & largam manum.
Ex his amœnus hoſtiis ſurgit vapor,
Vincens odorem balſami, thuris, croci,
Auras madentes Perſicorum aromatum,
Sublatus inde cœlum aduſq; tollitur,
Et proſperatum dulcè delectat Deum.
Hanc diſciplinam quiſquis infenſus vetat,
Vetat probatum viuere, & ſanctum ſequi:
Vetat vigorem mentis altè intendere,
Noſtriq; acumen ignis ad terram vocat,
Nec excitari vim ſinit prudentiæ.
O merſa limo cæcitas gentilium,
O carnulenta nationum pectora
O ſpiſſus error, ô tenebroſum genus,
Terris amicum, deditum cadaueri,
Subiecta ſemper intuens, nunquam ſupra.
Furórne ſummus, vltima & dementia eſt
Deos putare, qui creantur nuptiis?
Rem ſpiritalem terrulentè quærere,
Elementa mundi conſecrare altaribus,
Id quod creatum eſt conditorem credere?
Deaſciato ſupplicare ſtipiti,
Verris cruore ſcripta ſaxa ſpargere,
Aras ofellis obſecrare bubulis,
Homines fuiſſe quum ſcias, quos conſecras,
Vrnas reorum morticinas lambere?
Deſiſte iudex ſeculi, tantum nefas

UVA. BHSC. BU 10932

Viris iubere fortibusq;, & liberis,
Nil est amore veritatis celsius,
Dei perennis numen asserentibus
Nihil est pauori, mors & ipsa subiacet.
Dudum coquebat differente martyre
Asclepiades intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle dum longum silet,
Bilémque tectis concipit præcordiis.
Tandem latentis vim furoris euomit.
Prò Iuppiter quid est, quod ex hoc audio?
Stat inter aras, & deorum imagines,
Et quod fateri cogor in medio foro,
Tacente memet hic perorat perditus,
Quicquid sacrorum est ore fœdans impio.
O fas priorum, moris ô prisci status,
Inuenta regum pro salute publica
Pompiliorum nostra carpunt secula.
Quis hos sophistas error inuexit nouus,
Qui non colendos esse diuos disputent?
Nunc dogma nobis Christianum nascitur.
Post euolutos mille demum consules
Ab vrbe Roma, ne retexam Nestoras,
Quicquid nouellum surgit, olim non fuit,
Vis summa rerum nosse? Pyrrham consule.
Vbi iste vester tunc erat summus Deus,
Diuum fauore quum puer Mauortius
Fundaret arcem septicollem Romulus
Quod Roma pollet auspicato condita?

UVA. BHSC. BU 10932

Ioui Statori debet, & diis cæteris.
Hoc sanctum ab æuo est, hoc ab atauis traditum,
Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, faustus vt secundet gloriam
Procinctus, vtq; subiugatis hostibus
Ductor quietum fremet orbem legibus.
Accingere ergo quisquis es nequissime
Pro principali ritè nobiscum deos
Orare vita, vel quod hostem publicum
Pati necesse est, solue pœnam sanguine,
Spreuisse templa, respuisse est principem.
Tunc ille, nunquam pro salute, & maximis,
Fortissimisque principis cohortibus
Aliter precabor, quàm fidele vt militent,
Christiq; lymphis vt renascantur patri,
Capiant & ipsum cœlitus paraclitum.
Vt idolorum respuant caliginem,
Cernant & illud lumen æternæ spei,
Non succulentis influens obtutibus,
Nec corporales per fenestras emicans,
Puris sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit,
Et res caduca, quod resoluendum est, videt,
Liquidis videndis aptus est animæ liquor,
Natura feruens sola feruentissimæ
Diuinitatis vim coruscantem capit.
Hoc opto lumen Imperator nouerit
Tuus, meúsque, si velit fieri meus:

UVA. BHSC. BU 10932

Nam si resistit Christiano nomini,
Meus ille talis Imperator non erit,
Scelus iubenti, crede, nunquam seruiam.
Statis ministri, clamitans iudex ait,
Statis? manúsque continetis vindices?
Non rupta sulcis dissecatis viscera?
Animam nec intus avditam rimamini,
Erumpit vnde vox profana in principem?
Scindunt vtrumq; milites teterrimi
Mucrone hiulco pensilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera.
Obliqua rectis, recta transuersis secant,
Et iam retectis pectus albet ossibus.
Nitendo anhelant, diffluunt sudoribus,
Quum sit quietus heros in quem sæuiunt.
Hæc inter audet sponte Romanus loqui:
Si quæris ô præfecte verum noscere,
Hoc omne quicquid lancinamur, non dolet.
Dolet, quòd error pectori insidet tuo,
Populos quòd istos perditus tecum trahis.
Currunt frequentes vndiq; ad spectaculum
Gentile vulgus, heu gemenda corpora,
*Crudúmque nostræ sortis exemplum *tremunt.* * trahu
Audite cuncti, clamo longe, ac prædico,
Emitto vocem de catasta celsior,
Christus paternæ gloriæ splendor, Deus
Rerum creator, noster idem particeps
Spondet salutem perpetem credentibus.

UVA. BHSC. BU 10932

Animæ salutem, sola quæ non occidit,
Sed ingè durans dispares casus subit,
Aut luce fulget, aut tenebris mergitur,
Christum sequuta patris intrat gloriam,
Disiuncta Christo mancipatur tartaro.
Curanda mercis qualitas, quæ nam mihi
Contingat olim perpetis substantiæ,
Nam membra parcipendo quo pacto cadant,
Casura certe lege naturæ suæ,
Instat ruina quod resoluendum est ruat.
Nec distat ignis, & fidicle seniant,
An corpus ægrum languor asper torqueat,
Quum sæpe morbos maior armet sævitia,
Non vngularum tanta vis latus fodit
Muerone, quanta dira pulsat pleuresis.
Nec sic inusta laminis ardet cutis,
Vt febris atro felle venas exedit,
Vel summa pelli ignis obductus coquit,
Papulasq; fervor æstuosus excitat,
Credas crearis stridulis cauteribus.
Miserum putatis quid retortis perdeo
Extentus vinis, quod revellunter pedes,
Compago nervis quod sonat crepantibus,
Sic cinctantes ossa clamant dividi,
Nodosa torquet quos podagra, & arthrysis.
Horretis omnes hasce carnificum manus,
Nunc mitiores sunt manus medentium,
Lanienæ quando sævit hippocratica?

UVA. BHSC. BU 10932

Finem

Vinum secatur vlcus, & recens cruor
Scappella tinguit, dum putredo abraditur.
Putate ferrum triste chirurgos meis
Inferre costis, quod secat salubriter,
Non est amarum quo reformatur salus,
Videntur isti carpere artus tabidos,
Sed dant medelam rebus intus viuidis.
Quis nescit autem quanta corruptela sit
Contaminate carnis ac solubilis?
Sordet, tumescit, liquitur, fœtet, delet,
Inflatur ira, solnitur libidine:
Plerunq; felle tincta liuores trahit.
Aurum regestum nomine carni adquiritur?
Illusa vestis, gemma, bombix, purpura,
In carnis vsum mille quærentur dolis,
Luxus vorandi carnis aruinam fouet,
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
Medere quæso carnifex tantis malis,
Concide, carpe fomitem peccaminum,
Fac vt refecto debilis carnis situ
Dolore ab omni mens superstes libera,
Ne gestet vltra quod tyrannus amputet.
Nec terrearis turba circumstantium,
Hoc perde solum quod peribit omnibus
Regi clienti, paupericq; & diuiti,
Sic vernularum, sic senatorum caro
Tabescit imo cum sepulchro condita est.
Inferna vilis morde, & damnum leue,

UVA. BHSC. BU 10932

Si quo carendum est, perdere extimescimus.
Cur quod necesse est non voluntas occupat?
Natura cur non vertit in rem gloriæ?
Legale damnum deputemus præmiis.
Sed præmiorum forma quæ sit fortibus
Videamus, illa nempe quæ nunquam perit,
Cælo refusus subuolabit spiritus,
Dei parentis perfruetur lumine
Regnante Christo stans in arce regia.
Quandoq; cælum ceu liber plicabitur,
Cadet rotati Solis in terram globus,
Sphæram ruina menstrualem destruet,
Deus superstes solus, & insti simul
Cum sempiternis permanebunt Angelis.
Contemne præsens vtile ô prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum est tibi.
Omitte corpus, rem sepulcri & funeris,
Tende ad futuram gloriam, perge ad Deum.
Agnosce qui * sis, vince mundum & seculum. *quid
Vix dum eloquutus martyr hanc peregerat
Orationem, quum furens interserit
Asclepiades, vertat ictum carnifex
In os loquentis, inq; maxillas manum,
Sulcósque acutos, & fidiculas transferas.
Verbositatis ipse rumpatur locus,
Scaturientis perdat vt loquacitas
Sermonis auras, perforatis follibus,
Quibus sonandi nulla lex ponit modum,

UVA. BHSC. BU 10932

Ipsa & laquentis verba torqueri volo.
Implet iubentis dicta lictor improbus,
Charaxat ambas vngulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis,
Hirsuta barbis soluitur carptim cutis,
Et mentum adusq; vultus omnis scinditur.
Martyr fluentem fatur inter sanguinem:
Grates tibi ô præfecte magnas debeo,
Quod multa pandens ora, iam Christum loquor,
Arctabat ampli nominis præconium
Meatus vnus impar ad laudes Dei,
Rimas patentes inuenit vox edita,
Multísque fusa rictibus reddit sonos
Hinc inde plures, & profatur vndique
Christi, patrísque sempiternam gloriam,
Tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera.
Tali repressus cognitor constantia,
Cessare pœnam præcipit, tunc sic ait:
Per Solis igneis iuro, qui nostros dies
Reciprocratis administrat circulis,
Cuius recursu lux & annus ducitur:
Ignis parandus iam tibi tristis rogi,
Qui fine digno corpus istud deuoret,
Quod perseuerans tam resistit nequiter
Sacris vetustis, nec dolorum spiculis
Victum fatiscit, fitq; pœnis fortius.
Quis hunc rigorem pectori iniecit stupor?
Mens obstinata est, corpus omne occalluit,

UVA. BHSC. BU 10932

Tantus nouelli dogmatis regnat furor,
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipse suffixum Cruci.
Hæc illa crux est omnium nostrûm salus,
Romanus inquit, hominis hæc redemptio est,
Scio incapacem te sacramenti impie,
Non posse cæcis sensibus mysterium
Hauriré nostrum, nil diurnum nox capit.
Tamen in tenebris proferam claram facem,
Sanus videbit, lippos oculos obteget,
Remouete lumen, dicet insanabilis.
Iniuriosa est nil videnti claritas,
Audi profane quod grauatus oderis.
Regem perennem rex perennis protulit,
In se manentem, nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet, nam fons retro
Exordium est, & dierum & temporum,
Ex parte Christus, hoc pater quod filius.
Hic se videndum præstitit mortalibus,
Mortale corpus sumpsit immortalitas,
Vt dum caducum portat æternus Deus,
Transire nostrum posset ad cœlestia,
Homo est peremptus, & resurrexit Deus.
Congressa mors est membra gestanti Deo
Dum nostra tentat, cessit immortalibus
Stultum putatis hoc sophistæ seculi:
Sed stulta mundi summus eligit pater,
Vt stultus esset seculi prudens Dei.

Antiq

UVA. BHSC. BU 10932

Antiquitatem Romuli, & Mauortiam
Lupam renarras primum, & omen vulturum,
Si res nouellas respuis, nil tam recens:
Vix mille factis implet hanc ætatulam
Cursus dierum, conditore ab augure.
Sexcenta possum regna pridem condita
Proferre toto in orbe, si sit ocium,
Multo ante clara, quàm capellam Gnosiam
Suxisse fertur Iuppiter, Martis pater,
Sed illa non sunt, hæc & olim non erunt.
Crux ista Christi, quam nouellam dicitis,
Nascente mundo factus vt primum est homo
Expressa signis, expedita est litteris,
Aduentus eius mille per miracula
Prænuntiatus ore vatum consono.
Reges, prophetæ, iudicésque & principes,
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stylo,
Formam crucis non destiterunt pingere:
Crux prænotata, crux adumbrata est prius,
Crucem vetusta combiberunt secula.
Tandem retectis vocibus propheticis,
Ætate nostra comprobata antiquitas,
Coràm refulsit ore conspicabili,
Ne fluctuaret veritas dubia fide,
Si non pateret teste visu comminus.
Hinc nos & ipsum non perire credimus
Corpus sepulchro quod vorandum traditur,
Quia Christus in se mortuum corpus cruci

UVA. BHSC. PU 0932

Secum excitatum vexit ad ſolium patris,
Viamq; cunctis ad reſurgendum dedit.
Crux illa noſtra eſt, nos patiblum aſcendimus,
Nobis peremptus Chriſtus, & nobis Deus,
Chriſtus reuerſus, ipſe qui moriens homo eſt,
Natura duplex, moritur & mortem domat,
Reditq; in illud quod perire neſciat.
Dixiſſe pauca ſit ſatis de myſticis
Noſtræ ſalutis déque proceſſu ſpei,
Iamiam ſidebo, margaritas ſpargere
Chriſti vetamur inter immundos ſues,
Lutulenta ſanctum ne terant animalia.
Sed quia profunda non licet luctarier
Ratione tecum, conſulamus proxima,
Interrogetur ipſa naturalium
Simplex ſine arte ſenſuum ſententia,
Fuci imperitus fac vt adſit arbiter.
Da ſeptuennem circiter puerum, aut minus,
Qui ſit fauoris liber, & non oderit
Quenquam, nec vllum mentis in vitium cadat,
Periclitemur quid recens infantia
Dicat ſequendum, quod nouus ſapiat vigor.
Hanc ille ſancti martyris vocem libens
Amplexus, vnum de caterua infantium
Parvum, nec olim lacte depulſum, capi.
Captumq; adeſſe præcipit: quid vis roga,
Inquit, ſequamur quod probarit puſio.
Romanus ardens experiri innoxiam

UVA. BHSC. BU 10932

Lactentis oris indolem: Filiole ait,
Dic quid videtur esse verum, & congruens,
Vnúmne Christum colere, & in Christo patrem,
An comprecari mille formarum deos?
Arrisit infans, nec moratus rettulit
Est quicquid illud, quod ferunt homines Deum,
Vnum esse oportet, & quod vni est vnicum.
Quum Christus hoc sit, Christus est verus Deus.
Genera deorum multa nec pueri putant.
Sensuit tyrannus, sub pudore fluctuans,
Nec vim decebat innocenti ætatulæ
Inferre lege, nec loquenti taliæ
Furor sinebat efferatus parcere:
Quis auctor, inquit, vocis est huius tibi?
Respondit ille, mater, & matri Deus,
Illa ex parente spiritu docta imbibit,
Quo me inter ipsa pasceret cunabula.
Ego vt gemellis vberum de fontibus
Lac paruus hausi, Christum & hausi credere.
Ergo ipsa mater adsit, exclamat cedo
Asclepiades, disciplinæ & exitum
Tristem suæ magistra spectet impia,
Male eruditi torqueatur funere
Infantis orba, quémque corrupit, fleat.
Absit ministros vilis vt muliercula
Nostros fatiget: tantulos at si dolor
Vexabit artus mortis auxilio brevis,
Oculi parentis punientur acrius,

Narraui & illud nobile, ac memorabile
Certamen vna matre quod ſeptem editi
Geſſere pueri, ſed tamen factis viri,
Hortante eadem matre, in ancipiti exitu
Pœnæ & coronæ ſanguinis vt ne parcerent.
Videbat ipſos apparatus funerum
Præſens ſuorum, nec mouebatur parens,
Lætata quoties aut oliuo ſtridula
Sartago frixum torruiſſet puberem,
*Dira aut *cremaſſet laminarum impreſsio.* *epaſſet.
Comam, cutemq; verticis reuulſerat
A fronte tortor, nuda teſta vt tegmine
Ceruicem aduſque dehoneſtaret caput,
Clamabat illa: patere, gemmis veſtiet
Apicem hunc corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari iuſſerat,
Vni ex ephebis mater aiebat: ſatis
Iam parta nobis gloria eſt, pars optimæ
Deo immolatur ecce noſtri corporis,
Digna eſt fidelis lingua quæ ſit hoſtia.
Interpres animi, enuntiatrix ſenſuum,
Cordis miniſtra, preco operti pectoris
Prima offeratur in ſacramentum necis,
Et ſit redemptrix prima membrorum omnium
Ducem dicatam mox ſequentur cætera.
His Maccabæos incitans ſtimulis parens,
Hoſtem ſubegit ſubiugatum ſeptíes,
Quot fœta natis, tot triumphis inclyta.

UVA. BHSC. BU 10932

Me partus vnus vt feracem gloriæ
Mea vita præstet, in tua est situm manu.
Per huius alui fida conceptacula,
Per hospitalem mense bisquino larem,
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata si crepundia,
Persiste, & horum munerum auctorem adsere.
Quanam arte nobis viuere intus cœperis,
Nihilumq; & illud vnde corpus, nescio.
Nouit animator solus, & factor tui.
Impendere ipsi cuius ortus munere es,
Bene in datorem, quod dedit, refuderis.
Talia canente matre iam lætus puer
Virgas strepentes, & dolores verberum *vulneris.*
Ridebat, hic tum cognitor pronuntiat:
Claudatur infans carcere, & tanti mali
Romanus auctor torqueatur acrius.
Illum recentes per cicatricum vias
Denuo exarabant, quáque acutum traxerant
Paulò antè ferrum, mox recrudescentibus
Plagis apertas persequebantur notas,
Quos iam superbus victor ignauos vocat.
O non virile robur, ô molles manus,
Vnam labantis dissipare tandiu
Vos non potesse *fabricam corpusculi?*
Vix iam cohæret, nec tamen penitus cadit,
Vincens lacertos dexterarum inertium.
Citius cadauer dentibus carpunt canes,

UVA. BHSC. BU 10932

Longéque morſus vulturum efficacior
Ad deuorandas carnis offas mortuæ.
Languetis imbelli fame, ac fatiſcitis.
Gula eſt ferina, ſed ſocors edacitas.
Exarſit iſtis turbida ira iudicis,
Seq; in ſupremam concitat ſententiam.
Si te morarum pœnitet, finem citum
Subeas licebit, ignibus vorabere
Damnatus, & fauilla iam tenuis fies.
Abiens, at ille, quum foro abriperent virum
Truces miniſtri, pone reſpectans ait:
Appello ab iſta perfide ad Chriſtum meum
Crudelitate, non metu mortis tremens,
Sed vt probetur eſſe nil, quod iudicas.
Quid differo, inquit ille, vtroſq; perdere,
Puerum, ac magiſtram, complices ſectæ impiæ?
Gladius recidat vile vix hominis caput
Infantis, iſtum flamma vindex concremet,
Sit his ſub vno fine diſpar exitus.
Peruentum ad ipſum cædis implendæ locum,
Natum gerebat mater amplexu, & ſinu,
Vt primitiuum crederes fœtum geri
Deo offerendum, ſancti Abelis ferculo,
Lectum ex ouili puriorem cæteris.
Puerum poposcit carnifex, mater dedit,
Nec immorata eſt fletibus, tantum oſculum
Impreſſit vnum, vale ait dulciſſime,
Et quum beatus regna Chriſti intraueris,

UVA. BHSC. BU 10932

Memento matris iam patrone ex filio.
Dixit. deinde dum ferit ceruiculam
Percussor ense, docta mulier psallere,
Hymnum canebat carminis Dauidici:
Pretiosa sancti mors sub aspectu Dei,
Tuus ille seruus, proles ancillæ tuæ.
Talia retexens explicabat pallium,
Manusq; tendebat sub ictu, & sanguine,
Venarum vt vndam profluam manantium,
Et palpitantis oris exciperet globum,
Excepit, & charo applicauit pectori.
At parte campi ex altera, immanem pyram
Texebat vstor sumidus pinu arida,
Sarmenta mistim subdita, & fœni struem
Spargens, liquato rore feruentis icis,
Quo flamma pastu cresceret ferocius.
Et iam retortis brachiis furca eminus
Romanus actus ingerebatur rogo
Scio, inquit ille, non futurum vt contremer,
Nec passionis hoc genus datum est mihi,
Sed restat ingens quod fiat miraculum.
Hæc eius orsa sequitur immensus fragor
Nubis ruentis, nimbus vndatim nigro
Præceps aquarum flumine ignes obruit,
Alunt oliuo semicombustas faces,
Sed vincit imber iam madentem fomitem.
Trepidare teter carnifex rebus nouis
Turbatus, & qua posset arte, insistere,

UVA. BHSC. BU 10932

Versare torres cum fauillis humidis,
Prunas maniplis confouere ſtupeis,
Et ſemen ignis inter vndas quærere.
Quod quam tumenti nuntiatum eſt iudici,
Commouit iram fellis implacabilis,
Quouſque tandem ſummus hic nobis magus
Illudet, inquit, Theſſalorum carmine,
Pœnam peritus vertere in ludibrium?
Fortaſſe ceruix, ſi ſecandam iuſſero,
Flecti ſub enſe, non patebit vulneri,
Vel amputatum plaga collum diuidens
Rurſus coibit, ac reglutinabitur,
Humeríſque vertex eminebit additus.
Tentemus igitur ante partem quampiam
Truncare ferro corporis ſuperſtitis,
Ne morte ſimpla criminoſus multiplex
Cadat, vel vna perfidus cæde oppetat,
Quot membra geſtat, tot modis pereat vole.
Libet experiri Lerna, ſicut traditur,
Vtrum renatis pullulеſcat artubus,
Ac ſe imminuti corporis damnis nouum
Inſtauret, ipſe præſto erit tunc Hercules,
*Hydrina ſuetus ire *inuſtum vulnera.* *vſtulare
Iam nunc ſecandi doctus adſit artifex,
Qui cuncta norit viſcerum confinia,
*Vel nexa neruis *diſparare vincula,* *diſſipare
Date hunc reuulſis qui medetur oſſibus,
Aut fracta nodis ſarciens compaginat.

Ling.

UVA. BHSC. BU 10932

Linguam priorem detrahat radicitus,
Quæ corpore omni sola viuit nequior,
Illa & procaci pessima in nostros Deos
Inuecta motu fas profanauit vetus,
Audax & ipsi non pepercit principi.
Aristo quidam medicus accitus venit,
Proferre linguam præcipit, profert statim
Martyr retectam, ima & pandit faucium,
Ille & palatum tractat, & digito exitum
Vocis pererrans, vulneri explorat locum.
Linguam deinde longè ab ore protrahens,
Scalpellum in vsque guttur insertans agit:
Illo secante fila sensim singula
Nunquam momordit martyr, aut os dentibus
Compressit arctis, nec cruorem sorbuit,
Immotus & patente rictu constitit,
Dum sanguis extra defluit scaturiens,
Perfusa pulcher menta rufo stemmate
Fert, & cruenti pectoris spectat decus,
Fruitúrque & ostro vestis vt iam regiæ.
Præfectus ergo ratus elinguem virum
Cogi ad sacrandum posse quum verbis carens
**Nil in deorum obliecleraret dedecus*
Iubet reduci iam tacentem, & debilem,
Multo loquentis turbine olim territus.
Reponit aras ad tribunal denuo,
Et thus, & ignem viuidum in carbonibus,
Taurina & exta, vel suilla abdomina.

* nil obla traret in deorum de decus.

UVA. BHSC. BU 10932

Ingressus ille, vt hos paratus perspicit,
Insufflat, ipsos ceu videret dæmonas.
Irridet hoc Asclepiades lætior, *Arridet
Addit deinde: Nunquid insolentius
Sicut solebas, es paratus dicere?
Effare quod vis ac perora & dissere.
Permitto, vocem libere vt exerceas.
Romanus alto corde suspirans diu,
Gemitu querelam traxit, & sic orsus est:
Christum loquenti lingua nunquam defuit,
*Nec verba quæras * quæ regantur organo, * quo.
Quum prædicatur ipse verborum dator.
Qui fecit vt vis vocis expressa intimo
Pulmone, & oris torta sub testudine,
Nunc ex palato det repercussos sonos,
Nunc temperetur dentium de pectine,
Sitque his agendis lingua plectrum mobile
Si mandet idem, faucium sic fistulas
*Spirare flatu concinentes * consono, *concito
Vt verba in ipsis explicent meatibus,
Vel exitu oris cymbalis profarier,
Nunc pressa parce labra, nunc hiantia.
Dubitásne verti posse naturæ statum?
Cui facta forma est, qualis esset primitus
Hanc nempè factor vertere, vt libet, potest,
Positásque leges texere, ac retexere,
Linguam loquela ne ministram postulet.
Vis scire nostri numinis potentiam?

Fluct

UVA. BHSC. BU 10932

Fluctus liquentis æquoris preſſit pedẽ,
Natura fluxa, ac tenuis in ſolidum coit,
Quę diſpar illis legibus quis condita eſt,
Solet natatus ferre, fert veſtigia.
Habet vſitatum munus hoc diuinitas,
**Quæ vera nobis colitur in Chriſto, & patre,*
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,
Surdis fruendam reddere audientiam,
Donare cæcis lucis inſuetæ diem.
Hæc ſi quis amens fabuloſa exiſtimat,
Vel ipſe tute ſi parum fidelia
Rebare pridem, vera cognoſcas licet:
Habes loquentem, cuius amputaueras
Linguam, probatis cedentiam miraculis.
Horror ſtupentem perſequutorem ſubit,
Timórque, & ira tectus in caliginem
Vertêre, neſcit vigilet, an ne ſomniet.
Miratur hærens quod ſit oſtenti genus.
Formido frangit, armat indignatio.
Nec vim domare mentis effrenæ poteſt,
Nec quo furoris tela vertat, inuenit.
Poſtremò medicum ſæuus inſontem iubet
Reum citari, nundinatum nunc arguit
Mercede certa pactus vt colluderet.
Aut ferrum in ore nil agens, & irritum
Verſaſſe fruſtrà, ceu retuſis ictibus
Aut arte quadam vulnus illatum breue,
Quod ſauciata parte linguam læderet,

UVA. BHSC. BU 10932

Neruos nec omnes vsquequaque abscinderet.
Manere saluam vocis harmoniam probè
Non posse inani concauo verba exprimi,
Quæ concrepare lingua moderatrix facit,
Esto vt resultet spiritus vacuo specu,
*exit *Echo sed* extat inde, non oratio.*
Veris refutat medicus hanc calumniam,
Scrutare vel tu nunc latebras faucium,
Intráque dentes curiosum pollicem
Circunfer, haustus vel patentes inspice,
Lateat ne quicquam quod regat spiramina.
Quanquam forassem fortè si puncto leui,
Tenuíve linguam contigissem vulnere:
Titubante plectro fatus esset debilis.
Nam quum magistra vocis in vitium cadit,
Vsus negesse est vt loquendi intercidat.
Fiat periclum, si placet, cuiusmodi
Edat querelam quadrupes, lingua eruta,
Elinguis & quem porca grunnitum strepat,
Cui vox fragosa, clamor est inconditus,
Probabo mutam nil sonare stridulum.
Testor salutem principis, me simplici
Functum secantis arte, iudex optime,
Seruisse iussis absque fraude publicis,
*Nebris. *Sciat hic quis ille verba* suggillet Deus,*
uggerat. Ego vnde mutus sit disertus, nescio.
His sese Aristo purgat. At contrà impium
Nil hæc latronem Christianorum mouent.

Magis.

UVA. BHSC. BU 10932

Magis magísque fertur in vesaniam,
Quærit num alienus sanguis ille asperserit
Virum, suóne fluxerit de vulnere.
Respondit his Romanus: eccum præsto sum,
Meus iste sanguis verus est, non bubulus,
Agnoscis illum, quem loquor miserrime
Pagane, vestri sanguinem sacrum bouis,
Cuius litata cæde permadescitis,
Summus sacerdos nempè sub terram scrobe
Acta in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus, festa vittis tempora
**Nectens, corona tum repexus aurea,* * nexus
Cinctu Gabino sericam fultus togam.
Tabulis supernè strata texunt pulpita,
Rimosa rari pægmatis compagibus,
Scindunt subinde vel terebrant aream,
Crebróue lignum perforant acumine,
Pateat minutis vt frequens hiatibus.
Huc taurus ingens fronte torua, & hispida,
Sertis reuinctus, aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur,
Nec non & auro frons coruscat hostiæ,
Setásque fulgor bractealis inficit,
Hic vt statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrata diuidunt venabula,
Eructat amplum vulnus vndam sanguinis
Feruentis, ínque texta pontis subditi
Fundit vaporum flumen, & latè æstuat.

UVA. BHSC. BU 10932

Tum per frequentes mille rimarum vias
Illapsus imber, tabidum rorem pluit,
Defossus intus quem sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subiectans caput,
Et veste & omni putrefactus corpore.
Quin os supinat, obuias offert genas,
Supponit aures, labra, nares obiicit,
Oculos & ipsos perluit liquoribus,
Nec iam palato parcit, & linguam rigat
Donec cruorem totus atrum combibat.
Postquam cadauer sanguine egesto rigens,
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde pontifex, visu horridus,
Ostentat vdum verticem, barbam grauem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant, atque adorant eminus,
Vilis quod illum sanguis, & bos mortuus
Fœdis latentem sub cauernis laucrint.
Addamus illam vis Hecatomben tuam?
*cuŝ *Centena ferro* quum cadunt animalia,*
Variáque abundans cæde restagnat cruor,
Vix vt cruentis augures natatibus
Possint meare per profundum sanguinem.
Sed quid macellum pingue puluinarium,
Quid maximorum lanionatores gregum,
Insecta carne crudos criminor?

Sum

UVA. BHSC. BU 10932

Sunt ſacra, quando voſmet ipſi exciditis,
Votiuus & quum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exerit fanaticus,
Sectíſque Matrem brachiis placat deam,
Furere, ac rotari ius putatur myſticum,
Parca ad ſecandum dextra fertur impia,
Cœlum meretur vulnerum crudelitas.
Aſt hic metenda dedicat genitalia
Numen reciſo mitigans ab inguine,
Offert pudendum ſemiuir donum deæ,
Illam reuulſa maſculini germinis
Vena effluenti paſcit auctam ſanguine.
Vterque ſexus ſanctitati diſplicet,
Medium retentat inter alternum genus,
Mas eſſe ceſſat ille, nec fit fœmina.
Felix deorum Mater imberbes ſibi
Parat miniſtros leuibus nouaculis.
Quid quum ſacrandus ac ipit ſphragitidas?
Acusminutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt vrere, vtque igniuerint,
Quamcunque partem corporis feruens nota
Stigmarit, hanc ſic conſecratam prædicant.
Functum deinde quum relinquit ſpiritus,
Et ad ſepulcrum pompa fertur funeris,
Partes per ipſas imprimuntur bracteæ,
Inſignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo, quod peruſtum eſt ignibus.
Has ferre pœnas cogitur gentilitas,

UVA. BHSC. BU 10922

Hac dij coërcent lege cultores ſuos,
Sic demon ipſe ludit hos, quos ceperit,
Docet execrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus.
Atnoſter iſte ſanguis ex veſtra fluit
Crudelitate, vos tyrannide impia
Exulceratis innocentum corpora,
Si vos ſinatis, incruentè viuimus,
At ſi cruentè puniamur, vincimus.
Sed iam ſilebo, finis inſtat debitus,
Finis malorum, paßionis gloria,
Iam non licebit improbè, vt licuit modo
Torquere noſtra, vel ſecare viſcera:
Cedas neceſſe eſt victus, & iam deſinas.
Ceſſabit equidem tortor, & ſector debinc,
(Iudex minatur,) ſed peremptoris manus
Succedet illis ſtrangulatrix faucium.
Aliter ſilere neſcit oris garruli
Vox inquieta, quàm tubam ſi fregero.
Dixit, foróque protrahi inßit virum,
Trudi in tenebras noxialis carceris,
Elidit illic fune collum martyris
Lictor nefandus, ſic peracta eſt paßio,
Anima abſoluta vinculis, cælum petit.
Geſta intimaſſe cuncta fertur principi
Præfectus, addens ordinem voluminum,
Seriémque tanta digerens tragœdiæ,
Latatus omne crimen in *faſces refert

*faſtos

OVA. BIBL. BO 10932

Suum

Suum tyrannus, chartulis vinacibus,
Illas sed ætas conficit diutinas
*Fuligo fuscat, paluis obducit situ, *Fuligo
Carpit senectus, aut ruinis obruit,
Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit vllus in cælis apex.
Excepit adstans angelus coram Deo.
Et quæ loquutus martyr, & quæ pertulit,
Nec verba solum differentis condidit,
Sed ipsa pingens vulnera expressit stylo,
Laterum, genarum, pectorisque, & fauciũ.
Omnis notata est sanguinis dimensio,
Vt quanque plagam sulcus exarauerit,
Altam, patentem, proximam, longam, breuem,
Quæ vis doloris, quíve segmenti modus,
Guttam cruoris ille nullam perdidit.
Hic in registris est liber cælestibus.
Monimenta seruans laudis indelebilis,
Relegendus olim sempiterno iudici,
Libramine æquo qui malorum pondera,
Et præmiorum comparabit copias.
Vellem sinister inter hædorum greges
Vt sum futurus, eminus dinoscerer
Atque hoc precante diceret rex optimus,
Romanus orat, transfer hunc hædum mihi,
Sit dexter agnus, induatur vellere:

UVA. BHSC. BU 10932

PASSIO HYPPOLYTI

martyris ad Valerianum Episcopum.

Carmen Elegiacum.

INNVMEROS cineres sanctorũ Romula in vrbe
Vidimus ô Christi Valeriane sacer.
Incisos tumulis titulos, & singula queris,
Nomina difficile est vt replicare queam.
Tantos impiorum populos furor impius hausit,
Quum coleret patrios Troia Roma deos.
Plerima litteralis signata sepulcra laqueatur,
Martyris aut nomen, aut epigrãma aliquod.
Sunt & mutatamen tacitas clausentia tumbas
Marmora quæ solum significant numerum.
Quanta virum hiceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexagesima illic defossa mole sub vna
Reliquias memini me dedicisse hominum,
Quorum soles habet comperta vocabula Christus,
Vt pote quos propriè iunxit amicitia.
Hæc dum lustro oculis, & si cubi fortè latentes
Rerum spices veterũ per monumenta sequor:
Inuenio Hippolytũ (qui quo dã schisma Nouati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans)
Vsque ad martyrij prosectum insigne tulisse
Lucida sanguinei præmia supplicij.
Nec mirere senem puerbus egressis olim

Musæ

Munere ditatum catholicæ fidei.

Quum iam vesano victor raperetur ab hoste
Exultante anima carnis ad exitium,
Plebis amore suæ multis comitantibus ibat,
Consultus quæ nam secta foret melior,
Respondit: fugite ô miseri execranda Nouati
Schismata, catholicis reddite vos populis.
Vna fides vigeat, prisco quæ condita templo est,
Quam Paulus retinet, quamq; cathedra Petri.
Quæ docui, docuisse piget, venerabile martyr
Cerno quod à cultu rebar abesse Dei.
His vbi detorsit leuo de tramite plebem,
Monstrauitq; sequi quà via dextra vocat:
Séq; decem recti spretis anfractibus idem
Præbuit, erroris qui prius auctor erat:
Sistitur insano rectori christicolûm tunc
Ostia vexanti per Tyberina viros.
Illo namq; die Roma secesserat, ipsos
Peste suburbanos vt quateret populos.
Non contenta humano cessæ intra mœnia Romæ
Tingere infœlicum cædibus æquoreis.
Ianiculum quē iam madidum, fora, rostra, suburram
Cerneret eluuie sanguinis affluere,
Protulerat rabiem Tyrrhenū ad littoris oram,
Quæq; loca æquoreus proxima portus habet.
Inter carnifices, & constipata sedebat
Officia, extructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandiq; rebelles

UVA. BHSC. BV 109[illegible]

Idolÿ, ardebat dedere perfidiæ.
Carcereo crinita situ stare agmina contra
Iusserat horrendis excrucianda modis,
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra
Stridere, virgarum concrepitare fragor.
Vngula fixa canis costarum cratibus altos
Pandere secessus, & lacerare iecur.
Ac iam lassatis iudex tortoribus ibat
In furias, cassa* cognitione fremens.
Nullos enim Christi ex famulis per tanta repertus
Supplicia, auderet qui vitiare animam.
Inde furens quæsitor ait, iam tortor ab vno
Desine, si vana est quæstio, morte agito.
Huic abscinde caput, crux ipsum tollat in auras,
Vinentisq; oculos offerat altitibus.
Hos rape præcipites, & vinctos conice in ignem,
Sit pyra quæ multos deuoret vna reos.
En tibi quos properes rimosæ imponere cymbæ.
Pellere & in medÿ stagna profunda freti.
Quos vbi susceptos rapidum malesuta per æquor
Vexerit, & tumidis celsa labarit aquis:
Dissociata patrem laxent tabulata carinam,
Conceptumq; bibant vndiq; naufragium.
Squamea cæruleos præstabit ventre sepulcrum
Bellua consumptis cruda cadaueribus.
Hæc persultanti, celsum subitò ante tribunal
Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circum iuuenes clamore fremebant

UVA. BHSC. BU 10032

Ipsum

*editio-

Ipsum Christicolis esse caput capulis.
Si foret extinctum propere caput, omnia vulgi
Pectora Romanis sponte sacranda deis.
Insolitum lethi pescunt genus, & nova pœna
Inuenta, exemplo quo trepident alij.
Ille supinata residens cervice, quis, inquit,
Dicitur? affirmant dicier Hippolytum.
Ergo sit Hippolytus, quatiat, turbetq; ingales,
Intereatq; feris dilaceratus equis.
Vix hæc ille, duo cogunt animalia frenis
Ignara, insueta subdere colla iugo.
Non stabulis, blandisve manus palpata magis
Imperiumq; equitis ante subacta pati,
Sed campestre vago nuper pecus è grege captum,
Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Iamq; reluctantes sociarant vincula bigas,
Oraq; discordi fœdere nexuerant.
Temonis vice funis inest, qui terga duorum
Dividit, & medius tangit utrumq; latus.
Deq; iugo in longum se post vestigia retro
Protendens trahitur, transit & ima pedum.
Huius ad extremum sequitur qua pulvere summo
Cornipedum refugas orbita trita vias,
Crura viri innectit laqueus, nodóque tenaci
Astringit plantas, atque rudente ligat.
Postquam composito satis instruxere parato
Martyris ad pœnam, verbera, vincla, feras:
Instigant subitis clamoribus, atque flagellis,

UVA. BHSC. BU 10932

Iliáque infectis perfodiunt stimulis.
Vltima vox audita senis venerabilis hæc est:
Hi rapiant artus, tu rape Christe animam.
Prorumpunt alacres: cæco & terrore feruntur
Quà somnus, atque tremor, quà furor exagitant.
Incondita feritas, rapit impetus, & fragor vrget,
Nec cursus volucer mobile sentit onus.
Per sylvas, per saxa ruunt, non ripa retardat
Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.
Prosternunt sepes, & cuncta obstacula rumpunt,
Prona fragosa petunt, ærdua transiliunt.
Scissa minutatim labefacto corpore frusta
Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus hæret,
Parte rubent frondes, parte madescit humus.
Exemplar sceleris paries habet illitus, in quo
Multicolor fucus digerit omne nefas.
Picta super tumulum species liquidis viget vmbris
Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi optimè Papa,
Purpureásq; notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos,
Luserat & minio rosseolam saniem.
Cernere erat ruptis compagibus ordine nullo
Membra per incertos sparsa iacere situs.
Addiderat charos gressu, lacrymísque sequentes
Dema quà fractum semita monstrat iter.
Mœrore attoniti, atque oculis rigantibus ibant,

VVA. BHSC. BU 10932

Im-

Implebantq; sinus visceribus laceris.
Ille caput nivem complectitur, ac reverendam
Canitiem molli confovet in gremio.
Hic humeros, truncásq; manus, & brachia, et ulnas,
Et genua, & crurum fragmina nuda legit.
Palliolis etiam bibulæ siccantur harenæ
Ne quis in *intacto pulvere ros maneat. *infecto
Si quis & in sudibus recalenti aspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.
Nec iam densa sacro quicquam de corpore sylva
Obtinet, aut plenis frondat ab exequiis.
Quámque recensiti constaret partibus ille
Corporis integri qui fuerat numerus,
Nec purgata aliquid deberent avia toto
Ex homine, extersis frondibus, & scopulis.
Metando eligitur tumulo locus, ostia linquunt,
Roma placet, sanctos quæ teneat cineres.
Haud procul extremo cultæ ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta latet foveis.
Huius in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas nanq; fores submotenuis intrat hiatus,
Illustrátque dies limina vestibuli.
Inde ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum.
Occurrunt celsis *immensa foramina tectis, *immissa
Quæ iaciunt claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,

UVA. BHSC. BU 10932

Arcta ſub vmbroſis atria porticibus:
Attamen exciſi ſubter caua viſcera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.
Sic datur abſentis per ſubterranea ſolis
Cernere fulgorem, luminibúſque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter vbi appoſita eſt ara dicata Deo.
Illa ſacramenti donatrix menſa, eadémque
Cuſtos fida ſui martyris appoſita,
Seruat ad æterni ſpem Iudicis oſſa ſepulcro,
Paſcit item ſanctis Tybricolas dapibus.
Mira loci pietas, & prompta precantibus aræ
Spes hominum placida proſperitate iuuat.
Hic corruptelis, animiq; & corporis æger
Oraui quoties, ſtratus opem merui.
Quod lætor reditu, quod te venerande ſacerdos
Complecti licitum eſt, ſcribo quod hæc eadem,
Hippolyto ſcio me debere, Deus cui Chriſtus
Poſſe dedit quod, quis poſtulet annuere.
Ipſa illas animæ exuuias, quæ continet intus
Aedicula argento fulgurat ex ſolido.
Præfixit tabulas diues manus æquore leui,
Candentes recauum quale nitet ſpeculum.
Nec pariis contenta aditus obducere ſaxis,
Addidit ornando clara talenta operi.
Mane ſalutatum concurritur: omnis adorat
Pubes, eunt redeunt ſolis aduſque obitum.
Conglobat in cuneum latios ſimul, ac peregrinos

UVA. BHSC. BU 10932

Permi-

Permiſtim populos, religionis amor,
Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Balſama diffundunt, fletibus ora rigant.
Iam cùm ſe renouat decurſis menſibus annus,
Natalémq; diem paßio facta refert:
Quanta putas ſtudiis certantibus agmina cogi,
Quæue celebrando vota coire Deo?
Vrbs auguſta ſuos vomit, effunditq́; Quirites,
Vnà & Patricios ambitione pari,
Confundit plebeia phalanx vmbonibus æquis
Diſcrimen procerum, præcipitante fide.
Nec minus Albanis acies ſe candida portis
Explicat, & longis ducitur ordinibus.
Exultant fremitus variarum hinc inde viarum
Indigena & Picens, plebs & Ethruſca venit.
Concurrit Samnitis atrox habitator, & altæ
Campanus Capuæ, iamq́; Nolanus adeſt.
Quiſque ſua lætus cum coniuge, dulcibus & cum
Pignoribus, rapidum carpere geſtit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Hæret & in magnis denſa cohors ſpatiis.
Anguſtum tantis illud ſpecus eſſe cateruis,
Haud dubium eſt, ampla fauce licet pateat.
Stat ſed iuxta aliud quod tanta frequentia templum
Tunc adeat cultu nobile regifico.
Parietibus celſum ſublimibus, atque ſuperba
Maieſtate potens muneribusq́; opulens.
Ordo columnarum geminus loquearia tecti

UVA. BHSC. BU 10932

Sustinet auratis suppositus trabibus.
Adduntur graciles tecto breuiore recessus,
Qui laterum seriem iugiter exsinuent.
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis, exurgens editore apice.
Ponte sub aduersa gradibus sublime tribunal
Tollitur, Antistes prædicat vnde Deum.
Plena laborantes ægre domus accipit vndas,
Arctáq; confertis æstuat in foribus,
Maternum pendens gremium quo condat alumnos
Ac foueat fœtos accumulata sinus.
Si bene commemini, colit hunc pulcherrima Roma
Idibus augusti mensis, vt ipsa vocat.
Prisco more diem quem te quoque sancte magister
Annua festa inter dinumerare velim.
Crede salutigeros feret hic venerantibus ortus
Lucis honoratæ præmia restituens.
Inter solennes Cypriani vel Chelidonij,
Eulaliæq; dies currat & iste tibi.
credita. *Sic te pro populo cuius tibi *tradita, vita est,*
Orantem Christus audiat omnipotens.
Sic tibi de pleno lupus excludatur ouili,
Agna nec vlla tuum capta gregem minuat.
Sic me gramineo remanentem denique campo
Sedulus ægrotam pastor ouem referas.
Sic cum lacteolis caulas compleueris agnis,
Raptus & ipse sacro sis comes Hippolyto.

PASS

UVA. BHSC. BU 10932

PASSIO BEATORVM

Apostolorum Petri & Pauli.

Carmen Archilochium, constans tetrametro bucolico, & tribus trochæis. Alterum verò Iambicum Hipponactium, constans semiquinaria Iambica, & tribus Iambis, hoc modo:

— ∪∪ — ∪∪ — — — ∪∪ — ∪ — ∪ — ∪

— — ∪ — — — ∪ — ∪

PLVS solito coëunt ad gaudia, dic amice quid sit,
Romam per omnem cursitant, quántque.
Festus apostolici nobis redit hic dies triumphi,
Pauli atque Petri nobilis cruore.
Vnus vtrunque dies, pleno tamen innouatus anno
Vidit superba morte laureatum.
Scit Tyberina palus, quæ flumine labitur propinquo
Binis dicatum cespitem trophæis.
Et crucis, & gladij testis, quibus irrigans easdem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis,
Pendere iussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
Ambire tanti gloriam Magistri:
Exigit vt pedibus mersum caput imprimat supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen,
Hoc mente maior, quo minor figura.

UVA. BHSC. BU 10932

Nouerat ex humili cælum citius ſolere adiri.
Deiecit hora, ſpiritum daturus.
Vt teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
Diémque eundem Sol reduxit ortus:
Euomit in iugulum Pauli Nero feruidum furorem,
Iubet feriri gentium magiſtrum.
Ipſe prius ſibimet finem cito dixerat futurum,
Ad Chriſtum eundem eſt, iã reſoluor, inquit.
Nec mora, protrahitur, pœnæ datur, immolatur enſe,
Non hora vatem, non dies fefellit.
Diuidit oſſa duum Tybris ſacer ex vtraque ripa,
Inter ſacrata dum fluit ſepulchra.
Dextra Petrum regio teſtis tenet aurei receptum,
Canens oliua, murmurans fluento.
Nanque ſupercilio ſaxi liquor ortus, excitauit
Fontem perennem chriſmatis feracem.
Nunc pretioſa ruit per marmora, lubricátque cliuum
Donec virenti fluctuet Colymbo.
Interior tumuli pars eſt vbi lapſibus ſonoris
Stagnum niuali volutur profundo,
Omnicolor vitreas pictura ſuperne tinguit vndas,
Muſci relucent, & vireſcit aurum.
Cyaneúſque latex vmbram trahit imminentis oſtri,
Credas moueri fluctibus lacunar.
Paſtor oues alit, ipſe illic gelidi rigore fontis
Videt ſitire quas fluenta Chriſti.
Parte alia titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis,
Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum.

UVA. BHSC. BU 40932

Regia Pŏpæ loci est, prĭceps bonus has sacrauit arces,
Lusitq; magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus subleuit, vt omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu iubar sub ortu.
Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas,
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum Camyros hyalo insigni variè cucurrit arcus,
Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei summo patre conferente dotes,
Vrbi colendas quas dedit togatæ.
Aspice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus fernet vna festis.
Nos ad vtrunq; tamen gressu properemus incitato,
Et his & illis perfruamur hymnis.
Ibimus vlterius qua fert via pontis Hadriani,
Leuam deinde fluminis petemus.
Transtyberina prius soluit sacra peruigil sacerdos,
Mos hæc recurrit, duplicatq;, vota.
Hæc didicisse sat est Romæ tibi, tu domum reuersus,
Diem bifestum si colas memento.

PASSIO CYPRIANI
Martyris & Episcopi Carthaginensis.

Versus est Archilochius, constans tetrametro bucolico, & tribus Trochæis, hoc modo:

–∪∪ –∪∪ –– –∪∪ –∪ –∪ –×

UVA. BHSC. BU 10932

PANICA terra tulit, quo splẽdeat omne quicquid
vsquam est,
Inde domum Cyprianum sed decus orbis, magistrum.
Est proprius patriæ martyr, sed amore, & ore noster,
Incubat in Lybia sanguis, sed vbiq; lingua pollet:
Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit,
Dũ genus esse homini Christ⁹ sinet & vigere mũdũ,
Dum liber vllus erit, dum scrinia sacra literarum.
Te leget omnis amans Christũ, tua Cypriane discet,
Spiritus ille Dei, qui fluxerat autor in prophetas
Fontibus eloquij te cælitus actus irrigauit.
O nive candidius linguæ genus, ô nouum saporem
Vt liquor ambrosius cor mitigat, imbuit palatum,
Sedẽ animæ penetrat, mẽtẽ fouet, & pererrat artus.
Sic Deus interius sentitur, & inditur medullis.
Vnde bonum subitum terris dederis pater reuela.
Deerat apostolicis scriptis opulentus executor,
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem,
Quæq; voluminibus Pauli famulata disputaret,
Quo mage cruda homini præcordia perpolita nossent,
Sine timoris opus, seu mystica, vel profunda Christi.
Vnus erat iuuenum doctissimus artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Sæpe etiam magicum cantamen inire per sepulcra,
Quo geniale tori ius solueret æstuante nupta.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repente Christus,
Discutit & tenebras de pectore, pellit & furorem,
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti,

UVA. BHSC. BU 10932

Iamq;

Iamq; figura alia est, quàm quæ fuit oris & nitoris.
Exuitur tenui vultus cute, transit in seueram,
Deflua cæsaries compescitur ad breues capillos,
Ipse modesta loqui, spem quærere, regulam tenere,
Viuere iustitia Christi, & penetrare dogma nostrũ.
His igitur meritis dignissimus vsque episcopale
Prouehitur solium Doctor, capit & sedile summum.
Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus,
Constituere simul pœna capitis Deum fatenti.
Millia terrigenum spurcissima iusserant sacrari,
Contrà animos populi doctor Cyprianus incitabat,
Ne qui ab egregiæ virtutis honore discreparet,
Neu fidei pretium quis sumere degener timeret,
Esse leuem cruciatum, si modo conferat futura,
Quæ Deus ipse viris intermina fortibus spopondit,
Merce doloris emi spem luminis, & diem perennem,
Omne malum volucri nã tẽpore transuolare cursus,
Nil graue quod peragi finis facit, & quiete donat,
Se fore principium pulchræ necis, & ducem cruoris
Seq; caput gladio submittere, sanguinem dicare,
Qui sociare animã Christo velit, vt comes sequatur.
His vbi corda virum Christo calefacta præparauit,
Ducitur ante alios Proconsule perfurente vinctus.
Antra latent Tyriæ Carthaginis altius reposta,
Conscia tartareæ caliginis abdicata soli:
Clausus in his specubus sanctus Cyprianꝰ, & catenæ
Nexus vtraq; manu, nomen patris inuocat supremi:
Omnipotẽs genitor Christi decus, & creator orbis,

UVA. BHSC. BU 10932

Christe parens hominis, quẽ diligis, & vetas perire,
Ille ego, vipereis quem tu bonus oblitum venenis
Criminibus variis tinctum miseratus abluisti,
Iamq; tuum fieri mandas, fio Cyprianus alter,
Et novus ex veteri, nec iã reus, aut nocens, vt antè,
Si lutenm facili charismate pectus expiasti:
Vise libens tenebris ergastula caeca dissipatis,
Eripe corporeo de carcere, vinculisque mundi
Hanc animam, liceat fuso tibi sanguine immolari.
Ne qua ferum reprimat clementia iudicem tyranni,
Nec sciat invidia mitescere, gloriam negare,
Da quoq; ne quis iners sit de grege, quẽ tuũ regebã,
Ne cadat impatiens pœne, timebitve quis tuorum,
Incolumẽ vt numerũ reddã tibi, debitúmque soluam.
Vocibus his Dominum permouerat, influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
Ingenij, stimulis vt pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum,
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Christum sapere & fidem tueri.
Fama refert foueam campi in medio patere iussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam,
Saxa recocta vomunt ignem, niueúsque pulvis ardet,
Vrere tacta potens, & mortifer ex odore flatus,
Appositam memorant aram fossa stetisse summa
Lege, sub hac salis aut micam, iecur & suis litarent
Christicolæ, aut medio spente irruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul recenti,

UVA. BHSC. BU 10932

Cur-

Gurgite puluereo mersos liquor aridus vorauit,
Præcipitémque globum fundo tenus implicauit imo.
Corpora cădor habet, candor vehit ad superna mĕtes
Cădida massa debinc dici meruit per omne seclum.
Lætior interea iam Thascius ob diem suorum,
Sistitur indomiti proconsulis eminus furori
Dogmatis, atque loci iussus gen', Christianus inquit,
*Trado salutiferi mysteria consecrata Christi, *Seruo
Ille sub hæc, satis est iam criminis ipse confitetur
Thascius, ipse Iouis fulmen negat, expedite ferrum,
Carnificis gladio pœnam luat hostis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, & canit triumphans.
Flenit obire virũ mœsta Africa, quo docĕte facta est
Cultior, eloquio cuius sibi docta gloriatur,
Mox tumulũ lacrymăs struxit, cinerésque cõsecrauit.
Desine flere bonum tantum, tenet ille regna cœli
Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe,
Disserit, eloquitur, tractat, docet instruit, prophetat.
Nec Lybiæ populos tantum regit exit vsque in ortum
Solis, & vsque obitũ, Gallos fouet, imbuit Britănos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit vltimis Hiberis,
Deniq; doctor humi est, idĕ quoque martyr in supnis,
Instruit hic homines illinc pia dona dat patronus.

PASSIO AGNETIS MARTIRIS.

Carmen Alchaicum, constans Pentemimere Iambica, & duobus dactylis, hoc modo:

UVA. BHSC. BU 10932

— ⏑ — — ⏑ ⏑ — ⏑ ⏑

AGNES sepulchrum est Romulea in domo
Fortis puellæ, martyris inclytæ.
Conspectum in ipso condita turrium
Seruat salutem virgo Quiritum:
Nec non & ipsos protegit aduenas,
Paro ac fideli pectore supplices.
Duplex corona est præstita martyri,
Intactum ab omni crimine virginal.
Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt iugali vix habilem toro
Primis in annis forte puellulam
Christo calentem, fortiter impiis
Ipsis renisam, quo minus idolis
Addicta sacrum desereret fidem.
Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi iudicis illice,
Nunc sæuientis carnificis minis.
Stabat feroci robore pertinax,
Corpusque duris excruciatibus
Vltro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus, si facile est, ait,
Penam subactis ferre doloribus,
Et vita vilis spernitur, at pudor
Charus dicatæ virginitatis est.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum est, ad aram ni caput adplices,
Ac de Minerua iam veniam roges.

OVA. BHSC. BCL0932

Quam

Quam virgo pergit temnere virginem,
Omnis inuentus irruat, & nouum
Ludibriorum mancipium petat.
Haud, inquit Agnes, immemor est ita
Christus suorum, perdat vt aerumnam
Nobis pudorem, nos quoque deserat,
Presto est pudicis, nec patitur sacra
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis sanguine, si voles,
Non inquinabis membra libidine.
Sic elocatam, publicitus iubet
Flexus in platea fistere virginem.
Stantem refugit mœsta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit vnus fortè procacior
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico.
En alis ignis faminis in modum
Vibratur ardens, atque oculos ferit,
Cecus corrusco lumine corruit,
Atque in platea palpitat.
Tollunt sodales semineem solo,
Verbisq; deflent exequialibus.
Ibat triumphans virgo, Deum patrem
Christumq; sacro carmine concinens,
Quod sub profani labe periculi
Castum lepasset nec violabile

UVA. BHSC. BU 10932

Experta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam rettulerint preces
Fudisse Christo, redderet vt reo
Lucem iacenti, tum iuueni halitum
Vitæ innouatum visibus integris.
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
Cœlestis aulæ, mox alius datur,
Accensus iram nam furor incitat
Hostis cruenti, vincor ait gemens,
Astringe ferrum miles, & exere
Præcepta summi regia principis.
Vt vidit Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Exulto, talis quod potius venit
Vesanus, atrox, turbidus armiger,
Quàm si veniret Languidus ac tener,
Mollisque ephebus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic hic amator (iam fateor) placet,
Ibo irruentis gressibus obuiam,
Nec demorabor vota calentia
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectúsque ad imum vim gladij trahens
Sic nupta Christo transiliam polŏ
Omnes tenebras, æthere celsior.
Æterne rector dissideia nuas
Cœli obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem Christe animam voca

VVA. BHSC. BU 10932

Tum

Tum virginalem, tum patris hostiam.
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat, vulnus vt imminens
Cervix subiret prona paratius.
Ast ille tantam spem peragit manu,
Vno sub ictu nam caput amputat.
Sensum doloris mors cita præuenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Libérque in auras exilit, Angelis
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm,
Spectat tenebras arduas subditas,
*Ridétque solis quod rota circuit *vidétq
Quod mundus omnis volvit, & implicat,
Rerum quod atro turbine vinitur
Quod vana secli mobilitas rapit
Reges, tyrannos, imperia, & gradus,
Pompásque honorum stulta tumentium,
Argenti & auri vim rabida siti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula,
Illusa picte vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula,
Nunc triste longum, nunc breue gaudium,
Liuoris atri fumificas faces,
Nigrescit vnde spes hominum, & decus,
Et quod malorum tetrius omnium est,
Gentilitatis sordida nobila.

UVA. BHSC. BV 10932

Hæc calcat Agnes, ac pede proterit
Stans, & Draconis calce premens caput,
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit & inferis.
Nunc virginali perdomitus solo,
Cristas cerebri deprimit ignei,
Nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus Martyris innubæ,
Vnam decemplex ædita sexies
Merces perenni lumine conficit.
Centenus extat fructus in altera.
O virgo felix, ô noua gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola,
Intende nostris colluuionibus
Vultum gemello cum diademate,
Cui posse soli cuncti parens dedit
Castum vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si iecur impleas,
Nil non pudicum est, quod pia viscere
Dignaris, almo vel pede tangere.

FINIS.

AVRI-

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRV-
DENTII CL. V. C.

ἀποθέωσις,

*

PRAEFATIO.

Carmen eſt heroïcum Dactylicum.

Est tria ſumma Deus, trinũ ſpecimẽ, vigor vnus,
Corde patris genita eſt Sapientia filius ipſe.
Sanctus ab æterno ſubſiſtit ſpiritus ores.
Tempore nec ſenior pater eſt, nec numine maior:
Nam ſapiens retro ſemper Deus, ædidit ex ſe
Per quod ſemper erat gignenda ad ſecula Verbum.
Edere ſed verbum patris eſt, at cætera Verbi
Adſumptum geſtare hominem, reparare peremptũ,
Conciliare patri, dextráque in ſede locare,
Spiritus iſta Dei complet, Deus ipſe fideles
In populos chariſma ſuum diffundere promptus,
Et patris, & Chriſti virtutẽ in corpora transfert.

HYMNVS IN *infideles.*

Carmen Epodon, conſtans ſenario
Iambico, cui additus eſt dimeter
Iambicus, qui ſic ſe habent,

UVA. BHSC. BU 10932

– – ∪ – ∪ – ∪ – – – ∪ –

– – ∪ – – – ∪ –

Est vera secta (te magister consulo)
Rectámne seruamus fidem?
An viperina non cauemus dogmata?
Et nescienter labimur?
Arctam salutis vix viam discernere est
Inter reflexas semitas.
Tam multa surgunt perfidorum compita,
Tortis polita erroribus.
Obliqua sese conferunt diuortia
Hinc inde textis orbitis.
Quas si quis errans ac vagus sectabitur
Rectum relinquens tramitem:
Scrobis latentis pronus in foueam ruet,
Quam fodit hostili manus.
Manus latronum quæ viantes obsidet,
Iter sequentes deuium.
Quid non libido mentis humanæ struat:
Quid non malorum pruriat?
Statum lacessunt omnipollentis Dei
Calumniosis litibus.
Fidem minutis dissecant ambagibus,
Vt quisque lingua est nequiori,
Soluunt, ligántque quæstionum vinculæ
Per syllogismos plectiles,
Væ captiosis sycophantarum strophis,
Væ versipelli astutiæ.

UVA. BHSC. BU 10932

Nodos tenaces recta rumpit regula
Infesta dissertantibus.
Iccirco mundi stulta delegit Deus,
Vt concidant sophistica,
Deq; imbecillis subiugauit fortia,
Simplex vt esset credere.
Lapis ecce nostro fixus offensaculo est,
Impingat in quem vanitas.
Signum cauenti, non cauenti scandalum.
Hunc sternit, illum dirigit.
Dum plura tentat cæcus incerto gradu,
Incurrit id quod obuium est.
Fax sola fidei est præferenda gressibus,
Vt recta sint vestigia.
Quis in tenebris hostis errantes tamen
Pulsat; trahitq; & poterit?
Qui sparsa ad ipsum commeantum transitum
Frumenta sæuus deuorat.
Qui læta Christi culta fur interpolat,
Addens auenas æmulas,
Quas de veneni lacte in herbam fertilem
Patitur colonus crescere.
Ne forte culmum fibra inanis spiceum
Simul reuulsa internecet.
Expectat ergo dum dolosa, & farrea
Feruens coquat maturitas,
Det ventilabro lecta quæq; vt horreis,
Vrat recrementum focis.

UVA. BHSC. BV 10932

Refert sed ipsa nosse, quæ messem necant
Zizaniorum semina.

CONTRA HAERESEM, quæ Patrem passum affirmat.

PLVRIMA sunt, sed pauca loquar, ne dira relatu
Dogmata catholicam maculẽt malè prodita linguã.
Ille Patrem pellens solio detrudit in arctum
Corporis humani gestamen, nec passet ipsum
Obiectare neci, duróque adfigere ligno.
Passibilis ne Deus? cuius species, & imago
Nulli visa unquam, nec enim comprendier illa
Maiestas facilis, sensú ve, oculísve, manúve.
Ioannis magni celebris sententia præsto est:
Haud unquam testata Deum potuisse videri.
Ille, pater: quem nulla acies violenta tuendo
Eminus ardentis penetrauit acumine visus,
Qui se formam hominis non induit, & Deitatis
Immensum adsumpto non temperat ore, modóve.
Aut euangelici pietas spernenda libelli
Iam blasphemie tibi est: aut nunquam visa beati
Vis intacta patris, non admiscenda caducis.
Sed tamẽ & patris est specimẽ, quod cernere fas sit
Humanis aliquando oculis concurrere promptum,
Quod quamuis hebes intuitus speculamine glauco,
Humentiq; acie potuit nebulosus adire.
Quisquis hominiũ vidisse Deum memoratur, ab ipso

VVA. BHSC. BU 10932

Infusum

Infusum vidit gnatum. nam filius hoc est,
Quod de patre micans se prestitit inspiciendum,
Per species quas posset homo comprendere vise.
Nam mera maiestas est infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo ni se moderamine formet.
Hoc vidit princeps generosi seminis Abram,
Iam tunc dignati terras inuisere Christi
Hospes homo in triplicem numen radiasse figuram,
Hoc colluctantis tractarunt brachia Iacob.
Ipse dator legis diuine accedere corām
Iussus, amicitie collato qui stetit ore
Comminus, & sacris coniunxit verba loquelis,
Carnis in effigie Christum se cernere sensit:
Sed maiora petens, animum per vota tetendit
Inconcessa homini, plus quàm mortale laborans,
Ipsum quantus erat sine corpore visere Christum,
Deniq; post multi sermonis mutua, pústque
Conspectum presentis heri, & consortia longa,
Queso ait, vt liceat te nunc Deus optime nosse.
Respondit Dominus, mea, non me, cernere iustis
Posteriora dabo. quid apertius absque aliena
Quàm sumat facie verbum non posse videri?
Posse tamen, quum malit idem nunquā patre viso,
Terrenis oculis habitu se ostendere nostro:
Sepe & in angelicas vel mortales memoratum est
Induci species, queat vt sub imagine cerni.
Hoc verbum est, quod vibratum patris ore benigno
Sumpsit virgineo fragilem de corpore formam.

UVA. BHSC. BU 10932

Inde figura hominis nondum ſub carne Moyſi
Obiecta, effigiem noſtri ſignauerat oris,
Quod quandoq; Deus verbi virtute coactum
Sumpturus corpus faciem referebat eandem.
Sed tamen & ſentum viſa eſt excita cremare
Flamma rubum, Deus in ſpinis volitabat acutis,
Vulnificasq; comas innoxius ignis agebat:
Eſſet vt exemplo, Deus illapſurus in artus
Spiniferos, ſudibus quos texunt crimina denſis,
Et peccata malis hirſuta doloribus implent.
Inculta nam ſtirpe frutex vitioſus iniquis
Luxuriem virgis inhoneſto effundere ſucco
Cœperat, & nodos per acumina crebra ligabat.
Cernere erat ſteriles ſubitò ſplendeſcere frondes,
Accenſisq; citum foliis magno impete latè
Collucere Deum, nec ſpinea lædere texta,
Lambere ſanguineos fructus, & poma cruenta,
Stringere mortiferi vitalia germina ligni.
Quandoquidem triſtes purgantur ſanguine culpæ,
Quem contorta rubus denſis cruciatibus edit:
Ergo nihil viſum, niſi quod ſub carne videndum,
Lumen, imago Dei, Verbum Deus, & Dens ignis,
Qui ſentum noſtri peccamen corporis implet:
Nam lucis genitor, Verbi ſator, auctor, & ignis
Creditur extra oculos, vt Apoſtolus edocet autor,
Qui negat intuitu fontem deitatis adiri.
Credite, nemo Deum vidit, mihi credite, nemo.
Viſibilis de fonte Deus, non ipſe Dei fons

UVA. BHSC. BU 10932

Visibilis. cerni potis est qui nascitur, at non
Innatus cerni potis est: latet os patris illud,
Vnde Deus, qui visibilem se præstitit olim,
Tale aliquid formans in sese, quale sequuta est
Passio, quæ corpus sibi vendicat: ardua nam vis
Est impassibilis, quoniam natura superni
Ignis ad horrificas nescit descendere pœnas,
Nec capit humanis angoribus excruciari,
Pura, serena, micans, liquido prælibera motu,
Subdita nec cuiquam, dominatrix vtpote rerum,
Cui non principium de tempore, sed super omne
Tempus, & ante diem maiestas cum patre summo,
Imò animus patris, & ratio, & via consiliorum,
Quæ non facta manu, nec voce creata iubentis,
Protulit imperium patrio ructatæ profundo.
Hanc igitur non flagra secant, non sputa salivis
Aspergunt, alapis non vexat palma relisis:
Nec perfossa cruci clauorum vulnera figunt.
His affecta caro est hominis, quẽ fœmina prægnans
Enixa est sub lege veteri, sine lege mariti.
Ille famem patitur, fel potat, & haurit acetum,
Ille pauet mortis faciem, tremit ille dolorem.
Dicite sacrilegi doctores, qui patre summo
Desertum iacuisse thronum contenditis, illo
Tempore quo fragiles Deus est illapsus in artus.
Ergo pater passus? quid non malus audeat error!
Ille puellari conceptus sanguine creuit?
Ipse verecundæ distendit virginis aluum?

UVA. BHSC. BP 10932

Et iam falsiloqua est diuini pagina libri,
Quæ verbum in carnis loquitur fluxisse figuram?
At non qui verbi pater est caro factus habetur.
Fige gradum scriptura tuum, nil mobile, & anceps
Affirmasse decet, pater est quem cernere nulli
Est licitum, pater est qui nũquam visus in orbe est,
Nec mundana inter radiauit lumina coram.
Verbum conspicuum misit, missumq; recepit
Quum voluit, verbo præstrinxit viscera puræ
Virginis, & verbo struxit puerilia membra.
Ipse quidem in terris virtute, & *numine præsens
Semper adest quocunque loci, nec pars vacat vlla
Maiestate patris, nusquam est genitor Deus absens.
Per verbum sed semper adest, atque inde Philippo
Christus ait: Tanto tecum iam tempore versor,
Et patrem te nosse negas, quem perspicis in me?
Est inuisibilis donum patris edere natum
Visibilem, per quem valeat pater ipse videri:
Nec solis sanctorum oculis, sed lumine cassis,
Cæcorum cæcos loquor, atra socordia quorum
Corde tenebroso verum perpendere nescit.
Quem si perspicuum mortalibus inficiaris,
Eare age, quem videat Babylonis ab arce tyrannus
Innocuas inter flammas procul exspaciantem,
Calcantem rapidos inadustis fratribus ignes?
Nempe ait, â proceres tres vasta incendia anhelis
Accepere viros fornacibus, additus vnus.
Ecce raporiferos ridens intersecat ignes,

munere.

UVA.-BHSC.-BU 10932

Filius ille Dei est fateórque & victus adoro,
Irrisas remouete faces, tedasq; tepentes
Subtrahite, en friget succensi sulphuris ardor.
Filius haud dubium est, agit hæc miracula rerum,
Quem video Deus ipse, Dei certissima proles,
Imperat immensis ardoribus; & domat iras,
Insultans famulante rogo, piceósque furores
Comprimit, & rabiem flammarum algescere cogit:
Barbaricos calida aura sinus non tangere iussa
Præterit, & tenues stridens transcurrit amictus
Ire per Assyrias vetitus vapor ipse tyaras,
Ne coma fusa humeris fumo obsordescat amaro.
Hæc ait, & varios iubet obmutescere cantus,
Organa, sambucas, citharas, calamosq; tubasq;,
Stulta superstitio tacuit, vox festa quieuit,
Quæ malè conspicuæ celebrabat imaginis aurum.
Carmina sanctorum resonant iam sola virorum,
Concentu triplici regem laudantia cœli
Qui mare, qui terras, qui lucida sydera fecit,
Ignibus & mediis securos texit alumnos.
Semper in auxilium sermo patris omnipotentis
Descendit seruando homini, mortalia semper
Admiscenda sibi proprio curauit amore,
Vt socianda caro, dominóque implenda perenni
Degenerem vitam, quam tunc animalis agebat,
Exemplo mutaret heri, similesque per artus
Cernere consortem terreni adsuesceret oris,
Participémque suum visu velut obside nosse.

UVA. BHSC. BU 1991

Et consanguineo paulatim accedere Christo.
Ergo animalis homo quondam, nunc spiritus illum
Transtulit ad superi naturam seminis, ipsum
Infundendo Deum mortalia viuificantem.
Nunc noua materies solidata intercute flatu,
Materies sed nostra tamen de virgine tracta
Exuit antiquæ corrupta exordia vitæ,
Immortale bonum proprio spiramine sumens.
Filius ille hominis, sed filius ille tonantis,
Iam solus vultum patris aspicit, & videt ipsum.
Nemo patrem nouit nisi filius, & cui monstrat
Filius, & nostri mediator, & omnipotentis.
Deniq; concludam breuis vt compendia summæ:
Non pater in carnem descendit, sed patris arcem
Sumpta caro ascendit, natus per vtrunque cucurrit.

CONTRA VNIONITAS, id est, Sabellianos Hæreticos.

CEDE *profanator Christi, iam cede Sabelli,*
Depositorq; patris, natique insane negator.
Nónne patrem violas, dum natum scire recusas?
Quandoquidem non est genitor, nisi filius extet,
Nec vocitare patrem potis es, quẽ germine fraudas.
Sed fortasse velis patriæ pietatis honore
Dispoliare Deum, contentus nomine nudo
Quod Deus est, adimasq; dec⁹ patris, & generis vim.
Et quis in idolio recubans, inter sacra mille,
Ridiculósque deos venerans sale, cespite, thure

UVA. BHSC. BU 10932

Non putat esse Deum summũ, & super omnia solũ?
Quamuis Saturnis, Iunonibus, & Cytheræis,
Portentísque aliis fumantes consecret aras:
Attamen in cœlum quoties suspexit, in vno
Constituit ius omne Deo, cui seruiat ingens
Virtutum ratio variis instructa ministris.
Quæ gens tã stolida est animis? tã barbara linguis?
Quæue superstitio tam sordida? quæ caniformem,
Latrantémque throno cœli præponat Anubim.
Nemo Cloacinæ, aut Hippo super astra deabus
Dat solium, quamuis olidam persoluat acerram,
Sacrilegísque molam manibus rimetur, & exta.
Consule barbati deliramenta Platonis,
Consule & hircosos Cynicos, quos somniat, & quos
Texit Aristoteles torta vertigine neruos.
Hos omnes quamuis anceps labyrinthus, & error
Circumflexus agat, quamuis promittere & ipsi
Gallinam soleant, aut gallum, Clinicus vt se
Dignetur præstare Deus morientibus æquum,
**Quum ventum tamen ad normã rationis, & artis* *cõuert.
Turbidulos sensus, & litigiosa fragosis
Argumenta modis concludunt numen in vnum,
Cuius ad arbitrium sphera mobilis, atque rotunda
Voluatur, seruéntque suos vaga sydera cursus.
Non recipit natura hominis, modo quadrupes ille
Non sit & erecto spectet cælestia vultu,
Non recipit, neget vt regimen pollere supremum.
Istud & ipse Numæ tacitus sibi sensit aruspex,

UVA. BHSC. BU 10032

Semifer & Scotus sentit cane, milite peior.
Sed nos qui Dominum libris, & corpore iam bis
Vidimus, antè fide, mox carne, & sanguine corám.
Quique voluminibus vatum Cruce teste probatis
Rimantes digitos costarum in vulnera cruda
Mersimus, & manuum visu dubitante lacunas
Scrutati, æternum regem cognouimus Iesum:
Abiurare Deo titulum, noménque paternum
Credimus esse nefas qui regem protulit ex se,
Non regem populi Parthorum, aut Romulidarum,
Sed regem summæ, & mediæ rationis, & imæ,
Atque ideo rerum Dominũ, & super omnia regẽ:
Carnis habet mediũ, summũ patris, & Stygis imũ,
Defluit his gradibus, rursúsque reuoluitur in se.
Est Deus, est et homo, et fit mortuus, et Deus idẽ est.
Omnia percurrit naturæ munia pronæ,
Vt rursum patris in gremium replicata reportet
Mortua quæ fuerant, ipsos quoque subuehat artus.
Hæc fore quum veterum cecinissent organa vatum,
Nos oculis, manibus, congressu, voce, loquela
Experti, heroum tandem intelleximus orsa
Priscorum, & viso patefacta oracula Christo.
Hæc est nostra salus, hinc viuimus, hinc animamur,
Hoc sequimur, nunquam detracto nomine nati
Appellare patrem, patris & sine nomine nunquam
Natum nosse Deum, nunquã nisi sanctus, & vnus
Spiritus intersit, natúmque patrémque vocare:
Sic tamen hæc constare tria, vt ne separe ductu

UVA. BHSC. BU 10932

Tres faciam, tribus his subsistat sed Deus vnus,
Nec pater ipse autem qui filius, vt quia natum
Scimus ab innato, verè pater, & sata verè
Sic soboles, nec sit genitor sibi filius ipse,
Siue pater natus fuerit, siue ipse repentè
Perquam ridiculum est, & futile, natus vt ex se
Nascendi noua materies, ac se Deus vltro
Ediderit, natúmque sibi se fecerit ipsum.
Nil falsum, aut mendax, diuina vocabula fingunt.
Qui pater est, gignendo pater, tum filius ex hoc
Filius, auctore vt genitus quod sit patre summo,
Sũmus & ipse tamẽ, nec enĩ minor, aut patre dispar.
Vnde in vtroque operis forma indiscreta, nisi omnẽ
Vim maiestatis patriæ generosus haberet
Filius, ídque Deus genitor, quod filius esset.
Pergunt vlterius scrutantes, quid sit id ipsum
Gignere, si fas est humanos tendere sensus
Vsque ad secretum, quod tempora cuncta, diésque
Præuenit antiquos, & principium super ipsum
Eminet, & quodcunq; potest homo quærere transit,
Quam sit difficilis via noscere principiorum
Semina, cui dabitur mortali exquirere, quid nam
Vltra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit verbum, quod principio caret omni?
Ho: solum scimus, quod traditur esse Deus, quem
Non genitus genitor generauerit, vnus & vnum,
Integer integrum, non ceptum, sed tamen ortum,
Et comperpetuum patri retro, sed patre natum.

UVA. BHSC. BV 10932

Sed nec deciſus pater eſt, vt pars patris eſſet
Filius, extendens nec ſe ſubſtantia tractim
Produxit, minuîtve aliquid de numine pleno
Dum mutata nouum procudit portio natum.
Non conuertibilis, nec demutabilis vnquam
Eſt Deus, aut gignendo aliquid ſibi detrahit, atqui
Totus & ex toto Deus eſt, de lumine lumen,
Quando autem lumen ſine lumine, quãdo refulgens
Lux fulgore caret? quando eſt vt proditus ignis
Ignem diminuat? quando pater, & Deus, & lux,
Non lucis Deus, at pater eſt? qui ſi pater olim
Non fuit, & ſerum genuit poſt tempora natum,
Fit nouus, inque nouũ ius proficit. Abſit vt vnquã
Plenus proficiat, qui non eget incremento.
Et Deus & genitor, lumenque, & gloria ſemper
Ille fuit, nec poſt ſibi contulit, vt pater eſſet.
Sic fit, vt æternum credamus cum patre Chriſtum,
Illo auctore ſatum, cui nullus præfuit auctor.
Hæc tu ſi dubitas nati myſteria Chriſti
Perdite catholica non es de plebe, ſed vnus
De grege thurifero venerator Deucalionum
Deuotus cippo, ficulni ſtipitis vnctor.
Quin potius ſcrutare Dei ſignacula in ipſo
Fonte vetuſtatis, percurre ſcrinia primi
Scriptoris, quem nõ Bardus pater, aut auus Augur.
Fabula nec veteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec ſaga clangore loquax, & ſtridula cornix
Rem docuere Dei, ſed coràm proditus ipſe.

Ipſe.

UVA. BHSC. BU 10932

Ipse Deus trepidum mortalem mitis amico
Imbuit alloquio, séque ac sua summa retexit.
Nimirum meminit scriptor doctissimus illo
Orbis principio non solum, ne sine Christo
Informasse patrem facturæ plasma nouellæ.
Fecit, ait condens hominem Deus, & dedit olli
Ora Dei, quídnam est aliud, quàm dicere, solus
Non erat? atque Deo Deus adsistebat agenti,
Quũ Dominus faceret domini sub imagine plasma?
Christus forma patris, nos Christi forma & imago,
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in nostram faciem post secula Christo.
Possum multa sacris exempla excerpere libris,
Ni refugis quæ te doceant, non in patre solo
Vim maiestatis positam, sed cum patre Christum
Esse Deum, velut illud ait genealogus idem,
A Domino Dominus flammas pluit in Sodomitas.
Quis Dominus? de quo Domino? si solus ab arce
Syderea spectat pater, aut ardescit in iras?
Filius armatam Domini patris ignibus iram
Spargebat Dominus, sunt vnum fulmen vterque.

ADVERSVS IVDAEOS

HAEC si Iudaicos sic intellecta rigassent
Auditus stupidas vt possent tangere fibras:
Audissent Dominum virtutum, qui pereuntes
Venerat vt seruaret oues, sed ab auribus omnis

UVA. BHSC. BU 10932

Fluxerat ornatus, caput & iam coctile Bahal
Finxerat, auriculáſque ſuo ſpoliarat honore.
Dux populi peccantis adeſt de monte coruſci
Luminis, alloquióque Dei tabuláſque tremendo
Inciſas digito, cæca ad tentoria defert.
Sed cadit in faciem plebs non viſura profundæ
Legis in effigie ſcriptum per enigmata Chriſtum.
Infelix quæ luce oculos præſtricta pauentes
Texerit, & preſſo faciem velarit amictu.
At nos reiecto Chriſtum velamine coràm
Cernimus, atque Deum vultus ſpeculamur aperto,
Nec ſub lege graui depreſſa fronte iacemus,
Sed legis radium ſublimi agnoſcimus ore.
Heu frondoſa prius ramis felicibus arbor,
Pinguibus heu quondam radix oleagina baccis,
Ecce tibi inſerto reuireſcit nunc oleaſtro
Truncus & externi veſtitur cortice libri,
Iam miſerere tui non ſe ſyluestris olivi
Surculus, exultans alieno ſtipite iactat
Sed monet vt generis proprij memor, vnguine amare
Contriſtare comas deſuescas ſtirpe nec imo
Inuideas, miſsis in celſa cacumina virgis.
Blaſphemas Dominum gens ingratiſsima Chriſtū.
Pascha tuum dic, dic cuius de ſanguine feſtum
Tam ſolenne tibi eſt? quis tandem ceditur agnus
Amiculus? Sacer ille tibi redeuntibus annis,
Sed ſacer in pecude, ſtultum eſt ſic credere ſacrum,
Sanguine balantis ſummos contingere poſtes,

Laſci

UVA. BHSC. BU 10932

Lasciuire choris, similaginis azimon esse,
Quum fermentati turgescant crimine mores.
Non sapis imprudens nostrum te effingere paschā?
Legis & antiquæ præductis pingere sulcis
Omne sacramentum retinet quod passio vera?
Passio, quæ nostram defendit sanguine frontem,
Corporeámque domum signato collinit ore.
Hanc fugit exclusis Ægypti plaga*flagellis, *procelli
Hæc regis Pharij regnum ferale resoluit,
Déque potestatis mundanæ grandine densa
Eripit Abraham cum stirpe, & gente fideli.
Arabæ genus est verum, cui sanguis in ore
Creditur, inscriptúsquo rubet cui visus in orbe.
Haud dubitante fide Deus est, Deus ex patre verus.
Ille Deum vidit, visum mox credidit. At tu
Posteritas carnis, carnaliter omnia cernens,
Carnis opus sub lege geris, quam spiritus implet
Interior, nec enim lex cœlo carnea fluxit,
Quam tu carne colis sed Christo* fixa meámque *factæ
Spem paritura vtero, quā spem? nisi numinis almi
Lumen, & aduētum Domini quem viderat Abræ
Prima fides, nostrísque pater promiserat olim
Perspiciendum oculis, & legis voce probandum:
Nec solum legis, nam quæ iam littera Christum
Non habet, aut quæ non scriptorū armaria Christi
Laude referta nouis celebrant miracula libris?
Hebræus pangit stylus, Attica copia pangit,
Pangit & Ausoniæ facundia tertia linguæ.

UVA. BHSC. BU 10932

Pilatus iubet ignorans, tu ſcriba tripictis
Digere verſiculis, quæ ſit ſuffixa poteſtas,
Fronte crucis titulus ſit triplex, triplice lingua.
Agnoſcat Iudæa legens, & Græcia norit,
Et venerata Deum percenſeat aurea Roma.
Quicquid in ære cauo reboans tuba curua remugit,
Quicquid in arcano vomit ingens ſpiritus haustu,
Quicquid caſta chelis, quicquid teſtudo reſultat,
Organa diſparibus calamis quod conſona miſcent,
Aemula paſtorum quod reddunt vocibus antra,
Chriſtum concelebrat, Chriſtū ſonat, omnia Chriſtū
Muta etiam fidibus ſanctis animata loquuntur.
O nomen prædulce mihi, lux, & decus, & ſpes,
Præſidiúmque meum, requies ô certa laborum,
Blandus in ore ſapor, flagrans odor, irriguus fons,
Caſtus amor, pulchra ſpecies, ſyncera voluptas.
Si gens ſurda negat ſibi tot præconia de te,
Tam multas rerum voces, elementáque tantæ
Nuntia lætitiæ, ſtolidas intrare per aures:
Audiat inſanum bacchantis energima monſtri,
Quod rabidus clamat capta inter viſcera dæmon,
Et credat miſeranda ſuis. Torquetur Apollo
Nomine percuſſus Chriſti, nec fulmina verbi
Ferre poteſt, agitant miſerum tot verbera linguæ,
Quot laudata Dei reſonant miracula Chriſti.
Intonat Antiſtes Domini, fuge callide ſerpens,
Exue te membris, & ſpiras ſolue latentes,
*Mancipium Chriſti fur *corruptiſſime vexas.*

UVA. BHSC. BU 10932

Deſine

Desine, Christus adest, humani corporis vltor,
Non licet vt spolium rapias, cui Christus inhæsit.
Pulsus abi ventose liquor, Christus iubet, exi.
Has inter voces medias Cyllenius ardens
Eiulat & notos suspirat Iupiter ignes.
Ecce Gerassenos legio irruit effera porcos,
Et post multiplices busti sub rupe catenas
Pœnarum gemitus longis grunnitibus edit.
Clamarat, sed ab ore hominis: cognoscimus Iesu
Nate Deo, nate sceptris & germine Dauid,
Quis sis, quid venias, qua nos virtute repellas
Nouimus, aduentúsque tui terrore iacemus.
Hæc Iudæa tuos vox non pernenit ad aures?
Peruenit, mentem sed non penetrauit egenam
Lucis, & à primis foribus discluſa refugit.
Audiit aduentum Domini, quem Solis Hiberi
Vesper habet roseus, & quem nouus excipit ortus,
Laxauit Scythicas verbo penetrante pruinas
Vox euangelica. Hircanas quoque feruida brumas
Soluit, vt exutus glacie iam mollior amnis
Caucasea de cote fluat Rhodopeius Hebrus,
Mansueuere Getæ, feritásque cruenta Geloni
Lacte mero sitiens exanguia pocula miscet,
Libatura sacros Christi de sanguine potus.
Nouit & Atlantis pridem plaga perfida Mauri
Dedere crinitos ad Christi altaria reges.
Ex quo mortalem præstrinxit spiritus aluum.
Spiritus ille Dei, Deus & se corpore matris

UVA. BHSC. BU 10932

Induit; atque hominem de virginitate creauit.
Delphica damnatis tacuerunt sortibus antra,
Non tripodas Cortyna regit, non spumat anhelus
Fata Sibyllinis fanaticus edita libris.
Perdidit insanus mendax Dodona vapores,
Mortua iam mutæ lugent oracula Cumæ,
Nec responsa refert Libycis in syrtibus Ammon,
Ipsa suis Christum capitolia Romula mœrent
Principibus lucere Deum, destructáque templa
Imperio cecidisse ducum, iam purpura supplex
Sternitur Aeneadæ rectoris ad atria Christi,
Vexillúmque crucis summus dominator adorat.
Principibus tamen è cunctis non defuit vnus
Me puero, vt memini, ductor fortissimus armis,
Conditor & legum, celeberrimus ore, manúque.
Consultor patriæ, sed non consultor habendæ
Religionis. amans tercentum millia diuum.
Perfidus ille Deo, quamuis non perfidus vrbi,
Augustum caput ante pedes curuare Mineruæ
Fictilis, & soleas Iunonis lambere, plantis
Herculis aduolui, genua incurvare Dianæ,
Quin & Apollineo frontem submittere gypso,
Aut Pollucis equum suffire ardentibus extis.
Forte litans Hecaten placabat sanguine multo,
Pontificum festis feriunda securibus illic
Agmina vaccarum steterant, vitulásque reuincta
Fronte coronatas vmbrabat torta cupressus,
Ilánque insertato reserabat viscera cultro

Vitta

UVA. BHSC. BU 10932

Vittatus de more senex, manibúsque cruentis
Tractabat trepidas lethali frigore fibras,
Postremóque animæ pulsus in corde tepenti
Callidus interpres numeris, & fine notabat.
Quum subitò exclamat media inter sacra sacerdos
Pallidus, en quid ago? maius rex optime maius,
Numen nescio quod nostris intervenit aris,
Quàm sufferre queant spumantia cimbia lacte,
Cæsarum sanguis pecudum Verbena coronæ.
Accitas video longè dispergier umbras:
Territa Persephone vertit vestigia retro,
Extinctis facibus tracto fugitiua flagello.
Nil agit arcanum murmur, nil Thessala prosunt
Carmina, turbatos revocat nulla hostia manes.
Nónne vides vt thuribulis frigentibus ignis
Marceat? vt canis pigrescat pruna fauillis?
Ecce Palatinus pateram retinere minister
Non valet, elisa distillant balsama dextra.
Flamen & ipse suas miratur vertice laurus
Cedere, & incertum frustratur victima ferrum.
Nescio quis certè subrepsit Christicolarum
Hic inuenis, genus hoc hoim tremit insula, & omne
Puluinar diuûm, lotus procul absit, & vnctus.
Pulchra reformatis redeat Proserpina sacris.
Dixit, & exanguis collabitur, ac velut ipsum
Cerneret exerto minitantem fulmine Christum,
Ipse quoque exanimis posito diademate princeps
Palet, & astantes circumspicit, ecquis adimas

UVA. BHSC. BU 10932

Chrismatis inscripto signaret tempora signo,
Qui Zoroasteos turbasset fronte susurros.
Armiger è cuneo puerorum flauicomantum
Purpurei custos lateris deprenditur vnus.
Nec negat, & gemino gemmata hastilia ferro
Proiicit, ac signum Christi se ferre fatetur.
Prosiluit paudus deiecto Antistite princeps,
Marmoreum fugiens nullo comitante sacellum,
Dum tremefacta cohors, dominique oblita, supinas
Erigit ad cœlum facies, atque inuocat Iesum.
Iámne piget factiſ? iam pœnitet? en tibi Christum
Infelix Iudea Deum, qui sabbata soluens
Terrea, mortales æterna in sabbata sumpsit.
Gentibus emicuit, præfulsit regibus, orbem
Possidet, Imperij dominam sibi credere Romam
Compulit, & simulacra Deum Tarpeia subegit.
Disce tuis miseranda malis quo vindice tandem
Vana superstitio, lex & carnaliter acta
Plectatur, cuius virtus te proterat vltrix.
Destructóne iacent Salomonia saxa metallo?
Aedificata manu? iacet illud nobile templum.
Cur iacet? artificis quia dextra solubilis illud
Cementum struxit resolubile, iure solutum est,
Et iacet, in nihilum quoniam redit omne politum.
Quod fieri recipit, recipit quandóque perire.
Si nostrum contrà quod sit vis discere templum,
Est illud, quod nemo opifex fabriliter aptans
Composuit, quod nulla abies, pinúsve dolata

UVA. BHSC. BU 10932

Texa

Texit, excisо quod nunquam marmore crevit.
Cujus onus nullis fultum sublime columnis
Fornice curvato tenui super arce pependit:
Sed verbo factum Domini, non voce sonora,
Sed verbo, quod semper erat, verbum caro factū est.
Hoc templum aternū est, hoc finem non habet, hoc fa
Expugnare volens, flagris, cruce, felle petisti,
Destructum iacuit pœnis vexantibus. esto:
Matris enim ex utero, quod destrueretur, habebat.
Sed quod morte brevi materna ex parte solutū est,
Maiestate patris vivum lux tertia reddit.
Vidisti angelicis comitatum cœtibus altè
Ire meum, cujus servor munimine, templum,
Illius aterne sustendunt culmina porte,
Ac per inaccessas scalarum gloria turres
Tollitur, & gradibus lucet via candida summis.
At tua congestæ tumulant holocausta ruinæ:
Quid mereare Titus docuit, docuere rapinis
Pompeiane acies, quibus extirpata per omnes
Terrarum, pelagíque plagas tua membra feruntur.
Exiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Iudæus, postquam patria de sede revulsus
Supplicium pro cæde luit, Christíque negati
Sanguine respersus commissa piacula solvit.
En quo priscorum virtus defluxit avorum?
Servit ab antiquis delapsa fidelibus hæres
Nobilitas, sed iam non nobile, vilia recentem
Suspectat cyprina fidem: vix tanta novelle

UVA. BHSC. BU 10932

Credulitatis ineſt, Chriſtum confeſſa triumphat
Gens infida prius, Chriſti ſed victa negatrix
Subditur imperio, dominos ſortita fideles.

CONTRA HOMVNTIONITAS.

SVNT qui Iudaico cognatum dogma furori
Inſtituunt, media Chriſtum ratione ſequuti.
Hoc tantum, quod verus homo eſt, at cœlitus illum
Aſſirmant non eſſe Deum: pietate fatentur,
Maieſtate negant: morum pro laude ſacratum
Concelebrant, adimunt naturæ ſumma ſuperne.
Omne opus egregium, per quod ſolertia pollens
Emicat, ingenij eſt aut roboris, illud acuto
Corde viget, duris excellit viribus iſtud,
Mortale eſt ſed vtrunq; homini. Nam cana ſeneſcũt
Ingenia & validos conſumunt ſecla lacertos.
Hæc nos in Domini virtute, & laude perenni
Non ſequimur, ſequimur nullo quod ſemine terræ
Germinat in mundum, quod non de labe virili
Sumit principium, teneri illum ſeminat ignis,
Non caro nec ſanguis patrius, nec fœda voluptas
Intactam thalami virtus diuina puellam
Syncero aſflatu per viſcera caſta maritat.
Incomperta ortus nouitas, iubet vt Deus eſſe
Credatur Chriſtus ſic conditus, immaba virgo
Nubit ſpiritui, vitium nec ſentit amoris,

Pub

UVA. BHSC. BU 10932

Pubertas ſignata manet, grauis intus, & extra
Incolumis, florens de fertilitate pudica,
Iam mater, ſed virgo tamen, maris inſcia mater.
Quid renuis? quid inane caput non credule quaſſas?
Angelus hoc ſanctо pronuntiat ore, placétne
Credere? & angelicis aurem reſerare loquelis?
Ipſa coruſcantis monitis ſacra virgo miniſtri
Credidit, atque ideo concepit credula Chriſtum:
Credentes nam Chriſtus adit, dubitabile pectus
Sub titubante fide refugo contemnit honore.
Virginitas & prompta fides Chriſtum bibit aluo
Cordis & intactis condit paritura latebris.
Crede quod emiſſus ſolio patris Angelus inſit,
Vel (ſi concretus liquidam de ſydere vocem
Non capit auditus,) mulier quid coniuge pragnans
Clamet anus, credens, & tandem ſobrius audi.
Mira fides, vtero puer interceptus anili
Virgineum Dominum materno ex ore ſalutat,
Primus & infantem non natus nuntiat infans
Iam noſtrum ragire ſibi, nam puſio nondum
Norat, & ora Deo reſerabat garrula Chriſto.
Promite ſecretos faſtos, date, pandite librum,
Euomuit ſpirante Deo quem ſanctus Eſaias,
Percenſere libet, calamique reſoluere ſulcos,
Sydereis quos illa notis manus aurea duxit.
Ite hinc, dum rutilos apices ſubmiſſus adoro,
Dum lacrymans veneror, dumque oſcula dulcia figo,
Gaudia concipiunt lacrymas, dant gaudia fletum.

UVA. BHSC. BU 10932

Aduenit promissa dies, quam dixerat iste
Adfore versiculus, quum virgo puerpera (teste
Haud dubiè sponso, pacti cui cura pudoris)
Edidit Emanuëlq; meum me cernere fecit.
Estné Deus iam noster homo? versatur & adstat
Nobiscum, nomènque probat, versúmque vetustis
Obscurum seclis præsenti illuminat ore.
Estné Deus, cuius cunas veneratus Eous
Lancibus auratis regalia feroula supplex
Virginis ad gremium pannis puerilibus offert?
Quis tam pennatus, rapidóque similimus Austro
Nuntius Auroræ populos, atque vltima Bactra
Attigit, illuxisse diem lactantibus horis,
Qua tener innupto penderet ab vbere Christus?
Vidimus hunc, aiunt, puerum per sydera ferri,
Et super antiquos signorum ardescere tractus,
Diriguit trepidans Chaldæo in vertice pernox
Astrologus, cessisse Anguem, fugisse Leonem,
Contraxisse pedes lateris manco ordine Cancrum,
Cornibus infractis domitum mugire Iuuencum,
Sydus & Hircinum laceris marcescere villis,
Labitur hinc pulsus puer Hydrius, inde sagittæ,
Palantes Geminos fuga separat, improba virgo
Prodit amatores tacitos in fornice mundi,
Quíque alij horrificis pendent in nubibus ignes,
Luciferum timuere nouum, rota lurida Solis
Hæret, & excidium sentit iam iámque futurum,
Séque die medio velandam tegmine glauco,

Sp. land

UVA. BHSC. BU 10932

Splendorémque poli periturum nocte diurna
Orbe repentinis caput obnubente tenebris.
Hunc ego non cumulẽ myrrhæq;,& thuris,& auri
Muneribus?ſcio quem videam, quæ dona rependam.
Hunc ego non venerer?qui cœlo viſus,humíque
Inuentus rex atque Deus moderatur vtrunque
Naturæ ſpecimen, tumulóque inferna refringens
Regna reſurgentes ſecum iubet ire ſepultos,
Cœlum habitat,terris interuenit, abdita rumpit
Tartara: vera fides,Deus eſt,qui totus vbique eſt.
Nunquid vana viros, aut mens, aut lingua fefellit?
Nunquid fortuitis fruſtrantia dona dederunt
Caſibus? aut cæco votum ſub honore dicarunt?
Quæ porrò cauſa,aut ratio ſubmittere collæ
Ante pedes Mariæ,puerique crepundia parui?
Si tantum mortalis erat , nec ſummà poteſtas
Implebat teneros diuinis flatibus artus?
Sed iam tolle Magos,thus,aurum,myrrhea dona,
Quæ verum docuere Deum,præſepia,pannos,
Matris adoratum gremium,face ſyderis ardens,
Ipſa Deum virtus factorum, & mira loquantur.
Inſanos video ſubito muteſcere ventos
Quum iubeat Chriſtus,video luctantia magnis
Aequora turbinibus tranquillo marmore tendi
Imperio Chriſti, video calcatus eundem
Quum patitur gurges tergum ſolidante liquore.
Ipſe ſuper fluidas plantis nitentibus vndas
Ambulat,& preſſo firmat veſtigia fluctu.

UVA. BHSC. BU 10932

Increpat ipſe Notos, & flatibus otia mandat.
Quis iubeat ſæuis Aquilonibus, ite, ſilete,
Carceribus veſtris, amplóque faceſſite ponto,
Sit niſi cælipotens Aquilonum conditor idem?
Ninguidus agnoſcit Boreas, atque imbrifer Eurus
Nimborum Dominum, tempeſtatúmque potentem,
Excitámque hyemem verrunt ridente ſereno.
Quis pelagi calcarit aquas? quis per vada glauca
Greſſibus impreſſis ſpatiatus triuerit vdum
Non ſubmerſus iter ſola pendulus, & pede ſicco,
Aequoreæ niſi factor aquæ, qui ſpiritus olim
Ore ſuperfuſus patrio volitabat in vndis
Nondum diſcretis, nec certo littore clauſis?
Suſtinuit greſſum Domini famulus liquor, ac ſe
Mobilitate carens ſolidos ſubſtrinxit ad vſus.
Quid diuerſa Dei memorem facta inclyta Chriſti,
Altius inſpectá quem maieſtate negator
Haud dubitans hominem, tute ipſe fatebere numen?
Illeuit cæcis oculos, & lumina limo
Reddidit, humectam ſacro ſputamine terram
Contrectans digitis, luteum medicamen operta
Nox habuit, tenebras obducta vligo remouit,
Inſuper oſtendit quo nam caligo lauacro
Expurganda foret. Variis Syloa refundit
Momentis latices, nec fluctum ſemper anhelat,
Sed vice diſtincta largos lacus accipit haustus.
Agmina languentum ſitiunt ſpem fontis auari,
Membrorum maculas puro abluitura natatu.

Cert.

UVA. BHSC. BU 10932

Certatim interea roranti pumice raucas
Expectant scatebras, & sicco margine pendent.
Hoc limum iubet impositum de fonte lauari
Christus, & infusa vultum splendescere luce.
Norat enim limo sese informasse figuram
Ante tenebrosam, proprij medicamen & oris
Adiecisse nouo, quem primum finxerat, Adæ.
Nam sine diuino Domini perflamine summi
Arida terra fuit, nulli prius apta medelæ:
Sed postquam liquidus cœlesti spiritus ore
Virgineam resperfit humum, medicabilis illa est,
Inde trahit succum, lentóque humore salutem
Illinit, insunditque diem baptismate leta.
Cæcus adest oculis iam Christi ex ore retectis,
Séque luto & nitidis lucem sumpsisse fluentis
Clamat & auctorem stupefacta per oppida mõstrat,
Auctorem lucis, largitorémque dierum
Non dedignatum medicæ purgamen aquai * Ald
Corpore sub proprio monstrare errantibus ægris. ganiu
Millibus ex multis paucissima quæque retexam, lympi
Summatim relegens, totus quæ non capit orbis.
Quinque in deserto panes iubet, & duo pisces
Adponi in pastum populis, qui forte magistrum
Non reuocante fame stipabant vndique septum,
Immemoréque cibi, vicos, castella, macellum,
Oppida, mercatus, & conciliabula, & vrbes
Respuerant, largo contenti dogmate vesci.
Multa virum strato feruent conuiuia fœno.

UVA. BHSC. BU 10932

Centenos simul acubitus iniere sodales,
Séque per innumeras infundunt agmina mensas
Piscibus (iam crede Deum) saturanda duobus,
Et paucis crescente cibo per fragmina crustis,
Ambesis dapibus cumulatim aggesta redundant
Fercula, bissenos micarum molibus implent
Post cenam cophinos, crudus commissa resudat
Congeriem ventris, gemit & sub fasce ministet.
Quis cumulare potest epulas in grandia parvas?
Quis? nisi qui corpus, pastúmque & corporis omnem
Condens ex nihilo nullo existente creavit
Mundum materia? non sicut sculptor ab aere
Rudere decoctam consuescit fingere massam,
Sed Deus omnipotens orbem sine semine finxit.
Nil erat omne quod est, nil id procedere & esse,
Atque novum fieri, mox & grandescere iussum est.
Parvum de nihilo primum fuit, addita parvo
Incrementa modis auxerunt omnia plenis.
Ergo ego quum videam manibus sic crescere Christi
Parva alimenta hominũ, possim dubitare per ipsum
Exiguas rerum species, elementáque mundi
Ex nihilo primum modica, & mox grandia sensim
Crevisse, ex modicis que consummata videmus?
Ac ne post hominum pastus calcata perirent,
Nève relicta lupis, aut vulpibus, exigúisve
Muribus in predam nullo custode iacerent,
Bis sex appositi, cumulatim qui bona Christi
Servarent granidis procul effantata canistris.

Sed

UVA. BHSC. BU 10932

Sed quid ego hæc autem titubantis voce retexo,
Indignus qui sancta canam? procede sepulcro
Lazare, dic cujus vocem tellure sub ima
Audieris, quæ vis penetraverit* intima lethi, *abdita
Quòd cum te Christus penitus nigrante profundo
Immersum vocat vt redeas, ceu proximus audis,
Nec remoratus ades. quæ tam vicina Charybdis
Regna tenebrarum tenui distantia fine
Conjungit superis? Vbi Tænara tristia vasto
In præceps dejecta Chao? latebrosus & ille
Amnis inexpletis volvens incendia ripis?
Aste fores tumuli, quas saxa immania duro
Obice damnarant, scopulis substructa cavatis?
Stat dominus nomenque ciet frigentis amici.
Nec mora, funereus revolutis rupibus horror
Evomit exequias gradiente cadavere vivas.
Solvite jam lete redolentia vincla sorores,
Solus odor sparsi spiramen aromatis efflat,
Nec de corporeo nidorem sordida tabo
Aura refert, ocalos sanie stillante solutos
Pristinus in speculum decor excitat, & putrefactas
Tincta rubore genas paulatim purpura vestit.
Quis potuit fluidis animam suffundere membris?
Nimirum qui membra dedit, qui fictilis vlse
Perflavit veram madidam, cui tabida gleba
Traxit sanguineos infecto humore colores.
O mors asperitis jam mitis legibus, ô mors
Surda prius, jam docta sequi* quacunque jubetur, *quæ cunq; jubeatur.

UVA. BHSC. BU 10932

Cui tantum de te licuit? conuicta fatere
Esse Deum, solus qui me tibi præripit, Iesum.
Abde negatores Christi, nemo inuidet, abde,
Vtere sorte tua blasphemis nocte tenendis
Perpetua, plebem iustorum capta resolue,
Qui norunt hominem atque Deũ sic dicere Christũ,
Vt verus summúsque Deus mortalia gestet.
Ipse gerit, quod struxit opus, nec ferre pudescit
Factor quod peperit, corp⁹ loquor, atque animæ vim,
Finxerat hoc digitis, animam sufflauerat ore,
Totũ hominẽ Deus adsumit, quia totus ab ipso est,
Et totum redimit quem sumpserat, omne reducens
Quicquid homo est, istud tumulis, ast illud abysso.

DE NATVRA ANIMAE

OCCVRRIT dubitans hic dissertator, & illud
Obiicit, an né fides capit, vt substantia flante
Inspirata Deo cruciatum sentiat, atque
Inferni petat ima poli, barathróque coquatur.
Crede animam non esse Deum, sed crede creatis
Maiorem cunctis, ipsam quoque crede creatam.
Formata est namque ore Dei, quæ non erat antè,
Sed formata habitu pulcherrima, pictáque rebus
Diuinis, & plena Deo similíque creanti,
Non tamen ipsa Deus, quoniam generatio non est,
Sed factura Dei est, solus de corde parentis
Filius emicuit, verus Deus ille sed istud

Colla

UVA. BHSC. BU 10932

Collatum est animæ, subitò vt quæ non erat, esset.
Ille coæternus patri est, & semper in ipso est,
Nec factus, sed natus, habet quodcunq; paternũ est,
Hæc similis velut vmbra Dei est, sic ipse loquutus
Factor, vtroq; hominẽ meditans de figmine iunctum
Aedificare sui similem, sed non habet vmbra
Quod corpus solidum, cuius simulatio in vmbra est,
Atque aliud verum est, aliud simulatio veri.
Est similis, sedis quòd non consumitur vllis
Quòd sapiens, iustiq; capax, reginaque rerum
Imperat, ante videt, perpendit, præcauet, instat,
Verborum, morúmq; opifex, instructáque mille
Artibus & cælum sensu percurrere docta,
His animam similem sibi conditor effigiauit,
Cetera dissimilẽ, quippe hãc cõprehendere pröptũ est,
Quam modus, & species determinat, at Deus ingẽs
Atque superfusus trans omnia, nil habet in se
Extremum, vt claudi valeat sensúve teneri,
Incomprensa manet virtus, cui linea defit
Vltima quam spatium non mensurabile tendit.
Ergo animam factam, magno & factore minorem,
Maiorémq; alijs, atque omnibus imperitantem,
Corruptela putris nascentem turbida carnis
Concipit, ac membris tabentibus interfusam
Participat de fece sua, fit mista deinde
Peccandi natura luto cum simplice flatu.
Sed fortasse animam, domini quia fluxit ab ore,
Compositam, factámque neges, velat ipsa Dei pars

UVA. BHSC. BU 10932

(Quod dictu scelus est) tetras trahat oblita culpas,
Et pessum damnata ruens Chaos intret opertum.
Sit res illa Dei, non ab nuo, pars tamen illa
Haud quaquam dicẽda Dei est, quæ tempore cœpit,
Nec prior, aut senior, quã primũ plasma putãda est.
Tunc etenim factam video, quum cordis amici
Intrauit germana domum, limiq; recentis
Hospita, & ipsa recens fraterna sedit in aula.
Illa quidem flatus domini est, sed spiritus, & vis
Non est plena Dei, tanto moderamine missa,
Quanto flans voluit flandi seruare tenorem.
Est impossibile spectare profunda Sabaoth,
Sed speculum deitatis homo est, in corpore discas
Rem non corpoream solers interprete Christo,
Qui patrem proprium mortali in corpore monstrat.
Perspice quàm varios fundamus ab ore vapores,
Spiramus quoties animæ sufflabilis auras,
Nunc flatum tepidum calor exhalatus anhelat
Roraates nebulas vdis de faucibus efflans:
Quum libet in gelidum flabrali frigore ventum
Spiritus existit tenuis, & sibilat aër.
Adde & distinctum quem musica tibia flatum
Concipit, aut ille est presso modulamine parcus,
Aut tumidum largo sublimat flamine bombum,
Aut rancos frangit modulos, aut lene susurrat,
Aut exile trahens sonitus producit acutos,
Aut murmur tenerum sublidit voce minuta.
Hæc quum te videas mortali in corpore posse,

UVA. BHSC. BU 10932

Cur non æternum potuisse infundere credas
Qualem animã voluit? præscriptis quã quia condens
Efflauit fuditq; modis, sit facta necesse est.
Deniq; multa sapit sed non sapit omnia nostræ
Vis animæ, certum sapere, ac prænoscere iussa.
Iam cui certus inest modus, & cui nosse negatum est
Omnia, factura est, nã cõdita, & aucta probatur.
Collige de simili sit ne hæc factura, creauit
Nempe manus Domini corpus mortale, lutumq;
Composuit digitis, nunquid manus articulatim
Est digesta Dei? nunquid vola? nunquid & vngues
Claudere flexibiles? patulam seu tendere palmam?
Ista figura manus nostræ est, quam nõ habet in se
Incircumscriptus Dominus, sed tradita forma est,
Humanis quæ nota animis daret intellectum:
Vt per corpoream speciem plasmasse feratur
Corporis effigiem, sic est plasmata vicissim
Flatu incorporeo res flabilis, oris & esse
Fertur opus, tenuis per quod constructa refulsit
Forma animæ, atque rudi factam se munere sensit.
Si non est factura manus caro nostra, nec oris
Est factura anima, flatu, & spiramine cæpta,
Inq; locum deducta aliquem, nanq; omne quod horæ
Natalis profert, locus accipit, & locus vllus
Quod cõtinere potest, modicũ est, nec in omnia finem.
Et quod tam modicum est, vt certa sede locetur,
Iam sitabare potest. & quod sitabauerit, intra
Naturam vitij est, vitijque denique finem

UVA. BHSC. BV 10932

Decidit in pœnam, Deus hoc (mihi credite) non est.
Aut si maiestas anima est, ostendite quid sit,
Quod lapsam Christique inopẽ nona gratia *mũdat. *inundat.
Spiritus & sanctus baptismate iustificatam
Nobilitat, famulæque decus quod defuit, addit.
Quod quia præstatur meritis, meritisque negatur,
Absurdè fertur Deus, aut pars esse Dei, quæ
Diuinum summúmque bonum de fonte perenni
Nunc bibit obsequio, nunc culpa, aut crimine perdit,
Et modo supplicium recipit, modo libera calcat.
Miraris peccare animam, quæ carne coactam
Sortita est habitare domum, quum peccet & ipse
Angelus, hospitium qui nescit adire caducum
Cratis tabisque, peccat, quia factus & ipse est,
Non genitus, quocunque modo sit factus, id vnus
Scit factor dominus, factum mihi credere sat sit.
Solus Labe caret peccati conditor orbis,
Ingenitus, genitúsque Deus, pater, & patre natus,
Solus & exceptus tormentum admittere triste
Inuiolatus agit, nec quicquam sentit acerbi,
Exortem dic esse animam crucis, atque doloris,
Si culpæ immunem, vacuámque à crimine nosti.
Quæ peccare valet, valet & succumbere pœnæ.
Ipsa quidem syncera fuit dum conditur olim,
Quæ collata eadem fecit vitiosa timorem:
Vipote de liquido naturæ semine primos
Accipiens habitus, superóque expressa sereno.
Sed mox vt grauidæ iacta est iniectior arvo,

UVA. BHSC. BU 10932

Sed-

Suauibus illecebris nimium blandita refrixit,
Déque uolutabris pretiosum polluit ignem,
Dum transgressa Dei positum fas improba calcat.
Hæc prima est natura animæ sic condita simplex,
Decidit in uitium per sordida fœdera carnis.
Exin tincta malo peccamine principis Adæ
Infecit genus omne hominum quod pullulat inde,
Et tenet ingenitas animarum infantia in ortu
Primi hominis maculas, nec quisquã nascitur insons.
Vitandus tamen error erit, ne tradúce carnis
Transfundi in sobolem credatur fons animarum
Sanguinis exemplo, cui texta propagine uena est.
Non animas animæ pariunt, sed lege latenti
Fundit opus natura suum *quo parula anhelent
Vascula, uitalisque adsit scintilla coactis,
Que quamuis infusa nouum penetret noua semper
Figmentum, uetus illa tamen de crimine auorum
Ducitur, illoto quoniam concreta uetusto est,
Inde secunda redit generatio, & inde lauatur
Nature illuuies, iterúmque renascimur intus
Perfusi, ut ueterem splendens anima exuat Adam.
Que quia materiam peccati ex famide carnis
Consocíata trahit, nec non semel ipsa sodalis
Est incentiuum peccaminis, impleat ambas
Vindex pœna reas, peccantes mente sub una,
Peccandíque cremat socias cruciatibus æquis.
His crucibus Christus nos liberat, incorruptæ
Matris, & innocuus gestator corporis uirus

*quod

UVA. BHSC. BU 10932

Naturam pœne expositam, sed non vitiorum
Naturam expositam contactibus induit Iesus.
Atq; ideo pœnæ nil debuit, intemeratus,
Fraude carens, omni culparum aspergine liber.
Quid peccatorum prosapia corpore in illo,
Quid Christi in membris peccati sæua satelles!
Pœna ageret? quid mors homini sine crimine posset?
Nimiram cassis conatibus, & sine neruis
Concideret sterilis peccati fomite nullo.
Mors aliter culpa, culpam qui non habet, ipso
Pastus defectu mortem consumit inanem.
Sic mors in Domini consumpta est corpore Christi,
Sic periit solitum dum non habet arida pastum.
Suspice quapropter solum inculpabile numen,
Virtutem patris, & Christi, & iam desine nostræ
Inuidiam conflare animæ, quod sit Deus, aut quod
Portio parua Dei, quum Christo abscidere quicquã,
Et resecare Deo partem, vel carpere tantum
Numen non liceat, plenum sibi semper & in se.

ADVERSVS PHANTASMATICOS, qui Christum negant verum hominis corpus habuisse.

EST operæpretium nebulosi dogmatis vmbram
Prodere, quam tenues atomi compage minuta
Instituunt, sed cassa cadit, ventoq; liquescit
Assimilis, fluxu nec se sustentat inani.

UVA. BHSC. BU 10932

Aërium Manicheus ait, ſine corpore vero
Perſolitaſſe Deum, mendax phantaſma, cauamq;
Corporis effigiem, nil contrectabile habentem.
Ac primum ſpecta an deceat quicquam ſimulatum
Adſignare Deo, cuius mera gloria falſi
Nil recipit, membris hic ſe fallacibus aptans
Fingeret eſſe hominem ventoſa ſubdolus arte?
Menitus toties, quum diceret, inueteratis
Do veniam morbis, ſimul & peccata remitto.
Filius eſt hominis, peſtem qui pellere carnis,
Et ſcelerum nexus laxare, & ſoluere poſſit.
Surge valens, ſurge innocuus iam tolle grabatum.
Filius hoc hominis iubeo: dignus ne videtur
Qui teſtis ſibi ſit ſeq; ac ſua carnea norit?
Quid? quum diſcipulos hominis quid filius eſſet
Paſſurus, fido iam præſcius ore monebat,
Nónne fatebatur ſe cum virtute paterna
Eſſe hominem verum? quod ſi non, credo fefellit.
Si natura Dei quæ ſi Manichæë requiris,
Omne quod eſt, verum eſt, nã ſi mẽdoſus agit quid,
Nec Deus eſt, mendum diuinus non capit vſus.
Obiiciis æterno Domino, quod lubricus ad nos
Venerit, adſimulans aliud quam verus habebat.
Obmuteſce furor linguam canis improbe morde
Ipſe tuam lacero conſumens verba palato.
Latranti obſtitit Matheus rabiemq; refellit.
Qui notat omne genus carnalis ſtirpis, aduſq;
Corporeum chriſtum per ſex ſeptena virorum

UVA. BHSC. BU 10932

Nomina descendens, & venam sanguinis alti
Ex Atauis longo texens per stemmata filo.
Septimus hebdomadi venit superaddere sextæ
Hunc numerũ Christus, placidum qui conficit annũ
Cuncta remittentem contractibus illaqueata
Multimodis, hominémque hominis de morte leuãtẽ;
Imperfectus enim limus mortalis erat tunc,
Vir solus perfectus adest, atque integer Iesus,
Cui nihil ex septem septenis defuit, ex quo
Perficeret mortale genus virtute perenni.
Hic ille est nobis qui septima sabbata complet,
Vt caro nostra Deo tandem sociata quiescat,
Quam bis terna malis vexabant sabbata noxis.
Curramus notis gradibus, regúmque sequamur
Progeniem, Christum inuenies de carne parentum
Effluxisse hominum, qui sit de semine Dauid
Stirpe recensita numerandus sanguinis hæres.
Quid? cum sanctiloquus reuoluto germine Lucas
Sursum versus agit seriem, scandente nepotis
Corpore, pérque atauos cursum relegente retustos,
Septenos decies conscendit Christus in ortus,
Et duo: nam totidem doctores misit in orbem:
Descensos nascendo gradus redeundo retexit
Actus ad vsque apicem terreni corporis Adam.
Inde parens Deitas recipit sua, nostráque mistim,
Fítque Dei summi per Christum filius Adam.
Restat vt aëriam pingas ab origine gentem,
Aërios proceres, Leuin, Iudàm, Simeonem.

UVA. BHSC. BU 10932

Aërium Dauid, magnorum corpora regum
Aëria, atque ipsam fœcundæ virginis aluum
Aëre fallaci nebulisque & nube tumentem.
Vanescat sanguis perstabilis, ossa liquescant
Mollia, neruorum pereat textura volantum.
Omne quod est gestum, Notus auferat irritus, auræ
Dispergant tenues, sit fabula quod sumus omnes.
Et quid agit Christus si me non suscipit? aut quem
Liberat infirmum, si dedignatur adire
Carnis onus, manuúmque horret monimẽta suarum?
Indignúmne putat luteum conscisere corpus?
Qui non indignum quondam sibi credidit ipsum
Pertractare lutum, quum vas componeret aruo
Nondum viscereo, sed inertis glutine limi
Impressóque putres sub pollice duceret artus.
Tantus amor terræ, tanta est dilectio nostri:
Dignatur prepinguis humi comprendere mollem
Diuinis glebam digitis, nec sordida censet
Hærentis massæ contagia, iusserat vt lux
Conflaret, facta est vt iusserat, omnia iussis
Imperitante nouas traxerunt edita formas.
Solus homo emeruit Domini formabile dextræ
Os capere, & flabro deitatis figmine nasci.
Quorsum igitur limo tanta indulgentia nostro
Contigit, vt Domini manibus tractatus honoris
Arte sacer fieret, tactu iam nobilis ipso?
Decrerat quoniam Christum Deus incorrupta
Admiscere solo, sanctis quod fingere vellet

UVA. BHSC. BU 10932

Dignum habuit digitis, & charum condere pignus.
Destituit natura quidem destructa coacte
Telluris formam, mortique obnoxia cessit,
Sed natura Dei nunquam soluenda, caducam
Tellurem nostro vitiatam primitus vsu
Esse suam voluit, ne iam vitiabilis esset.
Christꝰ nostra caro est, mihi soluitur, & mihi surgit,
Soluor morte mea, christi virtute resurgo.
Quum moritur christus, quum flebiliter tumulatur,
Me video, è tumulo quum iam remeabilis adstat
Cerno Deum. si membrorum phantasma meorũ est,
Et phantasma Dei est, mendax in vtraq; necesse est
Sit christus specie, si christus fallere nouit,
Si non verus homo est, quẽ mors hominẽ probat ipsa,
Nec verus Deus est, operis quem gloria prodit
Esse Deum. Vel crede mori, vel adesse refelle,
Et gemina verum christum ratione negato.
Nam quid magnificum, si non est mortuus Iesus,
Et redit? illa Dei virtus memorabilis est, vt
Occisus redeat superis, surgatq; sepultus.
Quisquis Deum christum vult dicere, dicat eundem
Esse hominem, ne maiestas sua fortia perdat.

DE RESVRRECTIONE carnis humanæ.

Nosco meã in christo corpus cõsurgere: quod me
Desperare iubes? veniam quibus ille reuenit

OVA. BHSC. BC 10932

Calcata de morte viis, quod credimus, hoc est,
Et totus veniam, nec enim minor, aut alius quàm
Nunc sum, restituar: vultus, vigor, & color idem
Qui modo vixit, erit, nec me vel dente, vel vngue
Fraudatum reuomet patefacti fossa sepulcri.
Qui iubet vt redeam, non reddet debile quicquam,
Nam si debilitas redit, instauratio non est.
Quod casus rapuit, quod morbus, quod dolor hausit,
Quod truncauit edax senium populante veterno,
Omne reuertenti reparata in membra redibit.
Debet enim mors victa fidem, ne fraude sepulchri
Reddat curtum aliquid: quãuis iam curta vorarit
Corpora, debilitas tamen & violentia morbi
Virtus mortis erat, reddet quod particulatim
Sorbuerat, quocunque modo, ne mortuus omnis
Non redeat, si quid pleno de corpore desit.
Pellite corde metũ mea membra, & credite vosmet
Cum Christo reditura Deo, nam vos gerit ille
Et secum reuocat, morbos ridete minaces,
Inflictos casus contemnite, tetra sepulcra
Despuite, exurgens quo Christus prouocat, ite.

FINIS.

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRV-
DENTII CL. V. C.

ἁμαρτιγένεια, id est. de Origine peccatorum.

Carmen est Iambicum senarium, Acatalecticum monocolon, habens locis imparibus Spondæum, Anapestum, Iambum, Tribrachum, hoc modo.

⏑– ⏑– –– ⏑– ⏑– ⏑–

PRAEFATIO.

FRATRES ephebi fossor & pastor duo,
Quos fœminarum prima primos procreat,
Sistunt ad aram de laborum fructibus
Deo sacranda munerum primordia.
Hic cerrulentis, ille vinis fungitur,
Certante voto discrepantes immolant,
Fœtum biestntis alter, ad alter scrobis.
Deus minoris comprobavit hostiam.
Reiecit illam, quam paravit grandior.
Vox exce summo missa persistat throno,
Cain quiesce, nanque si rectè offeras,
Oblata nec tu lege recta dividas,

UVA. BHSC. BU 10932

Per

Perversa nigram vota culpam traxerint.
Armat deinde parricidalem manum
Frater, probatæ sanctitatis æmulus,
Germana cornu colla frangit sarculo,
Mundum recentem cæde tinguit impia,
Sero expiandum iam senescentem sacro
Cruore Christi, quo peremptor concidit.
Mors prima cœpit innocentis vulnere,
Cessit deinde vulnerato innoxio.
Per crimen orta, dissoluta est crimine,
(Abel quod ante perculit, Christum dehinc)
Finita & ipsa est, finis exortem petens.
Ergo ex futuris prisca expit fabula,
Factóque primo res notata est vltima,
Vt ille mortis inchoator rusticus
Insulsa terræ deferens libamina,
Deumq; rerum mortuarum deputans
Rastris redacta digna sacris crederet
Viuentis atrox æmulator hostiæ.
*Agnosco nempe, *quem figura hæc denotet,* **ald. qu*
Quis fratricida, quis peremptor inuidus
Prauè sacrorum disciplinam diuidit,
Mactare dum se vota censet rectius.
Marcion arui forma corruptissimi,
Docet Duitas discrepare à Spiritu
Contaminatæ dona carnis offerens,
Et segregatim numen æternum colens,
Qui si quiescat, nec momentem negligat,

UVA. BHSC. BC 1099

Pacem quietam diligat germanitas,
Vnum atque viuum fassa viuorum Deum.
Hic se caduco dedicans mysterio,
Hic qui caduci rem laboris offerens
Summam profanus diuidit substantiam,
Malum bonúmque ceu duorum separans
Regnum deorum, sceptra commitit duo,
Deum esse credens quem fatetur pessimum,
Cain cruentus, vnitatis inuidus,
Mundi colonus, immolator squalidus,
Cuius litamen sordet, & terram sapit,
Terram caduci corporis, venam putrem,
Humore denso conglobatam, & puluere,
Natura cuius fraude floret fertili,
Fœcunda fundens noxiorum crimina,
Animæq; vitam labe carnis enecat.
Caro in sororem tela mentem dirigit,
Mens in cerebro ventilatur ebrio,
Ex quo furores succulentos colligit
Madens veneno corporis lymphatico.
Deum perennem findit in duos deos,
Audet secare numen insecabile,
*Cain *Cadet peremptor denegans vnum Deum,*
Cain triumphat morte fratris illitus.

ADVERSVS MARCIONITAS, qui duos deos esse affirmant.

UVA. BHSC. BU 10932

Carmen Heroicum Dactylicum.

QVO te præcipitat rabies tua perfide Cain
Diuisor blaſpheme Dei? tibi conditor vnus
Non liquet, & bifidæ caligant nubila lucis.
Inſyncera acies duo per diuortia ſemper
Spargitur, in geminus viſum fruſtrata figuris.
Terrarum tibi forma duplex obludit, vt excors
Diuiduum regnare Deum ſuper æthera credas.
Bina boni atque mali glomerat diſcrimina ſordens
Hic mundus, Domino ſed cœlum obtemperat vni.
Non idcirco duos retinet cæleſtia reges,
Quod duo ſint opera humanas agitantia curas:
Exterior terrenus homo eſt, qui talia cernens
Coniicit eſſe duo variarum numina rerum,
Dum putat eſſe Deum, qui praua effinxerit olim,
Et qui recta itidem condens induxerit, ambos
Autumat eſſe deos natura diſpare ſummos.
Quæ tandem natura poteſt* conſiſtere duplex *conſtare
Aut regnare diu quam fons diuiſus ab arce biformis
Separat, alternáque apicum ditione recidit?
Aut vnus Deus eſt, rerum cui ſumma poteſtas,
Aut* quæ iã duo ſunt, minuuntur diſpare ſummo. *quia
Porrò nihil ſummum, niſi plenis viribus vnum.
Diſtantes quoniam proprium dum quiſque reuulſo
Vindicat imperio, nec ſumma, nec omnia poſſunt.
Ius varium non eſt plenum, quia non habet alter
Quicquid diſpar habet, cumulum diſcretio carpit.
Nos plenum ſine parte Deum teſtamur, & vnum,

UVA. BHSC. BU 10932

In quo Christus ineſt, idem quoq; plenus, & vnus,
Qui viget, & viguit ſuper omnia, quiq; vigebit,
Participem nullum collato fœdere paſſus,
Summa poteſtatum, ſimplex dominatio rerum,
Virtutum ſublime caput, fons vnicus orbis,
Naturalis apex, generiſque & originis auctor.
Ex quo cuncta fluunt, & lux, & tẽpora, & anni,
Et numerus, qui poſt aliquid dedit eſſe ſecundum,
Vnus enim princeps numeri eſt, nec dinumerari
Tantum vnus potis eſt. Sic quũ pater, ac Deus alter
Non ſit, item Chriſtus non ſit genitore ſecundus,
Anterior numero eſt, cui filius vnicus vni eſt,
Ille Deus, meritóque Deus, quia primus & vnus,
In virtute ſua primus, tum primus in illo
Quem genuit (quid enim differt generatio ſimplex?)
Vnum ſemper erit gignens, atque vnus ab vno
Ante Chaos genitus, numeroq; & tempore liber.
Quis dixiſſe duos rem maieſtate ſub vna
Regnantem, propriamq; ſibi, retroq; perennem
Auſit? & vnius naturæ ſcindere vires?
Nunquid adoptiuum genitor ſibi ſumpſit, vt alter
Externi generis numerum præſtare duorum
Debeat, & geminum diſtans inducere numen?
Forma patris veri verus ſtat filius, ac ſe
Vnum ritè probat, dum formam ſeruat eandem.
Non amor adſcitus ſociat, nec iungit vtrumq;
Coniurata fides, pietas ſed certa, genusq;
Vnum, quod Deus eſt, ſummam reuocatur ad vnã.

UVA. BHSC. BU 10932

Hæc

Hæc tibi Marcion via displicet, hanc tua damnat
Secta fidem, dominis cœlum partita duobus.
Quæ te confundunt nebulæ? quis somnus inerti
Incubat ingenio? cui per phantasmata duplex
Occurrit species, biuio dispersa supremo?
Si vim mentis hebes stupor obsidet: aspice saltem
Obuia terrenis oculis elementa, quibus se
Res occulta Dei dignata est prodere signis.
Hanc heresin præsaga patris præuiderat olim
Maiestas fore, quæ rectorem lucis & orbis
Scinderet in partes geminatum segrege regno.
Idcirco specimen posuit spectabile nostris
Exemplumq; oculis, ne quis duo numina credat
Imperitare vagis mundi per inania formis.
Vna per immensam cœli caueam resolutos
Præbet flamma dies, texit sol vnicus annum,
Triplex ille tamen nullo discrimine trina
Subnixus ratione viget, splendet, volat, ardet,
Motu agitur, feruore cremat, tum lumine fulget,
Sunt tria nempe simul, lux, & calor, & vegetamen,
Vna eademq; tamen vota syderis indiscreti
Fungitur his, vno seruat tot munera ductu,
Et tribus vna subest mistim substantia rebus.
Non conferre Deo velut æquiparabile quicquam
Ausim, nec Domino famulum componere signum:
Ex minimis sed grande suum voluit pater ipse
Coniectare homines, quibus ardua visere non est.
Parvorum speculo non intellecta notamus,

UVA. BHSC. BU 10932

Et datur occultum per proxima quærere verum,
Nemo duos soles nisi sub glaucomate vidit,
Aut si fusca polum suffudit palla serenum,
Oppositus queties radiorum spicula nimbus
Igne repercusso mentitos spargit in orbes.
Sunt animis etiam sua nubila, crassus & aër,
Est glaucoma, aciem quod tegmine velat aquoso,
Libera ne tenerum penetret meditatio cœlum,
Néve Deum rapidis comprendat sensibus vnum.
*malesida Spargitur in bisidas*malesana intentio luces,
Et duplices geminis auctoribus extruit aras.
Si duo sunt igitur, cur non sunt multa Deorum
Millia? cur numero deitas contenta gemello est?
An non in populos dispersa examina diuûm
Fundere erat melius, mundúmque implere capaceu
Semideis passim nullo discrimine monstris,
Queîs fera barbaries perituros mactat honores?
Dissona discretum retinent si numina cœlum:
Conuenit & nebulis, & fontibus, & roboanti
Oceano, & syluis, & collibus, & speluncis,
Fluminibus, ventis, fornacibus, atque metallis
Adsignare deos proprios, sua iura cuique.
Vel si gentiles sordet venerarier vmbras,
Et placet esse deos sceptris socialibus æquos,
Dic age quis terras ditionis sorte retentet?
Quis regat æquoreas æterna lege procellas?
Error mar Ede cohæredum distinctum iuris Dominorum.
ionis. Vnus ais tristi residet sublimis in arce,

UVA. BHSC. BU 10932

Auctor

Auctor nequitiæ, ſcelerum Deus, aſper, iniquus,
Qui, quodcunque malum vitioſo feruet in orbe,
Seuit, & anguino medicans noua ſemina ſucco,
Rerum principium mortis de fomite traxit.
Ipſe opifex mundi, terram, mare, ſydera fecit,
Condidit ipſe hominẽ, lutulenta & membra coëgit,
Effigians quod morbus edat, quod crimine multo
Sordeat, informi tumulus quod tabe reſoluat.
Aſt alÿ pietatis amor, placidúmque medendi
Ingenium, recreans homines, mortalia ſeruans.
Teſtamenta duo fluxerunt principe vtroque,
Tradidit iſte nouum melior, vertus illud acerbus.
Hæc tua Marcion grauis, & dialectica vox eſt.
Imò hæc attoniti phreneſis manifeſta cerebri.
Nouimus eſſe patrem ſcelerum, ſed nouimus ipſum
Haudquaquam tamen eſſe Deum, quinimò gehẽnæ
Mancipium, ſtygio qui ſit damnandus auerno.
Marcionita Deus, triſtis, ferus, inſidiator,
Vertice ſublimis, cinctum cui nubibus atris
Anguiferum caput & fumo ſtipatur, & igni,
Liuentes oculos ſuffundit felle peruſto
Inuidiæ impatiens iuſtorum gaudia ferre,
Hirſutos iuba denſa humeros errantibus hydris
Obtegit, & virides allambunt ora ceraſtæ.
Ipſe manu laqueos per lubrica fila reflexos
In nodum reuocat, facilíque ligamine tortas
Innectit pedicas, neruóſque in vincula tendit.
Aris olli captare feras, animalia bruta

UVA. BHSC. BV 10932

Irretire plagis, retinacula deniq; cæcis
Indeprensa locis erranti opponere prædæ.
Hic ille est venator atrox, qui cæde frequenti
Incautas animas non cessat plectere Nembroth.
Qui mundum curuis anfractibus, & syluosis
Horrentem scopulis, versuto circuit æstu,
Fraude alios, tectisq; dolis innectere adortus,
Porrò giganteis alios luctando lacertis
Frangere, funereos latè exercere triumphos.
Improba mors quid non mortalia pectora cogis?
Ipse suam (pudet heu) contempto principe vitæ,
Perniciem veneratur homo, colit ipse cruentum
Carnificem, gladijq; aciem iugulandus adorat.
Intantum miseris peccati nectare captis
Dulce mori est, tanta in tenebris de peste voluptas.
Qui mala principio genuit, Deus esse putatur,
Quique bona infecit vitijs, & candida nigris.
Par furor illorum, quos tradit fama dicatis
Consecrasse deas Febrem, Scabiemque sacellis.
Inuentor vitij non est Deus. Angelus illud
Degener infami conceptum mente creauit.
Qui prius augustum radiabat sydus, & ingens
Ex nihilo splendor nutrito ardebat honore:
Ex nihilo nã cuncta retro, factũque quod vsquã est.
At non ex nihilo Deus, & sapientia vera,
Spiritus & sanctus, res semper viua, nec vnquam
Cœpta, sed aërios etiam molita ministros.
Horum de numero quidam pulcherrimus ore,

UVA. BHSC. BU 10932

Maiestate ferox, nimijs dum viribus auctus
Inflatur, dum grande tumens sese altius effert,
Ostentatque suos licito iactantius ignes:
Persuasit propriis genitum se viribus ex se
Materiam sumpsisse sibi, qua primitus esse
Inciperet, nasciqué suum sine principe cœptum.
Hinc schola subtacitam meditatur gignere sectam,
Quæ docet è tenebris subitum micuisse tyrannum,
Qui velut æterna latitans sub nocte retrorsum
Vixerit, & tecto semper regnauerit æuo,
Æmulus (vt memorant) opera ad diuina repentè
Corrumpenda, caput caligine protulit atra.
Hoc ratio sed nostra negat, cui non licet vnam
Infirmare fidem, sacro quæ tradita libro est.
Nil (ait) absqué Deo factum, sed cuncta per ipsum,
Facta, nec est alius quisquam nisi factus ab ipso.
Sed factus de stirpe bonus, bonitatis in vsum
Proditus, & primo generis de fonte serenus.
Deterior mox sponte sua, dum decolor illum
Inficit inuidia, stimulisqué instigat amaris.
Arsit enim scintilla odij de fomite Zeli,
Et dolor ingenium subitus conflauit iniquum.
Viderat argillam, simulacrum & structile flatu
Concaluisse Dei, Dominum quoque conditione
(Qui cunctũ proprio regeret moderamine mundũ)
Impositum, natura soli, pelagíque polique
Vt famulans homini locupletem fundere partum
Nosset, & effusum terreno addicere regi.

UVA. BHSC. BU 10932

Inflauit fermento animi stomachante tumorem
Bestia, déque acidis vim traxit acerba medullis,
*Bestia*sorde carens, cui tunc sapientia longi* *corde
Corporis enodem seruabat recta iuuentam,
Complicat ecce nouos sinuoso pectore nexus,
Inuoluens nitidam spiris torquentibus aluum.
Simplex lingua prius, varia micat arte loquendi,
Et discissa dolis resonat sermone trisculo.
Hinc natale caput vitiorum, principe ab illo
Fluxit origo mali, qui se corrumpere primum,
Mox hominem didicit, nullo informante magistro.
Vltimus exitium subuerso præside mundus
Sortitur, mundíque omnis labefacta suppellex.
Non aliter quàm quum incautum spoliare vianten
Forte latro aggressus prædæ prius immemor, ipsum
Ense ferit Dominum pugnæ nodúmque, moramq;
Quo pereunte trahat captiuos victor amictus
Iam non obstanti locuples de corpore prædo.
Sic hominis subiecta domus, ditissimus orbis
Scilicet in facilem Domino peccante ruinam
Lapsus, hcrile malum iam tunc vitiabilis hausit.
Tunc lolium, lappásque leues per adultera culta
Ferre malignus ager glebis male pinguibus ausus,
Triticeam vacuis segetem violauit auenis.
Tunc etiam innocuo vitulorum sanguine pasci,
Iamq; iugo edomitos rictu laniare iuuencos
Occiso pastore truces didicere leones
Nécnon & querulis balatibus irritatus

UVA. BHSC. BU 10932

Plenas nocte lupus ſtuduit perrumpere caulas.
Omne animal diri callens ſollertia furti
Imbuit, & tortos acuit fallacia ſenſus.
Quamuis maceries florentes ambiat hortos,
Sæpibus & denſis vallentur vitea rura:
*Aut *populata rodet gemmantia germina bruchus* * populator edet.
Aut auibus diſcerpta feris lacerabitur vua.
Quid loquar herbarum fibras, medicante veneno
Tinctas, lethiferi fudiſſe pericula ſucci?
Noxius in teneris ſapor æſtuat ecce frutetis,
Quum prius innocuas tulerit natura cicutas,
Roſcidus & viridem qui veſtit flos Rododaphnen
Pabula laſciuis dederit ſyncera capellis.
Ipſa quoq; impoſitum deſtructo fœdere certo
Tranſcendunt elementa modum, rapiuntq; ruuntq;
Omnia, legirupis quaſſantia viribus orbem.
Frangunt vmbriferos Aquilonum prælia lucos,
Et cadit immodicis ſylua extirpata procellis.
Parte alia violentus aquis torrentibus amnis
Tranſilit obiectæ præſcripta repagula ripæ,
Et vagus euerſis latè dominatur in agris.
Nec tamen his tantam rabiem naſcentibus ipſe
Conditor inſtituit, ſed laxa licentia rerum
Turbauit placidas rupto moderàmine leges.
Nec mirum ſi membra orbis concuſſa rotantur.
Si vitiis agitata ſuis mundana laborat
Machina, ſi terras lues incentiua fatigat:
Exemplum dat vita hominum quo cætera pecent

UVA. BHSC. BU 10932

Vita hominum, cui quicquid agit, vesania, & error
Suppeditant, vt bella fremant, vt fluxa voluptas
Diffluat, impuro feruescat vt igne libido,
Sorbeat vt cumulos numorum faucibus amplis
Gurges auaritiæ, finis quam nullus habendi
Temperat, aggestis addentem vota talentis.
Auri nanq; fames parto fit maior ab auro.
Inde seges scelerum, radix & sola malorum,
Dum scatebras fluuiorum omnes, & operta metalla
Eliquat ornatus soluendi leno pudoris,
Dum venas squalentis humi scrutatur inepta
Ambitio, scalpens naturæ occulta latentis,
Si quibus in foueis radiantes forte lapillos
Rimata inueniat. Nec enim contenta decore
Ingenito, externam mentitur fœmina formam.
Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hiacynthis
Pingere sculptilibus* *sculptilibus redimitæ frontis in arce,
Colla vel ignitis syncera incingere sertis,
Auribus aut grauidis virides suspendere baccas,
Nectitur & nitidis concharum calculus albens
Crinibus, aureolisque riget coma texta catenis.
Tedet sacrilegas matrum percurrere curas,
Muneribus dotata Dei quæ plasmata fuco
Inficiunt, vt figmentis cutis illita perdat
Quod fuerat, falso non agnoscenda colore.
Hæc sexus malefortis agit, cui pectore in arcto
Mens fragilis facili vitiorum fluctuat æstu.

UVA. BHSC. BU 10932

Quid? quod & ipſe caput muliebris corporis, & rex
Qui regit inualidam propria de carne reſectam
Particulam, qui vas tenerum ditione gubernat,
Soluitur in luxum? cernas molleſcere cultu
Heroas vetulos, opifex quibus aſpera membra
Finxerat, & rigidos duraverat oſſibus artus.
Sed pudet eſſe viros, quærunt vaniſſima quæq;
Quis niteant, genuina lues, vt robora ſoluant
Vellere non ouium, ſed Eoo ex orbe petitis
Ramorum ſpoliis, fluitantes ſumere amictus,
Gaudent, & durum ſcutilis perfundere corpus.
Additur ars, vt fila herbis ſaturata recoctis
Illudant varias diſtincto ſtamine formas.
Vt quæq; eſt lanugo ferè molliſſima tactu
Pectitur. hunc videas laſcivas præpete curſu
Venantem tunicas, auium quoque verſiculorum
Indumenta nouis texentem plumea telis:
Illum pigmentis redolentibus, & peregrino
Pulvere fœmineas ſpargentem turpiter auras.
Omnia luxus habet noſtræ vegetamina vitæ,
Senſibus in quinque ſtatuens quæ condidit auctor.
Auribus, atque oculis, tum naribus, atque palato
Quæritur infectus vitioſis artibus vſus.
Ipſe etiam toto pollet qui corpore tactus,
Palpamen tenerum blandis ex fotibus ambit.
Pro dolor! ingenuas naturæ occumbere leges,
Captiuáſque trahi regnante libidine dotes.
Perverſum ius omne viget, dum quicquid habẽdum

UVA. BHSC. BU 10932

Omnipotens dederat, ſtudia in contraria vertunt.
Idcircóne rogo ſpeculatrix pupula molli
Subdita palpebræ eſt, vt turpia ſemiuirorum
Membra theatrali ſpectet vertigine ferri,
Inceſtans miſeros fœdo oblectamine viſus?
Aut ideo ſpirant, mediaq́; ex arce cerebri
Demittunt geminas ſociata foramina nares,
Vt bibat illecebras malè conciliata voluptas,
Quas pigmentato meretrix iacit improba crine?
Num propter lyricæ modulamina vana puellæ,
Neruorumq́; ſonos, & conuiuale calentis
Carmen nequitiæ, patulas Deus addidit aures?
Pérque cauernoſos iuſſit penetrare meatus
Vocis iter? nunquid madido ſapor inditus ori
Viuit ob hanc cauſam, medicata vt fercula pigram
Ingluuiem, vegetamque gulam ganeonis ineſcent?
Per varios guſtus inſtructa vt prandia ducat
In noctem? laſſetq́; grauem ſua crapula ventrem?
Qui durũ, quid molle foret, quid lene, quid horrens,
Quid calidum, gelidúmve, Deus cognoſcere noſmet
Ad tactum voluit palpandi interprete ſenſu.
At nos delitias plumarum, & linea texta
Sternimus, atque cutem fulcro attenuante polimus.
Felix qui indultis potuit mediocriter vti
Muneribus, parcúmque modum ſeruare fruendi,
Quem locuples mundi ſpecies, & amœna venuſtas,
Et nitidis fallens circumflua copia rebus
Non capit vt puerum, nec inepto addicit amori.

UVA. BHSC. BU 10932

Qui

Qui ſub adumbrata dulcedine triſte venenum
Deprendit latitare boni mendacis operto.
Sed fuit id quondam nobis ſanctúmque bonúmque
Principio rerum Chriſtus quum conderet orbem:
Vidit enim Deus eſſe bonum, velut ipſe Moyſes
Hiſtoricus mundi naſcentis teſtificatur.
Vidit, ait, Deus eſſe bonum quodcunque creauit.
Hoc ſequar, hoc ſtabili conceptum mente tenebo
Inſpirante Deo, quod ſanctus vaticinator
Prodidit, antiquæ recolens primordia lucis,
Eſſe bonum quicquid Deus, & ſapientia fecit,
Conditor ergo boni pater eſt, & cum patre Chriſtus,
Nam Deus, atque Deus pater, eſt & filius vnum:
Quippe vnum natura facit, quæ conſtat vtrique
Vna voluntatis, iuris, virtutis, amoris.
Non tamen idcirco duo numina, nec duo rerum
Artifices, quoniam generis diſſentio nulla eſt.
Atque ideo nulla eſt operis diſtantia, nulla
Ingenij, peperit bona nam omnia conditor vnus.
Nil luteum de fonte fluit, nec turbidus humor
Naſcitur, aut primæ violatur origine venæ:
Sed dum liuentes liquor incorruptus harenas
Prælambit, putrefacta inter contagia ſordet.
Nunquid equus, ferrum, taurus, leo, funis, oliuum,
In ſe vim ſceleris quum formarentur habebant?
Quod iugulatur homo, non ferrum cauſa furoris,
Sed manus eſt, nec equum veſania feruida circi
Auctorem leuitatis habet, rapidíve fragoris,

UVA. BHSC. BU 10932

Mens vulgi rationis inops, non cursus equorum
Perfurit, infami studio perit vtile donum.
Sic Lacedæmonicas oleo maduisse palestras
Nouimus, & placidum seruire ad crimina succum.
Inde per aërium pendens audacia funem,
Ardua securis scandit proscenia plantis.
Inde feras volucri temeraria corpora saltu
Transiliunt, mortísque inter discrimina ludunt.
Sanguinis humani spectacula publicus edit
Consessus, legésque iubent venale parari
Supplicium, quo membra hominũ discerpta cruentis
Morsibus, oblectent hilarem de funere plebem.
Mille alia stolidi bacchantia gaudia mundi
Percensere piget, quæ veri oblita tonantis
Humanum miseris voluunt erroribus æuum.
Nemo animum summi memorẽ genitoris in altum
Excitat, ad cœlum mittit suspiria nemo:
Nec recolens apicem solÿ natalis ad ipsum
Respicit auctorem, nec spem super aëra librat.
ertere *Sed mentem grauidis contentus* sternere curis*
Indigno subdit Domino, perituraq́; pronus
Diligit, & curuo quærit terrestria sensu.
pit *Hoc pulchrum quod terra* parit, quod gloria cõfert*
Lubrica, commendat quod pernitiosa voluptas,
Quod velut excitus diffiato puluere ventus
Præterit, exemplo tenuis quod transuolat vmbræ.
His ægras animas morborum pestibus vrget
Præda potens, tacitis quem viribus interfusum

UVA. BHSC. BU 10932

Corda

Corda bibunt hominum, ſerit ille medullitus omnes
Nequitias ſpargitq; ſuos per membra miniſtros.
Nanque illic numeroſa cohors ſub principe tali
Militat, horrendíſque animas circumſidet armis,
Ira ſuperſtitio, mœror, diſcordia, luxus,
Sanguinis atra ſitis, vini ſitis, & ſitis auri,
Liuor, adulterium, dolus, obtrectatio, furtum.
*Informes horrent facies, *halitúque minaces,* *hali
Ambitio ventoſa tumet, doctrina ſuperbit,
Perſonat eloquium, nodos fraus abdita nectit.
Inde Canina foro latrat facundia toto.
Hinc gerit Herculeam vilis ſapientia clauam,
Oſtentátque ſuos vicatim gymnoſophiſtas.
Incerat lapides fumoſos idolalatrix
Relligio, & ſurdis pallens aduoluitur aris.
Heu quãtis mortale premit genus improbus hoſtis
Armigeris, quanto ferrata ſatellite ductor
Bella gerit, quanta victos ditione triumphat.
Surgit in auxiliũ Chananæus, atque agmina dẽſet
Caſſide terribilis ſetarum pondera mento
Concutiẽs, dextrámque graui cum cuſpide quaſſans.
Aſt alia de patre furens exercitus ardet
Regis Amorrhei, tum millia Gergeſeorum
Effundunt aciem toto volitantia campo:
Eminus hi feriunt, confligunt comminus illi.
Ecce Gebuſaicæ feruent ad prælia turmæ,
Aurea tela quibus de ſanguine tincta draconis
Mortifero ſplendore nitent, radiántque, micántque,

UVA. BHSC. BU 10932

Nécnon terrificas pilis armare cateruas
Te Cethæe iuuat, ſed gens Ferez ea ſagittis
Inſultat virtute pari, ſed diſpare ferro.
Poſtremum cuneum rex præmouet Aeneorum,
Squamoſum thoraca gerens de pelle colubri.
His ſubnixa viris ſcelerum peruerſa poteſtas
Edomat inualidas mentes, quæ ſimplicitate
Indociles, bellíque rudes ſub fœdere falſo
Triſtis amicitiæ primum ſocia agmina credunt,
Mammoneámque fidem pacis ſub amore ſequuntur.
Mox faciles ad vincla rapi iuga dura volentes
Addictis ſubeunt ceruicibus, & nebulonum
Spirituum iuſſis ſeruire ferocibus optant,
Ille ſuperuacuis augens patrimonia fundis,
Finitimíſque inhians contempto limite agellis,
Ducitur innexus manicis, & mille catenis
Ante triumphales currus poſt terga reuinctus,
Nec ſe barbaricis addictum ſentit habenis.
Hic qui ventoſæ ſcandit faſtigia famæ,
Inflatúrque cauo pompæ popularis honore,
Qui ſummum, ſolidúmque bonum putat ambitionis
Creſcere ſucceſſu, præconum voce trementes
Exanimare reos, miſerorum in corpora faſces
Frangere, terribiles legum exercere ſecures,
In laqueum iam colla dedit, iam compede dura
Nectitur, & pedibus ſeruilia vincula limat.
Credite captiui mortales, hoſtica quos iam
Damnatos cohibent ergaſtula, quos famulatu

UVA. BHSC. BU 10932

Pœnarum virtus non intellectu coërcet.
Hæc illa est Babylon, hæc transmigratio nostræ
Gentis, & horribilis victoria principis Assur,
Carmine luctifico quam deflens Hieremias,
Orbatam propriis vlulauit ciuibus vrbem.
Num latet, aut dubium est animas de semine Iacob
Exilium Gentile pati, quas Persica regna
Captiuas retinent, atque in sua fœdera cogunt?
Illic natali desuescunt viuere ritu,
Moribus & patriis exutæ, in barbara iura
Degenerant, linguámq; nouã, vestemq; sequuntur,
Déque profanato discunt sordescere cultu,
Nutrîcémque abolent petulanti è pectore Sion.
Iam patriæ meminisse piget, iam mystica frangunt
Organa, & externi laudant anathemata regni.
Nónne fuit melius sæuum Memphitidis aulæ
Imperium toleraſſe patres, penitúsque sinistris
Adsedisse focis? positos Pharaonis iniqui
Sub pedibus, limo & paleis seruire paratos,
Carnis & immodicæ spurco ructamine crudos?
Quo tantum auxilij per prodigialia signa
Effudit Dominus, populum dum fortè rebellem
Seruat ope immerita, vinclis dum subdita colla
Soluit, & Aegyptum virga serpente coërcet?
Quid iuuat æquorum pelago cedente profundum
Puluerea calcasse via, quum conscia ponti
Saxa sub ignoto patuerunt prodita cœlo,
Aruit & medio sitiens sub gurgite limus?

UVA. BHSC. BU 10932

Si victor virtute Dei, mediáſque tenebras
Luce columnari ſcindens exercitus olim,
Perdidit inuenti vallem botryonis optimam?
Si neſcit verſare ſolum, cui melle perenni
Gleba fluens niueos permiſcet lactea riuos?
Si domitam Hierichon lituis, atque ære canoro
Rurſus in antiquos patitur conſurgere muros?
Si* riuis reflui Iordanis pellitur, & iam
Deſerit adſcriptam dimenſa in iugera ſortem?
Denique ſi ſtructam tantis ſudoribus vrbem,
Et quæ nnbigenas tranſcendunt culmina nimbos,
Defenſare nequit, ſi neſcit, quis lapis ille eſt
Hoſtibus obſiſtens, & inexpugnabile turris
Præſidiũ, quẽ nõ fragor hoſticus, arietis aut quem
Vis*impacta quatit, non ærea machina roſtro
Arietat inſiliens, nec ferrea verbera quaſſant?
Angulus hic portæ in capite eſt, hic continet omnẽ
Saxorum ſeriem, conſtructâque limina firmat,
Quem qui rite ſuis per propugnacula muris
Nouerit inſertum, ſéque ac ſua mœnia vallo
Præcingat triplici, celſa ſtans cmimus arce
Fretus amore petræ, caſtis & peruigil armis,
Non illum regina Tyri, non accola magni
Euphratis Parthus rapiet, non decolor Indus
Tempora pennatis redimitus nigra ſagittis:
Quin ſi fulmineos cogens ad bella gigantes
Allophylus tua cęſtra velit delere tyrannus,
Tutus eris, nec te firma ſtatione mouebit

*ripis

*vis qualit impacta, ærato non machina roſtro.

UVA. BHSC. BU 10932

Ipſe

Ipſe Charon mundi, numen Marcionis, ipſe
Qui regit aërio vanas ſub Sole tenebras.
Nam vanum quicquid Sol aſpicit, ex elementis
Cuncta ſolubilibus, fluxoq́; creamine conſtant.
Fallo, creaturam niſi doctor Apoſtolus omnem
Subiectam vanis non ſponte laboribus orſus,
Periuro ingemuit miſerans ſeruire latroni:
Errat, ait, qui luctamen cum ſanguine nobis,
Et carne, & venis feruentibus, & vitioſo
Felle putat, calidíſque animam peccare medullis.
Non mentẽ ſua membra premunt, nec terrea virtus
Oppugnat ſenſus liquidos, belló ve laceſſit
Sed cum ſpiritibus tenebroſis, nocte diéque
Congredimur, quorum dominatibus humidus iſte
Et pigris denſus nebulis obtemperat aër.
Scilicet hoc medium, cælũ inter, & infima terræ,
Quod patet, ac vacuo nubes ſuſpendit hiatu,
Frena poteſtatum variarum ſuſtinet, ac ſub
Principe Belial rectoribus horret iniquis.
His colluctamur prædonibus, vt ſacra nobis
Oris apoſtolici teſtis ſententia prodit.
Nemo habitum naturæ, aut irritamina peccans
Corporis accuſet, facilè eſt frenare rebelles
Affectus carnis, nimíoſque retundere pulſus
Materiæ fragilis, & viſcera victa domare.
Quippe animus longè præſtantior, vtpote ſummo
Aethere demiſſus, ſubiectos ſi velit artus
Imperio quaſſare graui, iuſſíſque ſeueris

UVA. BHSC. BU 10932

Dedere, regnanti Domino vis nulla resistit.
Maior inest vis illa homini, quæ flatile virus
Ingerit, & tenuem tenui ferit aëre mentem.
Parthica non æquè ventos transcurrit harundo,
Cuius iter nullus potis est comprehendere visus,
Præpes enim volucres dum pennis transuolat auras,
Improuisa venit, nec stridor nuntiat ante
Aduentum lethi, quàm pectoris abdita rumpat,
Securam rapiens medicato vulnere vitam.
Sed magis aligera est, magis & medicata sagitta
Quam iacit vmbrosi dominatio lubrica mundi,
Eludens excussa oculos, calamique volantis
Præpete transcursu cordis penetralia figens.
Nec segnis natura animæ est, aut tarda cauendi
Vulneris, ignitum quoniam Deus indidit olli
Ingenium, purum, sapiens, subtile, screnum,
Nobile, sollicitum, velox, agitabile, acutum:
Factorem modo *facta suum veneretur, & ipsi
Militet, ac victum proculcet sobria mundum:
Nil de pestiferis opibus, aut falsificatis
Terrarum spoliis stulto oblectamine libans,
Nec sub fasce iacens, alieno & dedita regno
Non queat argutas hostis vitare sagittas.
Sed quid ego omne malũ mũdiq; hominũq;, maligni
Hostis ad inuidiam detorqueo? quum mala nostra
Ex nostris cõcreta animis, genus, & caput, & vim
Quid sint, quid valeant, sumant de corde parente?
Ille quidem fomes nostrorum, & causa malorum est.

UVA. BHSC. BU 10932

Sed

Sed tantum turbare poteſt, aut falliere, quantum
Nos volumus, qui decrepito ſuggeſta Leoni
Armamenta damus, friget fera futile frendens,
Humani generis ni per ſuffragia gliſcat,
Gignimus omne malum proprio de corpore noſtro,
Vt genuit Dauid, alias pater optimus, vnum
Crimen Abeſſalon tetrum pater ille ſed vnum
Innocuas inter ſoboles genuit patricidam:
Auſus in auctorem generis qui ſtringere ferrum,
(Ah pietas), ſignis contraria ſigna paternis
Egit, & vnius commiſit ſanguinis arma.
Noſtra itidem duros vrente propagine natos
Pectora parturiunt, verſis qui protinus in nos
Morſibus inſuescunt gignentum viuere pœnis:
Depopulantur enim nimium fœcunda parentum
Viſcera, & interitu genitalis ſtirpis aluntur.
Progeniem verum ille ſuam rex vtpote ſummus,
Atque Dei vates, parituræ & virginis auctor,
Triſtibus atque piis variaucrat, vt Salomonis
Frater Abeſſalon miſceret crimina iuſtis,
Pignoribus dulcémque domum turbaret amaris.
Nos dignum Salomone nihil, nos degener implet
Solus Abeſſalon lacerans pia viſcera ferro.

Si licet ex Ethicis quicquam præſumere, vel ſi
De phyſicis exempli aliquid, ſic vipera (vt aiunt)
Dentibus emoritur fuſæ per viſcera prolis.
Mater morte ſua, non ſexu fertilis, aut de
Concubitu diſtenta vterum, ſed quum calet igni

UVA. BHSC. BU 10932

Percita fœmineo, moriturum obscœna maritum
Ore sitit patulo caput inserit ille trilingue
Coniugis in fauces, atque oscula feruidus intrat,
Insinuans oris coitu genitale venenum.
Nupta voluptatis vi saucia, mordicus haustum
Frangit amatoris blanda inter fœdera guttur,
Infusásque bibit caro pereunte saliuas.
His pater illecebris consumitur, ac genitricem
Clausa necat soboles. nam postquam semine adulto
Incipiunt calidis corpuscula parua latebris
Serpere, motatúque vterum vibrata ferire,
Æstuat interno pietatis pectore mater
Carnificémque gemit damnati conscia sexus.
Progeniem septi rumpentem obstacula partus.
Nam quia nascendi nullus patet exitus, aluus
Fœtibus in lucem nitentibus excruciata
Carpitur, atque viam lacerata per ilia pandit.
Tandem obitu altricis, prodit grex ille dolorum
Ingressum vitæ vix eluctatus, & ortum
Parricidæ excusans, lambunt natale cadauer
Reptantes catuli, proles dum nascitur orba
Haud experta diem, miseræ nisi posthuma matri.
Non dispar nostræ conceptus mentis, ab ore
Vipereo infusum sic combibit illa venenum
Coniuge Beliade, sic oscula deuorat haustu,
Interiúsque rapit, sic felle libidinis ardens
Impletur vitiis perituro mista marito,
Tunc prægnans lethale genus concepta maligni

UVA. BHSC. BU 10932

Fert opera ingenij de ſemine complicis hydri.
Quem pœnis penſare prius ſua facta neceſſe eſt
Corruptæ pro ſtupro animæ, próque orbe perempto.
Ipſam porrò animam crudelia vulnera carpunt
Mille puerperiis, ſoboles dum parturit, ex ſe
Contra naturam genitas, peccamina crebra
*Scilicet. & * partos materno ſumere natos.* *paſtos
Hinc illa eſt Domini iuſtæ obiurgatio Chriſti:
Nónne pater dæmon (vos increpo peccatores)
Concubitus carnis ſemen ſitientis iniquum
Vos genuit? ſanctum lector percurre volumen,
Quod loquor inuenies Dominum dixiſſe profanis
Vera obiectantem mortalibus, ex parte nam vos
Eſſe meo genitos pietas ait ipſa probaret,
Ac pietatis opus, pro cæca libido! quid hoc eſt?
Quod quum ſe thalamis deſponſam mẽs bona iuſtis
*Nouerit, ínque*thronum regis nuptura vocetur,* *thorum
Et regis ſemper inuenis, ſenióque repulſo
Diuinum decus æterno ſeruantis in ore,
*Malit adulterium, *ſuruo & ſe munere vilem* *fulua
Vendat nocticolæ ſpurcis complexibus Indi,
Aſpernata Dei fuſam per virginis artus
Progeniem, dulcéſque vocans in fornice natos?
Sentio quam contra moueat pellacia litem,
Quo dente obnitens ſpinoſa calumnia pugnet,
Nóſque laceſſito vocet ad luctamina vero,
Si non vult Deus eſſe malum, cur nõ vetat (inquit)
Nil refert auctor ſuerit, factórve malorum,

UVA. BHSC. BU 10932

An ne opera in vitium sceleris pulcherrima verti,
Quum possit prohibere sinat? quod si velit omnes
Innocuos agere omnipotens, ne sancta voluntas
Degeneret, nec se facto manus inquinet vllo.
Condidit ergo malũ Dominus, quod spectat ab alto,
Et patitur fierique probat, tanquam ipse crearit,
Ipse creauit enim, quod quum discludere possit,
Non abolet, longóque sinit grassarier vsu.
Damna aures pater alme meas, & claude meatus
Obrutescentis capitis, ne peruia tales
Concipiat flexura sonos, est perdere tanti
Extinctum vitæ officium de parte cerebri,
Immunem modo sese anima, expertémque nefandi
Auditus felix solida conseruet ab arce.
Quis ferat hæc iniecta Deo conuitia? qui se
Diuinis meminit præcellere nobilitatum
Muneribus? multa vt taceam, vel sola benignum
Res probat esse Deum, vetiti quod amore peremptos
Excitat è tumulis homines, regníque per æuum
Participes iubet esse sui. qui si foret auctor,
Seruatórque mali, nunquam post damna saluis,
Peccantúmque obitus, rediuiuam ferre medelam
Vellet & amissos opere instaurare secundo.
Labi hominis seruare Dei est, meritis perit iste,
Ille abolet percuntis opus, meritúmque resoluit.
Argumentum ingens, dominum, qui talia præstet,
Nolle malum, ne quod post abluit ante probaret,
Inuitóne aliquis potis est peccare tonante?

VVA. BHSC. BU 10932

Cui

Cui facile eſt in corde hominis componere ſenſus
Quos libeat, fibráſque omnes animare pudicis
Pulſibus, & totum venis infundere honeſtum.
Neſcis ſtulte tuæ vim libertatis ab ipſo
Formatore datam? neſcíſque ab origine quantæ
Sit conceſſa tibi famulo ſuper orbe poteſtas
Et ſuper ingenio proprio, laxéque ſoluto
Iure voluntatis, liceat cui velle, ſequíque
Quod placitum, nullíque animũ ſubiungere vinclo?
An quum te dominum cunctis quæcunque crearat
Præficeret, mundúmque tuis ſeruire iuberet
Imperiis, quumq; arua, polum, mare, flumina ventos
Dederet, arbitrium de te tibi credere auarus
Nollet? vt indigno libertatémque negaret?
Quale erat, electus magni rex orbis vt eſſet,
Non rex ipſe ſui, curto fœdatus honore?
Nam quis honos domini eſt, cuius mens libera nõ eſt,
Vna ſed impoſitæ ſeruit ſententia legi?
Quæ laus porró hominis, vel quod meritũ, ſine certo
Inter vtranque viam diſcrimine viuere iuſte?
Non fit ſponte bonus, cui non eſt prompta poteſtas
Velle aliud, flexóſque animi conuertere ſenſus.
Atqui nec bonus eſt, nec collaudabilis ille
Qui non ſponte bonus: quoniam probitate coacta
Gloria nulla venit, ſordétque ingloria virtus.
Nec tamen eſt virtus ni deteriora refutans
Emicet, & meliore viam petat indole rectam.
Vnde, ait ipſe parens, opifex, & conditor Adæ,

Vade homo, & adflatu noſtri prænobilis oris,
In ſubie **Inſubiecte, potens, rerum arbiter, arbiter idem*
ta *Et iudex mentis propriæ, mihi ſubdere ſoli*
Sponte tua, quo ſit ſubiectio, & ipſa ſoluto
Libera iudicio, non cogo, nec exigo ver vim,
Sed moneo iniuſtum fugias, iuſtúmque ſequaris.
Lux comes eſt iuſti, comes eſt nox horrida iniqui.
Elige rem vitæ, tua virtus temet in æuum
Prouehat, æternum tua damnet culpa viciſſim.
Præſtet & alterutram permiſſa licentia ſortem.
Hac pietate vigens, & tanto mune abundans,
Tranſit propoſitum fas, & lethalia prudens
Eligit, atque volens magis vtile dum ſibi credit,
Quod prohibente Deo perſuaſit callidus anguis.
Perſuaſit certè hortatu, non impulit acri
Imperio, hoc mulier rea criminis exprobanti
Reſpondit Domino ſuadelis ſe malefabris
Illectam, ſuaſiſſe viro, vir & ipſe libenter
Conſenſit, licuit ne hortantem ſpernere recti
Libertate animi? licuit, nanque & Deus ante
Suaſerat, vt meliora volens ſequeretur, at ille
Spernens conſilium ſæuo ſ lus credidit hoſti.
Nunc inter vitæ dominum, mortiſque magiſtrum
Conſiſtit medius, vocat hinc Deus, inde tyrannus
Ambiguum, atque ſuis ſe motibus alternantem.
Accipe geſtarum monimenta inſignia rerum.
Præluſit quibus hiſtoria ſpectabile ſignum.
Loth fugiens Sodomis ardentibus, omnia ſecum

UVA. BHSC. BU 10932

Pignora chara domus properabat ſede relicta
Nubibus vrbicremis ſubducere, ſulphure quum iam
Nimboſo ignitus cœlum ſubtexerat aër
Flagrantémque diem crepitans incenderat imber.
Angelus hanc hoſpes legem preſcripſcrat ollis
Emiſſus virtute Dei ſub imagine dupla:
Omnis vt è portis iret domus, vtque in aperium
Dirigeret conſtans oculos, nec pone reflexo
Lumine regnantes per mœnia cerneret ignes.
Nemo memor Sodomæ, quæ mũdi forma crcmãdi eſſet
Vt ſemel è muris greſſum promouerit, ore
Poſt tergum verſo, reſpectet funera rerum.
Loth monitis ſapiens obtemperat, at leuis Vxor
Mobilitate animi, torſit muliebre retrorſus
Ingenium, Sodomíſque ſuis reuocabilis hæſit.
Traxerat Eua virum diræ ad conſortia culpæ.
Hæc peccans, ſibi ſola perit, ſolidata metallo
Diriguit fragili, ſaxúmque liquabile facta.
Stat mulier ſicut ſteterat prius omnia ſeruans
Caute ſigillati longum ſalis effigiata
Et decus, & cultum, frontémq;, oculosq;, comamq;,
Et flexam in tergum faciem, paulúmque relata
Menta retro, antiquæ monimenta rigentia noxæ,
Liquitur illa quidem ſalſis ſudoribus vda,
Sed nulla ex fluido plenæ diſtendia formæ
Sentit deliquio, quantúmque armenta ſaporum
Attenuant ſaxum, tantum lambentibus humor
Sufficit, attritámque cutem per damna reformat.

UVA. BHSC. BU 109324.

Hoc meruit titulo peccatrix fœmina ſiſti,
Infirmum, fluidúmque animum per lubrica ſoluens
Conſilia & fragilis iuſſa ad cœleſtia, voti
Propoſitum contra non commutabile ſeruat.
Loth ingreſſus iter, nec mœnia reſpicit, alto
In cinerem collapſa rogo, populúmque peruſtum,
Et mores populi tabularia, iura, forúmque,
Balnea, propolas, meritoria, templa, theatra,
Et circum cum plebe ſua, madidáſque popinas.
Quicquid agunt homines Sodomorũ, incendia iuſtis
Ignibus inuoluunt, & Chriſto iudice damnant.
Hæc fugiſſe ſemel ſatis eſt, non reſpicit vltrà
Loth noſter, fragilis ſed coniunx reſpicit, & quæ
Fugerat inuerſo mutabilis ore reuiſit,
Atque inter patrias perſtat durata fauillas.
En tibi ſignatum libertatis documentum,
**Quod voluit nos ſcire Deus, quocunq; ſequendũ eſt,*
Sub noſtra ditione ſitum, paſſímque remiſſum
Alterutram calcare viam, duo cedere iuſſi
De Sodomis: alter ſe præripit, altera muſſat,
Ille gradum celerat, gressus, co trà illa renutat,
Liber vtrique animus, ſed diſpar vtrique voluntas,
Diuidit hunc illuc rapiens ſua quenque libido.
Talem multa ſacris ſpeciem notat orbita libris.
Aſpice Ruth gentis Moabitidis, & ſimul Orphã.
Illa ſocrum Noëmin fido comitatur amore,
Deſerit hæc, atqui thalamis, & lege iugali
Exutæ, Hebræíſque thoris, ſacríſque vacantes,

quo

Iure

UVA. BHSC. BU 10932

Iure fruebantur proprio, ſed priſtinus Orphæ
Phanorum ritus præputia barbara ſuaſit
Malle, & ſemiferi ſtirpem nutrire Goliæ.
Ruth dum per ſtipulas agreſtis oburitur æſtu,
Fulcra Booz meruit, caſtóque adſcita cubili
Chriſtigenam fœcũda domum, & Dauidica regna
Edidit, atque Deo mortales miſcuit ortus.

Sæpe egomet memini fratres geminos ad biulcũ
Peruenisſe ſimul biuium, nutante iuuenta,
Et dubitaſſe diu bifido ſub tramite, quod nam
Eſſet iter melius, quum dextrum ſpinea ſylua
Sentibus arctaret, ſcopuloſáque ſemita longe
*Duceret aërium cliuoſa*margine*callem,* *tramite
At leuum, nemus vmbriferum per amœna vireta collem
Ditibus ornaret pomis, & lene iacentem
Planicies daret ampla viam. ſqualentibus vnum
Contentum ſpinis reptaſſe per ardua ſaxa:
Porrò alium campo ſeſe indulſiſſe ſiniſtro,
Illum ſyderibus caput immiſcere propinquis,
Hunc in cænoſas ſubitó cecidiſſe paludes.
Omnibus vna ſubeſt natura, ſed exitus omnes
Non vnus peragit placitorum ſegrege forma.

Haud ſecus, ac ſi olim per ſudum lactea fortè
Lapſa columbarum nubes, deſcendat in aruum
Ruris frugiferi, luqueos vbi callidus auceps
Prætendit, lentóque illeuit vimina viſco,
Sparſit & inſidias ſiliquis, vel farre doloſo:
Illiciunt aliâs fallentia grana, gulámque

UVA. BHSC. BU 19932.

Innectunt auidam tortæ retinacula ſetæ,
Molle vel implicitas gluten circumligat alas:
Aſt aliæ quas nullus amor prolectat edendi,
Greßibus innocuis ſterili ſpaciantur in herba,
Suſpectámque cauent oculos conuertere ad eſcam.
Mox vbi iam cœlo reuolandum, pars petit æthram
Libera ſydeream, plaudens ſuper aëra pennis:
Pars captiua iacet, laceris & ſaucia plumis
Pugnat humi, & volucres nequicquã ſuſpicit auras.
Sic animas cœli de fontibus vnicolores
Infundit natura ſolo, ſed ſuauibus iſtic
Deuinctæ illecebris retinentur, & æthera paucæ
Conſcendunt reduces, multas viſcoſus ineſcat
Paſtus, & ad ſuperas percurrere non ſinit auras.
Præſcius inde pater liuentia tartara plumbo
Incendit liquide, piceáſque bitumine foſſis
Infernalis aquæ furuo ſuffodit auerno,
Et Phlegethontæo ſub gurgite ſanxit edaces
Perpetuis ſcelerum pennis inoleſcere vermes.
Norat enim flatu ex proprio vegetamen ineſſe
Corporibus noſtris, animámque ex ore perenni
Formatam non poſſe mori, non poſſe viciſſim
Pollutam vitiis rurſum ad conuexa reuerti,
Merſandam penitus puteo feruentis abyſſi,
Vermibus, & flammis, & diſcrutiatibus, æuum.
Immortale dedit, ſenio ne pœna periret
Non pereunte anima, carpunt tormenta, foueńtque,
Materiem ſine fine datam, mors deſerit ipſa

Aeter

UVA. BHSC. BU 10932

Aeternos gemitus, & flentes viuere cogit.
At aduersa procul regionibus in paradisi
Præmia constituit maiestas gnara futuri
Spiritibus puris, & ab omni labe remotis,
Quíque Gomorrhæas non respexere ruinas,
Auersis sed ritè oculis post terga tenebras
Liquerunt miseri properando pericula mundi,
Ac primum facili referuntur ad astra volatu:
Vnde fluens anima structum vegetauerat Adam.
Nam quia naturam tenuem decliuia vitæ
Pondera non reprimunt, nec tardat ferrea compes,
Concretum celeri relegens secat aëra lapsu,
Exuperátque polum feruens scintilla remensum.
Carcereos exosa situs, quibus hæserat exul.
Tunc postliminio redeuntem suscipit alto
Cana fides gremio, teneris que oblectat alumnam
Delitiis, multos post diuersoria carnis
Ore renarrantem querulo quos passa labores.
Illic purpureo latus exporrecta cubili
Floribus æternis spirantes libat odores,
Ambrosiámque bibit roseo de gramine rorem.
Ast aliæ quas dira lues, errórque malignus
Immersit tenebris, vasto que obsedit auerno,
Haud impune piis abscmet abesse fatentur
Conciliis, meritas ferre & per secula pœnas.
Queis patris antiqui aut ægri reuerentis abyssus
Exclusis, mundiq; bonis cum morte potitis
Ditibus & longo fumantibus interuallo,

UVA. BHSC. BU 10932

Fluminaque, & totos cæli ſitientibus imbres,
Implorata negat digitum inſertare palato,
Flammarumq; apices humenti extinguere tactu.
Nec mirere locis lo: gè diſtantibus inter
Damnatas, iuſtáſque animas concurrere viſus
Conſpicuos, meritáſque vices per magna notari
Interualla, polus medio quæ diuidit orbe.
Errat quiſqui animas noſtrorum fine oculorum
Aeſtimat, innoluit vitreo quos lucida palla
Obiice queis ſpeculum concreta coagula texunt,
Impediuntq; vagas obducto humore feneſtras.
Núnne animarum oculis denſo vegetamine guttæ
Voluuntur teretes? aut palpebralibus extra
Horreſcunt ſetis? cilió ve vmbrante teguntur?
Illis viua acies, nec pulpula parua, ſed ignis
Traiector nebulæ, vaſti & penetrator operti eſt.
Nil ferrugineum, ſolidúmve tuentibus obſtat,
Nocturnæ cedunt nebulæ, nigrantia cedunt
Nubila, prætenti cedit teres area mundi.
Nec tantum aërios viſu tranſmittit hiatus
Spiritus, oppoſitos ſed tranſit lumine montes,
Oceani fines, atque vltima littora Thyles
Tranſcurrit, volucréſque oculos in tartara mittit.
Noſtris nempe omnes pereunt ſub nocte colores
Viſibus, & cæco delentur tempore formæ.
*Nunquid & *exuti membris, ac viſcere, perdunt*
Agnitione notas rerum, vel greßibus errant?
Vna animas ſemper facies habet, & color vnus

utæ.

UVA. BHSC. BU 10932

Aëris, vt cuique est meritorum summa, siniſtri
Seu dextri, alternas nec commutabile tempus
Conuertit variátque vices, longum atque perenne est
Quicquid id est, vnus voluit sua secula cursus.
Experto dubitas animas percurrere visu
Abdita corporeis oculis? cùm sæpe quietis
Rore soporatis, cernat mens viua remotos
Distantésque locos, aciem per rura, per astra,
Per maria intendens: nec enim se segregat ipsa
Ante obitum viuis ex artibus, aut fugit exul
Sanguinis & carnis penetralia, seq; medullis
Exuit, abductámve abigit de pectore vitam,
Viscerea sed sede manens speculatur acutis
Omnia laminibus, & qua circuntulit acrem
Naturæ leuis intuitum nullo obice rerum
Discluſa, ante oculos subiectum prospicit orbem,
Atque orbis sub mole situm sordens elementum.
Obiacet interea tellus, nec visibus obstat.
Quin si stelligerum vultu conuertat ad axem,
Nil intercurrens obtutibus, impedit ignem
Peruigilis animæ, quamuis densata grauentur
Nubila, & opposito nigrescat vellere cœlum.
*Sic arcana videt tacitis cooperta*futuris,* **figuris.*
Corporeus Ioannes adhuc, nec carne solutus,
Munere sed somni pauliſper carne sequestra
**Liber ad intuitum, sensúque, oculíſque peragrans* **liberas i-*
Ordine dispositos venturis solibus annos, *tuitum.*
Procinctum videt angelicum, iámque crenandi

UVA. BHSC. BU 10932

Orbis in excidium, raucos & percipit aure
Mugitus, grauium mundi sub fine tubarum.
Hæc ille ante obitum, membrorum carcere septus
Secedente anima, non discedente videbat.
Nónne magis flatus sine corpore cuncta notabit,
Corporis inuolucris tumulo frigente repostis?
Certa fides, rabidos sub tetra nocte caminos,
Qui pollutam animam per secula longa perennis
Igne coquunt, oculis longum per inane remotis
Pauperis expositos, nec secius aurea dona
Iustorum dirimente Chao, rutilasq́; coronas
Eminus ostendi pœnarum carcere mersis.
Hinc paradisicolæ post vlcera dira beato
Proditur infelix vlulans in peste reatus
Spiritus, inq́; vicem meritorum mutua cernunt.
O Dee cunctiparens animæ dator, ô Dee Christe,
Cuius ab ore Deus subsistit Spiritus vnus,
Te moderante regor, te vitam principe duco,
Iudice te pallens trepido, te iudice eodem
Spem capio, fore quicquid ago, veniabile apud te,
Quamlibet indignum venia faciamq́; loquarq́;,
Confiteor, demitte libens, & parce fatenti:
Omne malum merui, sed tu bonus arbiter aufer
Quod merui, meliora fauens largire precanti.
Dona animæ quandoq; meæ, quum corporis huius
Liquerit hospitium, neruis, cute sanguine, felle,
Ossibus extructum, corrupta quod incola luxu
Heu nimium complexa fouet, quum flebilis hora

UVA. BHSC. BU 10932

Clauſerit hos orbes,& conclamata iacebit
Materies,oculisq; ſuis mens nuda fruetur,
Ne cernat truculentum aliquem de gente latronum,
Immitem,rabidum,vultuque,& voce minaci
Terribilem qui me maculoſum aſpergine morum
In præceps vt præda trahat,nigrisque ruentem
Immergat ſpecubus,cuncta exacturus aduſq;
Quadrantem minimum,damnoſæ debita vitæ.
Multa in Theſauris patris eſt habitatio Chriſte,
Diſparibus diſcreta locis,non poſco beata
In regione domum,ſint illic caſta virorum
Agmina puluereum quæ dedignantia cenſum
Diuitias petiere tuas,ſit flore perenni
Candida virginitas,animum caſtrata reciſum:
At mihi tartarei ſatis eſt ſi nulla miniſtri
Occurrat facies,auidæ nec flamma gehennæ
Deuoret hanc animam merſam fornacibus imis.
Eſto,cauernoſo quia ſic pro labe neceſſe eſt
Corporea,triſtis me ſorbeat ignis auerno,
Saltem mitificos incendia lenta vapores
Exhalent,eſtúque calor languente tepeſcat,
Lux immenſa alios,& tempora vincta coronis
Glorificent,me pœna leuis clementer adurat.

HAMARTIGENIAE
FINIS.

UVA. BHSC. BU 10932

IN PRVDENTII CLEMENTIS. V. C.

Symmachum, Argumentum per Ioannem Sichardum.

Inualescente Christianismo, atque ob id sensim frigescentibus gentilium sacris, è Curia, conniuentibus, opinor ad hoc Romanis principibus, electa est ara, quam veluti consiliorum, dictorúmque omnium testem, multis ab hinc annis religiosissimè in senatu coluerant. Erátque in hoc iam planè res, vt sacris illis rancidis veterum semel nuntius remitteretur. Exortus est Symmachus Præfectus vrbis, vir honestissimi apud suos loci, & eloquentiæ tantæ, quanta in ista tempora cadere potuit maxima, qui ex autoritate senatus, & quod peculiare hoc etiã munus exigeret, ad Principes legationem suscepit, agens hoc potissimùm, vt & sacra tot annorum cõsensu inolita, locum quem vsu ceperant tuerentur, & eorum Antistites pergerent eo vti iure, quod & de immunitate, & victu annuo suppeditando iam pridem obtinuerant. Eam verò orationem, quum esset inter diui Ambrosij Mediolanensis Episcopi opera relata, consilium fuit Prudentio inserere, non tam

UVA. BHSC. BU 10932

ob

ob elegantiam, quæ pro re ſuſcepta, & temporum ratione, tolerabilis eſt, quàm vt facilius intelligantur ea quæ ex eadem relatione elegãtiſsimus poëta ſibi conuellanda deſumpſit. Nominatim enim, quibus reſpõdeat, ſub inde quædã ſuis admiſcet, ſed ita, vt non ſatis intelligas quid Symmachus præ ſe tulerit, niſi integram legeris. Quam nunc exhibemus vobis, nihil veriti, quod quædam eſſent mendoſa, ne ſolidam à vobis gratiam iniremus, Quid enim facias ſine exemplari? Vnum hoc præſtare voluimus, quod conſequutum me confido, vt Prudentij liber, quem vellemus ſcholis fieri quàm familiariſsimum, paulò inoffenſius legeretur.

UVA. BHSC. BU 10932

SYMMACHI V. C. ET PRAEFECTI VRBIS, RELatio ad Valentinianum, Theodosium, & Arcadium Augustos, Pro veteri Deorum cultu, aduersus Christianos.

AVi primùm senatus amplissimus, sempérque vester, subacta legibus vitia cognouit, & à principib⁹ piis vidit purgari famam temporum proximorum, boni seculi auctoritatem sequutus, euomuit diu pressum dolorem, atq; iterum me querelarum suarum iussit esse legatum. Cui ideo diu principis denegata est ab improbis audiẽtia: quia non erat iustitia defutura, Domini imperatores Valentiniane, Theodosi, & Arcadi inclyti victores, ac triumphatores semper Augusti. Gemino igitur functus officio, & vt Præfectus vester gesta publica prosequor, & vt legatus, ciuium mandata commendo. Nulla est hic dissensio voluntatum, *aulicorũ. *quia iam homines credere desierunt, *amicorum*

UVA. BHSC. BU 10932

se

se studio præstare, si discrepent. Amari, coli, diligi, maius imperio est. Quis ferat obfuisse reipublicæ priuata certamina? Merito illos senatus insequitur, qui potentiam suam famæ principis prætulerunt. Noster autem labor pro clementia vestra ducit excubias. Cui enim magis commodat, quod instituta maiorum, quod patriæ iura, & fata defendimus, quàm temporum gloriæ? quæ tum maior est, cùm vobis contra morem parentum, intelligitis nil licere. Repetimus igitur religionum statum, qui reipublicæ diu profuit. Certè numerentur principes vtriusque sectæ, vtriusque sententiæ, proximus eorum ceremonias patrum coluit, recentior non remouit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorum Quis ita familiaris est Barbaris, vt aram victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostenta vitamus. Reddatur saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa victoriæ debet æternitas vestra, & adhuc plura debebit. Auersentur hanc potestatem, quibus nihil profuit: vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista votiua est. Nemo colendam neget quam profitetur optandam. Quod si huius ominis non est etiam iusta vitatio, ornamentis saltem curiæ decuit abstineri. Præstate, oro vos, vt ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito diui Constantij factũ diuus

* Ald si mus, vite mus.

UVA. BHSC. BU 10932

non ſtetit. Omnia vobis exempla vitanda ſunt quæ mox remota didiciſtis. Æternitatem curamus famæ & nominis veſtri, ne quid futura ætas inueniat corrigẽdum: Vbi in leges veſtras, & verba iurabimus? qua religione mens falſa terrebitur, ne in teſtimonium mentiatur? Omnia quidem Deo plena ſunt, nec vllus perfidis tutus eſt locus: ſed plurimum valet ad metum delinquendi, etiam præſentia religionis vrgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem connectit ſingulorum, neque aliud magis auctoritatem facit ſententiis noſtris, quàm quod omnia quaſi iuratus ordo decernit. Patebit ergo ſedes prophana periuriis, & hoc inclyti principes mei, probabile iudicabunt, qui ſacramento publico tuti ſunt? Sed diuus Cõſtantius idem feciſſe dicitur. Cætera potius illius principis æmulemur, qui nihil tale eſſet aggreſſus, ſi quis ante ſe alius deuiaſſet. Corrigit enim ſequentem lapſus prioris, & de reprehenſione antecedentis exemplũ naſcitur emendatio. Fas fuit vt Parens ille clementiæ veſtræ, in re adhuc noua non caueret inuidiam. Núm poteſt etiam defenſio conuenire, ſi imitemur quod meminimus improbatum? Accipiat æternitas veſtra alia eiuſdem principis facta, quæ in verſum dignius trahat. Nil ille decerpſit ſacrarum virginũ priuilegiis, repleuit nobilibus ſacerdotia. Romanis ceremoniis non negauit impenſas, & per omnes vias æternæ Vrbis lætum ſequutus ſenatũ vidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigiis Deûm no-

UVA. BHSC. BU 10932

mi-

mina, percontatus est templorum origines, miratus est conditores. Quumq; alias religiones ipse sequeretur, has seruauit imperio. Suus enim cuiq; mos, suus cuiq; ritus est. Varios custodes vrbibus, & cultus mens diuina distribuit. Vt animæ nascentibus, ita populis fatales genij* diuidũtur. Accedit vtilitas, quæ maximè homini deos asserit. Nam quum ratio omnis in operto sit, vnde rectius quàm de memoria, atque documentis rerum secundarum cognitio venit numinum? Iam si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, seruanda est tot seculis fides. & sequendi sunt nobis parentes, qui sequuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus. Optimi principes, patres patriæ, reuereminiamnos meos, in quos me pius ritus adduxit. vtar ceremoniis auitis: neque enim pœnitet. viuam meo more, quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit, hæc sacra Annibalem à mœnibus, à capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo seruata sum, vt longæua reprehendar? Videam quod instituendum putatur? Sera tamen, & contumelioſa est emẽdatio senectutis. Ergo diis patriis, diis indigetibus pacem rogamus. Æquum est, quicquid omnes colunt, vnũ putari. Eadem spectamus astra, commune cœlum est, idem nos mundus inuoluit. Quid interest qua quisque prudentia verum inquirat: Vno itinere non potest perueniri ad tam grande secretum. Sed hæc otiosorum disputatio est. Nunc preces, non certamina offerimus.

*Ald. duntur.

UVA. BHSC. BU 10932

Quanto commodo ſacri ærarij veſtri Veſtalium virginum prærogatiua detracta eſt? Sub largiſſimis imperatoribus denegatur, quod parciſſimi præſtiterunt. Honor ſolus eſt in illo velut ſtipendio caſtitatis. Vt vittæ earum capiti decus faciunt, ita inſigne ducitur ſacrificij vacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate à diſpendijs tutæ ſunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. ſi quidem ſaluti publicæ dicata virginitas, creſcit merito, quum caret præmio. Abſint ab ærarij veſtri puritate iſta compendia. Fiſcus bonorum principum, non ſacerdotum damnis, ſed hoſtium ſpoliis augeatur. Vllum ne lucrum compenſat inuidia? Et quia auaritia in mores veſtros non cadit, hoc miſeriores ſunt, quibus ſubſidia vetera decerpta ſunt. Etenim ſub imperatoribus qui alieno abſtinent, qui reſiſtunt cupiditati, ad ſolam detrahitur amittentis iniuriam, quod deſiderium non mouet auferentis. Agros etiam virginibus & miniſtris deficientium voluntate legatos fiſcus retentat. Oro vos iuſtitiæ ſacerdotes, vt vrbis veſtræ ſacris reddatur priuata ſucceſſio. Dicant teſtamenta ſecuri, & ſciant ſub principibus non auaris ſtabile eſſe quod ſcripſerint. Delectet vos iſta felicitas generis humani. Cæpit cauſæ huius exemplum ſolicitare moriẽtes. Ergo Romanæ religiones ad Romana iura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus caſus fecit caducas? Capiunt legata liber-

UVA. BHSC. BU 10932

liberti, seruis testamentorum iusta commoda non negantur: Tantum nobiles virgines, & fatalium sacrorum ministri, excludũtur prædiis hæreditate quæsitis. Quid iuuat saluti publicæ, castum corpus dicare, & imperij æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis, armis vestris, aquilis vestris amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota cælitus suscipere, & ius cum omnibus non habere? Itáne melior est seruitus, quæ hominibus impenditur? Rempublicam lædimus, cui nunquam expedit vt ingrata sit. Nemo me putet solam causam religionum tueri. ex huiusmodi facinoribus orta sunt cuncta Romani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Vestales virgines, ac ministros deorum victu modico, iustisq; priuilegiis. Stetit muneris huius integritas vsque ad degeneres Trapezitas, qui ad mercedem vilium baiulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Sequuta est hoc factum fames publica, & spem prouinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum, nihil imputamus astris: nec rubigo segetibus offuit, nec auena fruges necauit, sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certè si est huius mali aliquod exẽplũ, imputemus tantã famem vicibus annorum. Grauis hãc sterilitatem aura contraxit, syluestribus arbustis vitæ producitur, & rursus ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia consolauit. Quid tale prouinciæ pertulerunt, quum religionum ministros honor publi-

UVA. BHSC. BU 109

cus pasceret? Quando in vsus hominum concussa quercus? quando vulsæ sunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deseruit fœcunditas mutua, quum populo, & virginibus sacris communis esset annona? Commendabat enim terrarum prouentus, victus Antistitum, & remedium magis quàm largitas erat. An dubium est semper pro copia omnium datũ, quod nunc inopia omniũ vindicauit? Dicet aliquis, sumptũ publicũ denegatũ alienæ religionis impendiis. Absit à bonis principibus ista sententia, vt quod olim de communi quibusdam tributum est, in iure fisci esse videatur. Nam quum respublica de singulis constet, quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis, sed suum cuique seruatis, plúsq; apud vos iustitia, quam licentia valet. Consulite certè munificentiam vestram, an hæc publica velit exstimari, quæ in alios transtulistis? Semel honori vrbis delata compendia, desinunt esse tribuentium, & quod à principio beneficium fuit, vsu atq; ætate fit debitum. Inanem igitur metum diuino animo vestro tentat incutere, si quis asserit conscientiam vos habere præbentiũ, nisi detrahẽtiũ subieritis inuidiã. Faueant clemẽtiæ vestræ sectarum omnium arcana præsidia, & hæc maximè, quæ maiores vestros aliquando iuuerunt, vos defendant, à nobis colantur. Eum religionum statum petimus, qui diuo Parẽti cubminis vestri seruauit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit hæredes. Spectat senior ille

UVA. BHSC. BU 10932

diuus

diuus ex arce ſyderea lacrymas ſacerdotum, & ſe cul patum putat more violato, quem libenter ipſe ſeruabat. Præſtate etiam diuo fratri veſtro alieni conſilij correctionem, tegite factum quod ſenatui diſplicuiſſe neſciuit. Siquidem conſtat ideo excluſam legationem, ne ad eum iudicium publicũ peruueniret. Pro æſtimatione eſt temporum ſuperiorum, vt nõ dubitetis abolere, quod probãdum eſt principis nõ ſuiſ ſe.

RELATIONIS SYMMACHI.
FINIS.

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRV-
DENTII CL. V. C.
in lib. contra Symmachum
Præfectum vrbis,

PRAEFATIO.

Carmen est Asclepiadeum, monocolon, constans Spondeo, duobus Choriambis & Pyrrhichio, vel Iambo, hoc modo:

— — —∪∪— —∪∪— ∪∪

PAVLVS *preco Dei, qui fera gentium*
Primus corda sacro perdomuit stylo,
Christum per populos ritibus asperis
Immanes placido dogmate seminans,
Immansueta suas vt ceremonias
Gens pagna Deo sperneret agnito,
Actus turbinibus forte nigerrimis
Hibernum pelagus iam rate debili,
Et vim nauifragi pertulerat Noti.
Sed cùm cærulei prælia gurgitis
Iussisset Domini dextra quiescere:
Ad portum fluitans cymba relabitur,
Exponítque solo littoris vmidi
Contractos pluuio frigore remiges.
Tunc de littoreis sepibus algidi
Arentum properè brachia palmitum
Connectant, rapidos vnde focos struant,

UVA. BHSC. BU 10932

Fascem

Fascem quìsque suum congerit ignibus,
Expectans calidi luxuriam rogi.
Paulus, dum fragiles cogere surculos
Et densare foci congeriem studet,
Incautam cumulis inseruit manum,
Torpebat glacie pigra vbi vipera
Sarmentis laqueos corporis implicans,
Quæ postquam intepuit fomite fumeo,
Laxauitq; ferox colla rigentia,
Iam flecti facilis rettulit ad manum
Vibrato capite spicula dentium.
Harentem digiti vulnere mordicus,
Pendentémque gerens Paulus inhorruit.
Exclamant alij, quod cute liuida
Virus mortiferum serpere crederent.
At non intrepidum terret Apostolum
Tristis tam subiti forma periculi,
Attollens oculos sydera suspicit,
Christum sub tacito pectore murmurans,
Excussúmque procul decutit aspidem.
Abiectus coluber verberat aëra,
Atque oris patuli soluit acumina.
Mox omnis sanies deserit, & dolor,
Ceu nullo laceram vulnere dexteram,
Siccatusque perit vipereus liquor.
Hydrum præcipitem dum rotat impetus,
Arsurum mediis intulit ignibus.
Sic nunc post hyemem, vimq; trucis, freti.

UVA. BHSC. BU 10932

Qua iactata ratis tunc sapientiæ est,
*Quum sub*sacricolis territa regibus*
Vix panso poterat currere carbaso,
Afflictósque suos turbine seculi
Vectarat, rabidis fluctibus innatans:
Morsum vulnificum lex pia pertulit.
Occultabat enim se prius abditum
Virus, nec grauidum protulerat caput,
Contentum inuolucris, atque cubilibus,
Subter quò premeret clausa silentia.
Sed dum fortè latens impietas riget,
Dextram iustitiæ pigra momorderat
Succensi stomacho fellis inæstuans.
Heu quàm catholicam nil propè profuit
Puppim enasse sacri remigio styli,
Quem Paulus variis gentibus edidit.
Vix portu placido tuta quieuerat
Victrix, edomitis mille furoribus:
Vix adstricta suis iam retinaculis
Vectores stabili condiderat solo,
Erumpit subitò triste periculum.
Nam dum præcalidos igniculos sibi
Soluendis adolent, & senio, & gelu,
Dum virgas steriles, atque superfluas
Flammis de fidei palmite concremant,
Vt concreta vagis vinea crinibus
Syluosi illuuiem poneret idoli,
Palpauit nimius perniciem tepor.

*ilegis

Spes

UVA. BHSC. BU 10932

Spes insueta subit, serpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquij caput.
Sed dextra impatiens vulneris, irritos
Oris rethorici depulit halitus,
Effusum ingenij virus inaniter,
Summa Christicolis in cute substitit.
Saluator generis Romulei precor,
Qui cunctis veniam das pereuntibus,
Qui nullum statuis non operis tui
Mortalem, facili quem releues manu,
Huius, si potis est, iam misereſcito,
Præruptam in foueam præcipitis viri,
Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Erroréſque suos indocilis fouet.
Obtestor iubeas, ne citus impetus
Arsurum mediis inferat ignibus.

UVA. BHSC. BU 10932

LIBER PRIOR.

Carmen eſt Heroicum Dactylicum.

CREDEBAM *vitiis ægram gentilibus vrbem*
Iam ſatis antiqui pepuliſſe pericula morbi,
Nec quicquam reſtare mali, poſtquam medicina
Principis immodicos ſedarat in arce dolores.
Sed quoniam renouata lues turbare ſalutem
Tentat Romulidum, patris imploranda medela eſt,
Ne ſinat antiquo Romam ſqualere veterno,
Néve Togas procerum, fumoq; & ſanguine tingui.
Inclytus ergo parens patriæ moderator, & orbis
Nil egit, prohibendo vagas ne priſtinus error
Crederet eſſe Deum nigrante ſub aëre formas,
Aut Elementorum naturam, quæ patris ars eſt
Omnigeni ſumma pro maieſtate ſacraret:
Vir ſolus, cui cura fuit, ne publica morum
Plaga, cicatricem ſumma leuiter cute clauſam
Duceret, & latebram tabentis vulneris altè
Impreſſam, penitúſque putri de pure pereſam,
Iuncta ſuperficies medico fallente foueret.
Sed ſtuduit quo pars hominis generoſior intus
Viueret, atque animam lethali peſte piatam
Noſſet ab interno tutam ſeruare veneno.
Illa tyrannorum fuerat medicina, videre
Qui ſtatus ante oculos præſentibus, ac perituris

Com-

UVA. BHSC. BU 10932

Competeret rebus, nec curam adhibere futuris,
Heu malè de populo meriti, malè patribus ipsis
Blanditi, quos præcipites in tartara mergi
Cum Ioue fuerunt, multa & cum plebe Deorum.
Ast hic imperium protendit latius æuo
Posteriore, suis cupiens sancire salutem:
Nimirum pulchrè quidam doctissimus, esset
Publica res, inquit, tunc fortunata satis, si
Vel reges saperent, vel regnarent sapientes,
Est ne ille è numero paucorum, qui diadema
Sortiti, ætheriæ coluerunt dogma sophiæ?
**Contigit ecce hominum generi, gentíque togatæ* **Est ope*
Dux sapiens, felix nostræ res publica Romæ *pretium.*
Iustitia regnante viget, parete magistro *Theodosi*
Sceptra gubernanti: monet vt deterrimus error,
Vtq; superstitio veterum procul absit auorum,
Nec putet esse Deum, nisi qui super omnia summus
Emineat, magníque immensa creauerit orbis.
NVM melius Saturnus auos rexisse Latinos *Saturnu*
Creditur? edictis qui talibus informauit
Agrestes animos, & barbara corda virorum?
Sum Deus, aduenio fugiens, præbete latebras,
Occultate senem Nati feritate tyranni
Deiectum solio, placet hic fugitiuus, & exul
Vt lateam, genti atq; loco Latium dabo nomen,
Vitibus incuruum, si qua est ea cura, putandis
Procudam chalybem, necnon & mœnia vestri
Fluminis in ripa statuam Saturnia vobis.

UVA. BHSC. BU 10932

Vos nemus, appositáſque meo ſub honore ſacrantes
(Sum quia nam cœlo genitus) celebrabitis aras.
Inde Deos, quorum patria ſpectata ſepulcra
Scimus, in ære hebetes informauere minores,
Aduena quos profugus gignens, & equina libido
Intulit Italiæ, Thuſcis nanque ille puellis
Primus adhinniuit ſimulato numine mœchus.
Mox patre deterior ſyluoſi habitator olympi
Iuppiter incœſtas ſpurcauit labe Lacœnas,
Nunc boue ſubuectam rapiens ad crimen amatam,*
Nunc tenera pluma leuior, blandóſque ſuſucros
In morem recinens ſuaue immorientis oloris,
Capta quibus volucrem virguncula ferret amorem.
Nunc foribus ſurdis, ſera quas, vel peſſulus arctis
Firmarat cuneis, per tectum diues amator
Imbricibus ruptis, vndantis deſuper auri
Infundens pluuiam, gremio excipientis amicæ.
Armigero modo ſordidulam curante rapinam,
Compreſſu immũdo miſerum cupiens catamithum,*
Pellice iam puero magis indignante ſorore.
Hæc cauſa eſt, & origo mali, quod ſecla vetuſto
Hoſpite regnante crudus ſtupor aurea finxit,
Quódque nouo ingenio verſutus Iuppiter, aſtus
Multiplices varióſque dolos texebat, vt illum,
Vertere quum vellet, pellem faciémque putarent
Eſſe Bouem, prædari Aquilam, confingere Cycnũ.
Et nummos fieri, & gremium penetrare puellæ.*
Nam quid ruſticitas non crederet indomitorum

piter.
biectã
ficiens.
rere.
*

UVA. BHSC. BU 10932

Stulta virûm, pecudes inter, rictúſque ferinos,
Dedere ſueta animum, diuæ rationis egenum?
In quamcunque fidem nebulonis callida traxit
Nequitia, infelix facilem gens præbuit aurem.
SVCCESSIT *Iouis imperio corruptior ætas,* *Mercurius.*
Quæ docuit rigidos vitiis ſeruire colonos
Expertes furandi homines, hac imbuit arte
Mercurius Maia genitus, nunc magnus habetur
Ille deus, cuius dedit experientia fures,
Necnon Theſſalicæ doctiſsimus ille magiæ
Traditur extinctas ſumptæ moderamine virgæ
In lucem reuocaſſe animas, Cocytia lethi
Iura reſignaſſe, ſurſum reuolantibus vmbris.
Aſt alias damnaſſe neci, penitúſque latenti
Immerſiſſe Chao, facit hoc ad vtrúnque peritus
Vt fuerit, geminóque armarit crimine vitam:
Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atque ſepulcrales ſcitè incantare fauillas,
Vita itidem ſpoliare alios, ars noxia nouit.
Artificem ſcelerum ſimplex mirata vetuſtas
Supra hominem coluit, ſimulans per nubila ferri,
Aligeríſque leues pedibus tranſcurrere ventos.
ECCE *deûm in numero formatus & æneus adſtat* *Priapus.*
Graius homo, auguſtáque Numæ præfulget in arce.
Strenuus exculti dominus quondam fuit agri,
Hortorúmque opibus memorabilis, hic tamen idem
Scortator nimius, multáque libidine ſuetus
Rusticolas vexare lupas, intérque ſaliſta,

UVA. BHSC. BU 10932

Et denſas ſepes obſcœna cubilia inire:
Indomitum intendens animum, ſemperq́; paratum
Ad facinus, nunquam calidis dabat otia venis.
Hic deus è patrio prænobilis Helleſponto
Venit aduſque Italos ſacris cum turpibus hortos,
Sinum lactis, & hæc votorum liba quotannis
Accipit, ac ruris ſeruat vineta Sabini,
Turpiter adfixo pudeat quem viſere ramo.

Hercules. *HERCVLEVS mollis pueri famoſus amore*
Ardor, & in tranſtris iactata efferbuit Argo.
Nec maris erubuit Nemeæa pelle fouere
Concubitus, & Hylan pereuntem quærere cœlebs.
Nunc Saliis, cantuq́; domus Pinaria templum
Collis Auentini conuexa in ſede frequentat.

Bacchus. *THEBANVS iuuenis ſuperatis ſit Deus Indis,*
Succeſſu dum victor ouans laſciuit, & aurum
Captiuæ gentis reuehit, ſpoliiſque ſuperbus
Diffluit in luxum cum ſeminiro comitatu,
Atq; auidus vini multo ſe proluit hauſtu
Gemmantis pateræ ſpumis, multóque falerno
Perfundens biiugum rorantia terga ferarum.
His nunc pro meritis Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & virides diſcindunt ore chelydros,
Qui Bromiũ placare volũt, quod & ebria iam tunc
Ante oculos regis Satyrorum inſania fecit,
Et feciſſe reor ſtimulis furialibus ipſas
Mænadas inflãmante mero in ſcelus omne rotatas,
Hoc circus inſaltante choro temulentus adulter

UVA. BHSC. BU 10932

Inuenit expoſitum ſecreti in littoris acta
Corporis egregij ſcortum, quod perfidus illic
Liquerat incœſto iuuenis ſatiatus amore.
Hanc iubet aſſumptam feruens poſt vina Neeram
Secum in delitiis fluitantis ſtare triumphi,
Regalémque decus capitis geſtare coronam.
Mox Ariadnæus ſtellis cœleſtibus ignis
Additur, hoc pretium noctis perſoluit honore
Liber, vt ætherium meretrix illuminet axem.
Tantum poſſe omnes illo ſub tempore reges
Indocilis fatui ducebat ineptia vulgi,
Vt tranſire ſuis cum ſordibus induperator
Poſſit in æternum cœli ſuper ardua regnum.
Regia tunc omnis vim maieſtatis, & omnis
Parua licet, cœli imperium retinere poteſtas
Credita, Thure etiam ducibus, paruóque ſacello
Imperitus bonos. quẽ dũ metus, aut amor, aut ſpes
Accumulant, longum miſeris proceſſit in æuum.
Mos patrius, cœpit falſæ pietatis imago
Ire per ignaros nebuloſo errore nepotes:
Tum quia quæ viuis veneratio regibus ante
Contigerat, functis eadem iam munere lucis
Ceſſit, & ad nigras altaria tranſtulit vrnas.
Inde puellarum ludibria, pignora, partus,
Et furtiuus amor iuuenum, & deprenſa iugalis
Corruptela thori, quoniam regalibus aula
Feruere tunc vitiis ſolita eſt, nec perdita luxu
Diuorum ſoboles ſancti meminiſſe pudoris.

UVA. BHSC. BU 10932

Mars
Venus

ATQVE vt Roma tuos cœlesti ex sede parentes,
Quis te semideam iactant auctoribus ortam,
Perstringam breuiter, Gradiuum, vel Citheream:
Ille sacerdotem violat, contrà illa marito
Succumbit Phrygio, coitus fuit impar vtrique,
Nec terrestre Deam decuit mortalis inire
Coniugium, nec cœlicolam descendere ephebum
Virginis ad vitium, furtiuóque igne calere.
Sed Venus augusto de sanguine fœmina, vili
Priuatóque viro vetitum per dedecus hæsit,
Et si Rhœa sacram lasciui Martis amore
Lusa pudicitiam fluuiali amisit in vlua:
Crediderim generosæ aliquem stirpis, sed eundem
Moribus infamem, compressa virgine per vim
Se dixisse Deum, ne stuprum numinis vllus
Obiicere auderet turpi miseræq; puellæ.
Hæc Italos induxit auos vel fama, vel error,
Martia Romuleo celebrarent vt sacra campo,
Vtq; Palatinis capitolia condita saxis
Signarent titulo proaui Iouis, atque Pelasgæ
Palladis, & Libyca Iunonem ex arce vocarent.
Cognatos de Marte Deos, Veneris quoque nudum
Accirent proceres Hericino è vertice signum.
Vtq; Deûm mater Phrygia veheretur ab Ida,
Bacchica de viridi peterentur vt orgia Naxo.
Facta est terrigenæ domus vnica maiestatis,
Et tot templa Deûm Romæ, quot in vrbe sepulcra
Heroum numerare licet, quos fabula manes

No-

UVA. BHSC. BU 10932

Nobilitas, noſter populus veneratus adorat.
Hos habuere Deos Ancus, Numitor, Numa, Tullus,
Talia Pergameas fugerunt numina flammas,
Sic Veſta eſt, ſic Palladium, ſic vmbra Penatum,
*Talis & antiquum*terror ſeruauit Aſylum.*
VT SEMEL obſedit gentilia pectora patrum
Vana ſuperſtitio, non interrupta cucurrit
Aetatum per mille gradus, tener horruit hæres,
Et coluit, quicquid ſibimet venerabile cani
Monſtrarant ataui, puerorum infantia prima
Errorem cum lacte bibit, guſtauerat inter
Vagitus de farre mola, ſaxa illita ceris
Viderat, vnguentóque lares humeſcere nigros,
Formatum Fortunæ habitum cum diuite cornu,
Sacratúmque domi lapidem conſiſtere paruus
Spectarat, matrémque illic pallere precantem,
Mox humeris poſitus nutricis, triuit & ipſe
Impreſſis ſilicem labris, puerilia vota
Fudit, opéſque ſibi cæca de rupe poposcit,
Perſuaſumq; habuit, quod quis velit inde petẽdum.
Nunquam oculos, animumq; leuãs rationis ad arcẽ
Rettulit, inſulſum tenuit ſed credulus vſum,
Priuatos celebrans agnorum ſanguine diuos,
Iamq; domo egrediens, vt publica feſta, dieſque,
Et ludos ſtupuit, celſa & Capitolia vidit,
Laurigeróſque Deũm templis aſtare miniſtros,
Ac Sacram reſonare viam mugitibus antè
Delubrum Romæ (colitur nam ſanguine & ipſa

Ald. ter
aſſeruau
Erroru c
ſa.

UVA. BHSC. BU 1082

More deæ, nomenq; loci ceu numen habetur,
Atque Vrbis, Veneríque pari se culmine tollunt
Templa, simul geminis adolentur thura deabus)
Vera ratus, quecunque fiant auctore senatu,
Contulit ad simulacra fidem, dominósque putauit
Aetheris, horrifico qui stant ex ordine vultu.
Illic Alcides spoliatis Gadibus hospes
Arcadiæ fuluo ære riget, Gemini quoque fratres
Corrupta de matre nothi, Lædcia proles,
Nocturníque equites, celsæ duo numinæ Romæ
Impendent *retinente solo, magniq; triumphi retinẽtq.
Nuntia, suffuso figunt vestigia plumbo.
Assistunt etiam priscorum insignia regum,
Dux Italus, Ianúsque bifrons, genitórque Sabinus,
Saturníque senex, maculoso, & corpore Picus
Coniugis ex otium sparsus per membra venenum.
Omnibus ante pedes posita est sua cuiq; vetusta
Arula, Iano etiam celebri de mense litatur
Auspiciis, epulísque sacris, quas inueterato
Heu miseri sub honore agitant, & gaudia ducunt
Festa Calendarum. Sic obseruatio creuit,
Ex atauis quondam male cœpta, deinde sequutis
Tradita temporibus, serísque nepotibus aucta,
Traxerunt longam corda inconsulta catenam.
Mósque tenebrosa vitiosa in secula fluxit.
HVNC morem veterum docili iam ætate sequuta
Posteritas, mense, atque adytis, & flamine, & aris
Augustum colunt, vitulo placant, & agno.

Augustus.

UVA. BHSC. BU 10932

Strata

Strata ad puluinar iacuit, responsa popoſcit,
Teſtantur tituli, produnt conſulta Senatus,
Cæſareum Iouis ad ſpeciem ſtatuentia templum.
ADIECERE ſacrum, fieret quo Liuia Iuno, Liuia.
Non minus infamis thalami ſortita cubile,
Quàm quum fraterno caluit Saturnia lecto.
Nondum maternam partu vacuauerat aluum,
Conceptamq; viri ſobolem paritura gerebat
Pronuba, iam grauidæ fulcrum geniale paratur,
Iam ſponſus ſaliente vtero nubentis amicos
Aduocat, haud ſterilem certus fore iam ſibi pactam,
Vitricus antè venit tardum præferuidus ortum.
Priuigni nondum geniti, mox editur inter
Feſcennina, nouo proles aliena marito,
Idq; Deûm ſortes, & Apollinis antra dederunt
Conſilium, nunquam melius nam cedere tedas
Reſpõſum eſt, quàm cũ prægnãs noua nupta iugatur.
Hanc tibi Roma deã titulis, & honore ſacratam,
Perpetuo Floras inter, Veneréſque creaſti.
Nec mirum, quis enim ſapiens dubitauerat illas
Mortali de ſtirpe ſatas vixiſſe, & eaſdem
Laude venuſtatis claras, in amoribus vſq;
Ad famæ excidium formæ nituiſſe decore?
QVID loquar Antinoum cœleſti ſede locatum? Adrianus
Illum delitias nunc diui Principis, illum eiuſque ca
Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili? tamitus.
Adrianique Dei Ganymedem, non cyathos dis
Porgere, ſed medio recubantem cum Ioue fulcro,

UVA. BHSC. BU 10932

Nectaris Ambrosij sacrum portare Lyæum,
Cumq; suo in templis vota exaudire marito?
Ergo his auspicibus; Traianus, Nerua, Seuerus,
Et Titus, & fortes gesserunt bella Nerones
Quos terrena viros illustres gloria fecit,
Et virtus fragilis prouexit in ardua famæ
Adscitæ terris, sub relligione iacentes.
Quàm pudet hoc illis persuasum, talibus vt se,
Romanásque acies censerent Martis amore
Posse regi, dum se Paphiæ male blandus adulter
Venditat, Aeneadasq; suos successibus auget.
Felices, si cuncta, Deo sua prospera Christo
Principe disposita scissent, qui currere regna
Certis ducta modis, Romanorúmque triumphis
Crescere, & impletis voluit se infundere seclis.
Sed caligantes animas, & luce carentes,
In Iouis, Augustique adytis, templísque duarum
Iunonum, Martísque etiam, Venerísque sacellis
Mactatas, tetro lethi immersere baratro,
Supremum regimen crassis in partibus orbis
Esse rati, mersoq; poli consistere fundo.
*Quicquid humus * pelagus, cœlum mirabile gignunt*
Id duxere deos, colles, freta, flumina, flammas,
Hæc sibi per varias formata elementa figuras
Constituere patres, hominúmque vocabula mutis
Scripserunt statuis, vel Neptunum vocitantes
Oceanum, vel Cyaneas caua flumina Nymphas,
Vel syluas Dryadas, vel deuia rura Napæas.

elementa. quicquid clag⁹ mir.

UVA. BHSC. BU 10932

Ipse

Ipſe ignis, noſtrum factus qui ſeruit ad vſum,
Vulcanus perhibetur, & in virtute ſuperna
Fingitur, ac delubra Deis & nomine, & ore
Aſſimilatus habet, nec non regnare caminis
Fertur, & Aeoliæ ſummus faber eſſe vel Aetnæ.
EST qui conſpicuis ſuperos quæſiuit in aſtris, Sol.
Auſus habere Deum Solem, cui tramite certo
Conditio impoſita eſt, vigilem tolerare laborem,
Viſibus obiectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretiq; globo per inane volantem,
Et quod nemo negat, mundo, cælóque minorem.
Area maior enim, quàm qui percurrit in illa,
Et longè campi ſpatium diffuſius, in quo
Emicat, ac volucri feruens rota voluitur axe.
Quamuis nonnullis placeat, terram breuiorem
Dicere circuitu, quàm ſit pulcherrimus ille
Circulus, & flammas immenſi ſyderis, vltra
Telluris normam, porrecto extendere gyro.
Númne etiam cœli minor, & contractior orbis:
Cuius planiciem longo tranſmittere tractu
Circinus excurrens meta interiore laborat?
Ille Deus verus, quo non eſt grandior vlla
Materies: qui fine caret, qui præſidet omni
Naturæ, qui cuncta ſimul concludit, & implet.
Solem certa tenet regio, plaga certa coërcet,
Temporibus variis diſtinguitur, aut ſubit ortu,
Aut ruit occaſu, latet aut ſub nocte recurrens,
Non torquere facem potis eſt ad ſigna Trionum.

UVA. BHSC. BU 1632

Orbe nec obliquo portas Aquilonis adire,
Nec ſolitum conuerſus iter reuocare retrorſum.
Hic erit ergo Deus præſcriptis lege ſub vna
Deditus officiis? Libertas laxior ipſi
Conceſſa eſt homini, formam cui flectere vitæ,
Atque voluntatis licitum eſt, ſeu tramite dextro
Scandere, ſeu leuo malit decurrere campo,
Sumere ſeu requiem, ſeu continuare laborem,
Seu parere Deo, ſiue in contraria verti.
Iſta miniſtranti regimen ſolenne dierum,
Haudquaquam Soli datur à factore poteſtas:
Sed famulus ſubiectus agit, quodcunque neceſſe eſt.
Hoc ſydas, currum, rapidáſque agitare quadrigas
Commenti, & radios capitis, & verbera dextræ,
Et frenos, phaleráſque, & equorum pectora anhela
Aeris inaurati, vel marmoris, aut orichalci,
Iuſſerunt nitido fulgere polita metallo,
Poſt trabeas, & eburnã Aquilã, ſellámq; curulem,
Cernuáque ora ſenex barbatus, & oſcula figit
Cruribus æripedum, ſi fas eſt credere, equorum,
Immotáſque rotas, & flecti neſcia lora,
Aut ornat redimita roſis, aut thure vaporat.
Hoc tamẽ vtcũq; eſt tolerabile, quid? quod & ipſæ
Dant tibi Roma deos inferni gurgitis vmbræ?
Eumenidum domina Stygio caput exerit antro,
Rapta ad tartarei thalamum Proſerpina regis.
Et ſi quando ſuos dignatur adire Quirites,
Placatur vaccæ ſterilis ceruice reſecta,

Et reg

UVA. BHSC. BU 10932

Et regnare ſimul cœlóque, herebóque putatur.
Nunc biiugas frenare boues, nunc ſæua Sororum
Agmina vipereo ſuperis immittere flagro,
Nunc etiam volucres caprearum in terga ſagittas
Spargere, térque ſuas eadem variare figuras.
Denique quum luna eſt, ſublustri ſplendet amictu:
Quum ſuccincta iacit calamos, Latonia virgo eſt:
Quum ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia coniunx,
Imperitat Furiis, & dictat iura Megerę.
Si verum quæris, Triuiæ ſub nomine dæmon
Tartareus colitur, qui te modo raptat ad æthram,
Sydereóque Deum venerandum ſuadet in aſtro.
Per ſyluas modo mortiferi diſcurrere mundi,
Erroréſque ſequi ſubigit, nemorúmque putare
Eſſe deam, quæ corda hominum pauitantia figat,
Quæq; feras perimat lethali vulnere mentes,
Depreſſos modò ſubter humum formidine ſenſus
Obruit, implorent vt numina lucis egena,
Séque poteſtati committant noctis opertæ.
Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,
Cui cadit infauſta fuſus gladiator harena,
Heu male luſtratæ Phlegetontia victima Romæ.
Nam quid veſani ſibi vult ars impia ludi?
Quid mortes iuuenũ? qd ſanguine paſta voluptas?
Quid puluis caueæ ſemper funebris? & illa
Amphitheatralis ſpectacula triſtia pompæ?
Nempe Charon iugulis miſerorum ſe duce dignas
Accipit inferias placatus crimine ſacro.

VVA. BHSC. BU 10932

Hæ ſunt deliciæ Iouis infernalis, in iſtis
Arbiter obſcuri placidus requieſcit auerni.
Nónne pudet regem, populis, ſceptríſque potentem
Talia pro patriæ cenſere litanda ſalute?
Religionis opem ſubternis poſcere ab antris?
Euocat hen pœnis tenebroſa ex ſede miniſtrum
Interitus, ſpecioſa hominum cui funera ſoluat.
Incaſſum arguere iam taurica ſacra ſolemus:
Funditur humanus lætiali in munere ſanguis,
Confeſſúſque ille ſpectantum ſoluit ad aram
Plutonis fera vota ſui: quid ſanctius ara,
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?
An ne fides dubia eſt tibi, ſub caligine cæca
Eſſe Deum, quem th tacitis rimeris in vmbris?
Ecce deos Manes cur inficiaris haberi?
Ipſa patrum monumenta probãt, diis Manibus illic
Marmora ſecta lego, quacunque Latina vetuſtos
Cuſtodit cineres, denſiſq; Salaria buſtis.
DIC *quibus hũc ſcribis titulũ? niſi quod trucis orci*
Imperium, veræ ceu maieſtatis adoras?
En quibus implicita ſqualebat regia ſummi
Imperij, tractis maiorum ab origine ſacris.
Quum princeps gemini bis victor cæde tyranni
Pulchra triumphali reſpexit mœnia vultu,
Nubibus obſeſſam nigrantibus aſpicit vrbem,
Noctis obumbratæ caligine, turbidus aër
Arcebat liquidum ſeptena ex arce ſerenum.
Ingemuit miſerans, & ſic ait, exue, triſtes

dit ad
eodoſiũ

Fida

UVA. BHSC. BU 10932

Fida parens habitus, equidem prædiuite cultu
Illustrata cluis, spoliisque insigne superbis
Attollis caput, & multo circunfluis auro.
Sed nebulis propter volitantibus obsitus alti
Verticis horret apex, ipsas quoque liuida gemmas
Lux hebetat, spissúsque dies, & fumus ab ora
Suffusus rutilum frontis diadema retundit.
Obscuras video tibi circunferrier vmbras,
Cæruleásque animas, atque idola nigra volare.
Censeo sublimem tollas super aëra vultum,
Sub pedidúsque tuis nimbosa elementa relinquas.
Omne quod ex mũdo est, tibi subiacet, hoc Deus ipse
Constituit, cuius nutu dominaris, & orbi
Imperitas, & cuncta potens mortalia calcas.
Non decet, vt submissa oculos Regina caducum
Contemplere solum, maiestatémque requiras
Circa humiles rerum partes, quibus ipsa superstas,
Non patiar veteres teneas vt me duce nugas,
Vt carioſorum venereris monstra deorum,
Si lapis est, senio dissoluitur, aut crepat ictu
Percussus tenui: mollis si bractea gypsum
Texerit, infido rarescit glutine sensim.
Si formam statuæ laminis commisit ahænis
Lima terens, aut in partem caua membra grauato
Pondere curuantur, scabra aut erugo peresam
Conficit effigiem, crebróque foramine rumpit.
Nec tibi terra Deus, cœli nec sit Deus astrum.
Nec Deus Oceanus, nec vis quæ subter operta est,

UVA. BHSC. BU 10932

Infernis triſte ob meritum damnata tenebris:
Sed nec virtutes hominum Deus, aut animarum,
Spiritumúmve, vagæ tenui ſub imagine formæ.
Abſit vt vmbra Deus tibi ſit, geniúſve, locúsve,
Aut Deus aërias volitans phantaſma per auras.
Sint hæc Barbaricis gentilia numina pagis,
Quos penes omne ſacrũ eſt, ꝺcꝙd formido tremendũ
Suaſerit, horrificos quos prodigialia cogunt
Credere monſtra deos, quos ſanguinolentus edendi
Mos iuuat, vt pinguis luco lanietur in alto
Victima, viſceribus multa inter vina vorandis.
At te, quæ domitis leges, ac iura dediſti
Gentibus inſtituens, magnus qua tenditur orbis,
Armorum morúmque feros manſueſcere ritus,
Indignum ac miſerum eſt in relligione tenenda
Id ſapere, immanes populi de more ferino
Quod ſapiunt, nulláque rudes ratione ſequuntur,
Seu vos procinctus maneat, ſeu pace quietas
Dictemus leges, ſeu debellata duorum
Colla tyrannorum media calcemus in vrbe.
Agnoſcas Regina libens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,
Aut longis ſolido ex auro præfertur in haſtis.
Hoc ſigno inuictus tranſmiſſis alpibus vltor
Seruitium ſoluit miſerabile Conſtantinus,
Quum te peſtifera premeret Maxentius aula,
Lugebas longo damnatos carcere centum
(Vt ſcis ipſa) patres. Aut ſponſus fœdera pacte

Inter

UVA. BHSC. BU 10932

Intercepta gemens, diróque ſatellite rapta,
Immerſus tenebris dura inter vincla luebat.
Aut ſi nupta thorum regis conſcendere iuſſa,
Cœperat impurum Domini oblectare furorem,
Morte maritalis dabat indignatio pœnas.
Plena puellarum patriúmque ergaſtula ſæui
Principis. Adducta genitor ſi virgine muſſans
Triſtius ingemuit, non ille impune dolorem,
Prodidit aut confeſſa nimis ſuſpiria traxit
Vim libertatis nimiæ, patriúmque dolorem.
Teſtis chriſticolæ ducis aduentantis ad vrbem
Muluius, exceptum Tyberina in ſtagna tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Maieſtate regi, quod ſignum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarint ſtemmante pila.
Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.
Ipſe ſenatorum meminit clariſſimus ordo,
Qui tunc concreto proceſſit crine, catenis
Squalens carcereis, aut nexus compede vaſta,
Complexúſque pedes victoris, ad inclyta flendo
Procubuit vexilla iacens. Tunc ille ſenatus
Militiæ vltricis titulum, Chriſtíque verendum
Nomen adorauit, quod collucebat in armis.
Ergo caue egregium caput orbis inania poſthac
Prodigia & laruas ſtolido confingere cultu,
Atque experta Dei virtutem ſpernere veri.

UVA. BHSC. BU 10932

Deponas iam festa velim puerilia, ritus
Ridiculos, tantóque indigna sacraria regno,
Marmora tabenti respergine tincta lauate
O proceres, liceat statuas consistere puras
Artificum magnorũ opera, hæc pulcherrima nostra
Ornamenta cluant patria, nec decolor vsus* *ald. fuant
In vitium versæ monimenta coinquinet artis,
Talibus edictis vrbs informata refugit
Errores veteres, & turbida ab ore vieto
Nubila discussit, iam nobilitate parata
Aeternas tentare vias, Christúmque vocante
Magnanimo ductore sequi, & spem mittere in eũ.
Tunc primum senio docilis, sua secula Roma
Erubuit, pudet exacti iam temporis, odit
Præteritos fœdis cum relligionibus annos.
Mox vbi contiguos fossis muralibus agros
Sanguine iustorum innocuo maduisse recordans,
Inuidiosa videt tumulorum millia circum:
Tristis iudicij mage pœnitet, ac ditionis
Effrenis nimiæq; sacris pro turpibus iræ,
Compensare cupit teterrima vulnera læsæ
Iustitiæ, sero obsequio, veniáque petenda,
Ne tanto imperio maneat pietate repulsa
Crimen seuitiæ, monstrata piacula soluit
Inq; fidem Christi pleno transfertur amore,
Laurea victoris Marij minus vtilis vrbi,
Quũ traheret Numidã populo plaudẽte Iugurthã:
Nec tantum Arpinas consul tibi Roma medelæ

UVA. BHSC. BU 10932

Contulit extincto iusta inter vincla Cethego,
Quantum precipuus nostro sub tempore princeps
**Præscripsit, tribuítque boni. multos Catilinas* **prospexit*
Ille domo pepulit, non sæua incendia tectis,
Aut sicas patribus, sed tartara nigra animabus,
Internóque hominum statui tormenta parantes.
Errabant hostes per templa, per atria passim,
Romanúmque forum, & Capitolia celsa tenebant,
Qui coniuratas ipsa ad vitalia plebis
Moliti insidias, intus serpente veneno
Consuerant tacitis pestem miscere medullis.
Ergo triumphator latitante ex hoste togatus,
Clara trophæa refert sine sanguine, rémque Quirini
Adsuescit supero pollere in secula regno.
Denique nec metas statuit, nec tempora ponit,
Imperium sine fine docet, ne Romula virtus
Iam sit anus, norit ne gloria parta senectam.
Exultare patres videas, pulcherrima mundi
Lumina, conciliúmque senum gestire Catonum
Candidiore toga, niueum pietatis amictum
Sumere & exuuias deponere pontificales.
Iámque ruit paucis Tarpeia in rupe relictis *Familiæ f*
Ad syncera virum penetralia Nazareorum, *natorũchr*
Atque ad apostolicos Euandria curia fontes, *stianæ*
**Anniadum soboles, & pignora clara proborum,* **Aeneadi*
Fertur enim ante alios generosus Anitius, vrbis
Illustrasse caput, sic se Roma inclyta iactat.
Quin & Olibriaci generísque & nominis hæres,

BVA. BASC. BU 10952

Adiectus fastis, palmata insignis abolla
Martyris ante fores Bruti submittere fasces,
Ambit & Ausoniam Christo inclinare securim.
Non Paulinorum, non Bassorum dubitauit
Prompta fides dare se Christo, stirpémque superbam
Gentis patriciæ venturo attollere seclo.
Iam quid Plebicolas percurram carmine Gracchos
Iure potestatis fultos, & in arce senatus
Præcipuos, simulacra Deum iussisse reuelli?
Cúmque suis pariter lictoribus omnipotenti
Suppliciter Christo se consecrasse regendos?
Sexcentas numerare domos de sanguine prisco
Nobilium licet ad Christi signacula versas,
Turpis ab idolij vasto emersisse profundo,
Si persona aliqua est, aut si status vrbis, in his est:
Si formam patriæ facit excellentior ordo,
Hi faciunt, iuncta est quoties sententia plebis,
Atque vnum sapiunt plures simul ac potiores.
Respice ad illustrem, lux est vbi publica, cellam,
Vix pauca inuenies gentilibus obsita nugis
Ingenia, obstrictos ægré retinentia cultus,
Et quibus exactas placeat seruare tenebras,
Splendentémque die medio non cernere solem.
*Posthinc ad populũ cõuerte oculos, *quis in vrbe est,*
**quota ars est* *Qui Iouis infectam sanie non despuat aram?*
**Quæ* *Omnis qui celsa scandit cœnacula vulgus,*
Quique terit silicem variis discursibus atram,
Et quem panis alit gradibus dispensus ab altis,

UVA. BHSC. BU 10932

Aut vaticano tumulum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet genitoris amabilis obses,
Cœtibus aut magnis Lateranas currit ad ædes,
Vnde sacrum referat regali chrismate signum.
Et dubitamus adhuc Romam tibi Christe dicatam
In leges transisse tuas? omníque volentem
Cum populo & summis cum ciuibus, ardua magni
Iam super astra poli, terrenum extendere regnum?
Nec moueor, quod pars hominum rarissima, clausos
Non aperit sub luce oculos. & gressibus errat.
Quamlibet illustres meritis, & sanguine clari,
Præmia virtutum titulis, & honoribus aucti
Ardua rettulerint, fastorúmque arce potiti
Annales proprio signarint nomine chartas,
Atque inter veteres cera numerentur & ære:
Attamen in paucis iam deficiente caterua,
Nec persona sita est Patriæ, nec Curia constat,
Et quodcunque fouet studij priuata voluntas,
Ac iam rara tenet, sed publica vota reclamant,
Dissensu celebri trepidum damnantia murmur.
Sic consulta Patrum subsistere conscriptorum,
Non aliter licitum prisco sub tempore, quàm si
Ter centum sensisse foues legerentur in vnum.
Seruemus leges patrias, infirma minoris
Vox cedat numeri paruáque in parte silescat.
Aspice quàm pleno subsellia nostra senatu aposiropha
Decernant infame Iouis puluinar, & omne ad symma
Idolium longe purgata ex vrbe fugandum. chum.

UVA. BHSC. BU 10932

Quà vocat egregij ſententia principis, illuc
Libera tum pedibus, tum corde frequentia tranſit.
Nec locus inuidiæ eſt, nullum vis aſpera terret,
Ante oculos ſic velle patet, cunctíque probatum
Non iuſſum, ſola capti ratione ſequuntur.
Denique pro meritis terreſtribus æqua rependens
Munera ſacricolis, ſummos impertit honores
Dux bonus, & certare ſinit cum laude ſuorum,
Nec pago implicitos per debita culmina mundi
Ire viros prohibet, quoniam cæleſtia nunquam
Terrenis ſolitum per iter gradientibus obſtant.
Ipſe magiſtratum tibi conſulis, ipſe tribunal
Contulit, auratúmque togæ donauit amictum,
Cuius relligio tibi diſplicet, ô pereuntum
Adſertor diuum ſolus qui reſtituendos
Vulcani, Martíſque dolos, Veneríſque peroras,
Saturníque ſenis lapides, Phœbíque furores,
Iliacæ matris Megaleſia, Bacchica Nyſi,
Iſidis amiſſum ſemper plangentis Oſirim,
Mimica, ridendáque ſuis ſolennia caluis,
Et quaſcunque ſolent Capitolia claudere laruas.
O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquij, cui cedat & ipſe
Tullius, has fundit diues facundia gemmas.
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui ſordida monſtra
Prætulit, & liquidam temerauit crimine vocem.
Haud aliter, quàm ſi raſtris quis tentet eburnis

UVA. BHSC. BU 10932

Cœnoſuus verſare ſolum, limóque madentes
Excolere aureolis ſi forte ligonibus vluas:
Splendorem dentis nitidi ſcrobis inquinat atra,
Et pretioſa acies ſqualenti ſordet in aruo.
Non vereor, ne me nimium confidere quiſquam
Arguat, ingeniíque putet luctamen inire.
Sum memor ipſe mei, ſatis & mea friuola noui,
Non auſim conferre pedem, nec ſpicula tantæ
Indocilis fandi conjecta laceſſere linguæ.
Illæſus maneat liber, excellénſque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam,
Sed liceat tectum ſeruare à vulnere pectus,
Oppoſitáque volans iaculum depellere parma.
Nam ſi noſtra fides ſeclo iam tuta quieto
Viribus infeſtis, hoſtilíque arte petita eſt,
Cur mihi fas non ſit, lateris ſinuamine flexi
Ludere ventoſas iactu pereunte ſagittas?
Sed iam tempus iter longi cohibere libelli,
Ne tractum ſine fine ferat faſtidia carmen.

AVRELII PRVDENTII
V.C. in poſteriorem contra Symmachum librum.

PRAEFATIO.

Carmen Glyconiũ, conſtans ſpondæo, Choriãbo, & Pyrrhichio, ſeu Iambo, hoc modo:

— — —vv— vv

SIMON, *quem vocitant Petrum.*

UVA. BHSC. BU 10932

Summus discipulus Dei,
Lucis forte sub exitu,
Quàm vesper croceus rubet,
Curuam vulserat ancoram
Captans flamina linteis,
Et transnare volens fretum.
Nox ventum mouet obuium
Fundo qui mare misceat,
Iactatam quatiat ratem.
Clamor nauticus æthera
Plangens, atque vlulans ferit
Cum stridore rudentium,
Nec quicquam superat spei,
Mergendis propè naufragis,
Quum Christum procul aspicit
Pallens turba periculis
Calcantem pedibus mare,
Ac si per solidam viam
Siccum littus obambulet.
Hæc miracula cæteri
Vectores pauidi stupent,
Solus non trepidus Petrus
Agnoscit Dominum poli,
Terræq;, & maris inuij,
Cuiúsque omnipotentiæ est
Plantis æquora subdere.
Tendit suppliciter manus.
Natum subsidium rogat.

A 8

UVA. BHSC. BU 10932

Ast ille placidè annuens
Puppi vt desiliat iubet.
Iussis obsequitur Petrus,
Sed vestigia fluctibus
Summis tinguere cœperat,
Et lapsante gradu pedes
Pessum mergere lubricos.
Mortalem Deus increpat,
Qui sit non stabili fide,
Nec calcare fluentia,
Nec Christum valeat sequi.
Tum dextra famulum leuat,
Sistitque, & docet ingredi
Tergum per tumidum freti.
Sic me tuta silentia
Egressum dubiis loquax
Infert lingua periculis.
Non vt discipulum Petrum
Fidentem merito, & fide,
Sed quem culpa frequens leuem
Voluat per freta naufragum.
Sum plane temerarius,
Qui noctis mihi conscius,
Quam vitæ in tenebris ago
Puppem credere fluctibus
Tanti non timeam viri:
Quo nunc nemo disertior
Exultat, fremit, instat,

UVA. BHSC. BU 109

Vcntísque eloquij tumet.
Cui mersare facillimum est
Tractandæ indocilem ratis,
Ni tu Christe potens manum
Dextro numine porrigas,
Facundi oris vt impetus
Non me fluctibus obruat,
Sed sensim gradiens, vadis
Insistam fluitantibus.

LIBER POSTERIOR.

HACTENVS & veterũ cunabula prima deorũ,
Et causas quibus error hebes conflatus in orbe est,
Diximus, & nostro Romam iam credere Christo,
Nunc obiecta legam, nunc dictis dicta refellam.
Vnde igitur cœpisse ferunt, aut ex quibus orsum,
Quo mage sancta ducum corda illice flecteret arte?

SYMMACHVS.

Quis ita familiaris est barbaris, vt aram Victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostenta vitamus. reddatur saltem nomini honor, qui numini denegatus est. multa Victoriæ debet æternitas vestra, & adhuc plura debebit. Auersentur hanc potestatem, quibus nihil profuit. Vos amicum triumphis patrocinium, nolite deserere. Cunctis potentia ista votiua est. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam.

UVA. BHSC. BU 10932

PRVDENTIVS,

Armorum dominos, vernantes flore iuuentæ
Inter castra patris genitos, sub imagine auitæ
*Eductos, exempla domi congesta * tenentes* *colente.
Orator catus instigat, ceu classica belli
Clangeret, exacuítque animos, & talia iactat:
Si vobis vel parta viri Victoria cordi est,
Vel pariendâ dehinc: templum dea virgo sacratum
Obtineat: vobis regnantibus ecquis amicus
Hostibus, hanc sanctè vestro negat esse colendam
Imperio cui semper adest, quod laudibus implet?
Hæc vbi dicta dedit, reddunt placidissima fratrũ* *legatæ
Ora ducum: Scimus quàm sit Victoria dulcis
Fortibus, Ausoniæ vir facundissime linguæ
Sed quibus illa modis, qua sit ratione vocanda
Nouimus, hac primum pueros pater imbuit arte,
Hanc genitore suo didicit puer ipse magistro,
Non aris, non farre mole Victoria felix
Exorata venit: labor impiger, aspera virtus,
Vis animi, excellens ardor, violentia, cura
Hanc tribuunt durum tractandis robur in armis.
Quæ si defuerint bellantibus, aurea quamuis
Marmoreo in templo rutilas Victoria pennas
*Explicet, & multis surgat formata*metallis,* *talenti
Non aderit, versisq; offensa videbitur hastis.
Quid miles propriis diffisus viribus, optas
Irrita fœmineæ tibimet solatia formæ?

UVA. BHSC. BU 109

Nunquam pennigeram legio ferrata puellam
Vidit, anhelantum regeret quæ tela virorum.
Vincendi quæris dominam? sua dextera cuique est,
Et Deus omnipotens, non pexo crine virago,
Nec nudo suspensa pede, strophióque recincta,
Nec tumidas fluitante sinu vestita papillas.

At vos pictorum docuit manus, assimilatis
Iure Poëtarum numen componere monstris,
Aut lepida ex vestro sumpsit pictura sacello
Quod variis imitata notis, ceráque liquenti
Duceret in faciem sociique poëmatis arte
Aucta, coloratis auderet ludere fucis.
Sic vnum sectantur iter, & mania rerum
Somnia concipiunt & Homerus, & acer Apelles,
Et Numa, cognatumq; malum pigmẽta, Camœnæ.
Idola conflauit fallendi docta potestas.

Hæc si non ita sunt, edatur, cur sacra vobis
Ex tabulis ceríque Poëtica fabula præstet,
Cur Berecynthiacus perdit truncata sacerdos
Inguina, quum pulcher sese castrauerit Atis?
Cur etiam templo Triuiæ, lucíque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quum Phœdra pudicum
Raptarit iuuenem volucri per littora cursu
Idq; etiam paries tibi versicolorus adumbret?
Desine si pudor est, glentilis ineptia, tandem
Res incorporeas simulatis fingere membris.
Desine, terga hominis plumis obducere frustra.
Fertur auis mulier, magnúsque eadem Dea vultur.

UVA. BHSC. BU 10932

Vis decorare tuum ditissima Roma Senatum?
Suspende exuuias, armis & sanguine captas.
Congere cæsorum victrix diademata regum.
Frange repulsorum fœda ornamenta Deorum,
Tunc tibi non terris tantum Victoria parta,
Sed super astra etiam media seruabitur æde.
Talia principibus dicta interfantibus, ille
Prosequitur, magnisque tubam concentibus inflat,
Allegat morem veterum, nil dulcius esse
Affirmat solitis populósque hominésque teneri
Lege sua: Sicut variæ nascentibus, inquit,
Contingunt pueris animæ, sic vrbibus adfert
Hora, diésque suum, quum primum mœnia surgũt,
Aut fatum, aut genium, cuius moderamine regnẽt.
Addit & arcanum rerum, veríque latebras
Prosperitate aliqua deprendi posse, secundi
Per documenta boni, si sint felicia, qua quis
Experiendo probet, cessisse parentibus omne
Idolium semper feliciter, & pede dextro.
Enumerat longi vim temporis, excitat ipsam
Crinibus albentem niueis, & fronte vietam
Ore reposcentem querulo sua numina Romam.
Libera sum, liceat proprio mihi viuere more.
Et quis erit, qui mille meos reprehenderit annos?
Vno omnes sub sole siti, vegetamur eodem
Aëre, communis cunctis viuentibus aura.
Sed qui sit, qualísque Deus, diuersa sequuti
Quærimus, atque viis longè distantibus, vnum

UVA. BHSC. BU 10932

Imus ad occultum, proprius genti cuique est mos
Per quod iter properans, eat ad tã grãde profundũ.
His tam magnificis, tantáque fluentibus arte,
Respondet vel sola fides doctissima primum
Pandere vestibulum veræ ad penetralia sectæ.
Nam quum diuinis agimus de rebus, & illum
Qui vel principio caruit, vel fine carebit,
Quique Chaos anterior fuerit, mundúmque crearit,
Coniectare animo contendimus, exigua est vis
Humani ingenij, tantóque angusta labori:
Quippe minor natura, aciem si intendere tentet
Acrius, ac penetrare Dei secreta supremi:
Quis dubitet victo fragilem lassescere visu,
Vinque fatigatæ mentis sub pectore paruo
Turbari, inualidísque hebetem succumbere curis?
Sed facilis fidei via prouocat omnipotentem
Credere, qui bona non tantum præsentia donat,
Sed ventura etiam, longísque intermina seclis
Promittit, ne totus eam resolutus inane
In nihilum, pereámque breuem post luminis vsum
Muneris auctores ipso de munere pendas.
Æterna æternus tribuit, mortalia confert
Mortalis, diuina Deus, peritura caducus.
Omnia quæ tẽpus peragit, quæq; exitus aufert,
Vilia sunt breuitate sui, nec digna perenni
Largitore, cui propria est opulentia nunquam
Desinere, ídque homini dare, quod nõ desinet vnquã.
Nam si corruptum, corrumpendúmve Deus quid

Præst

UVA. BHSC. BU 10932

Præstat, habétque nihil quod sit pretiosius istis:
Pauper, & infirmus, & summo indignus honore,
Et non omnipotens, sed inanis numinis vmbra est.
Hac ratione fides sapienter coniicit, imò
Nō dubitat verū èsse Deū, qui quod sumus, & quod
Viuimus, illæsum semper fore, (si mereamur,)
Nos sperare iubet, cœlestia si placet inquit,
Scandere, terrenas animo depellite curas.
Nam quantum subiecta *situ tellus iacet infra, *polo
Diuiditúrque ab humo conuexi regia cœli,
Tantum vestra meis distant mundana futuris,
Dira bonis, scelerata piis, tenebrosa serenis.
Quicquid obire potest fugiatis censeo, quicquid
Naturæ ratione capit vitium, atque senescit,
Pro nihilo, in nihilum quia sunt reditura, putetis.
Cuncta quidē quæ gignit humus, quæ cōtinet, ipse
Principio institui, nitidóque insignia mundo
Ornamenta dedi, spetioságue semina finxi.
Sed tamen esse modum volui, parcísque fruenda
Moribus indulsi, quantum moribundus & *æger *Ald. egri
Corporis, & vitæ volucris sibi posceret vsus,
Non vt captus homo studiis, & inaniter ardens,
Duceret omne bonum positum in dulcedine rerum:
Et species tenues, quas currere tempore iussi,
Atque æuum statui sub quo generosa probarem
Pectora, ne torpens, & non exercita virtus,
Robur eneruatum gereret sine laude palestræ.
Illecebrosus enim sapor est, & pestifer horum,

UVA. BHSC. BU 10932

Quæ dum prætereunt, miro oblectamine mentes
Implicitas, vinctásque tenent. Vincenda voluptas,
Elaqueanda animi constantia, ne retinaclis
Mollibus ac lentis nexa, & captiua prematur.
*Luctãdũ *Nitendum summis conatibus, inter acerba
Sectandum virtutis iter, ne suauia fluxæ
Conditionis amet nimium, ne congerat aurum,
Nec varios lapidum cupidè spectare colores
Ambitiosa velit, ne se popularibus auris
Ostentet, pulchróque inflata tumescat honore,
Ne natale solum, patrij ne iugera ruris
Tendat, & externos animum diffundat in agros,
Et ne corporeis addicat sensibus omne
Quod vult, aut quod agit, ne præferat vtile iusto,
In me spémque omnem statuat, nunquam peritura
Quæ dedero, sunt, æternum mea dona manebunt.
Hæc igitur spondente Deo, quis fortis, & acer,
Virtutísque capax breue quídque perennibus in se
Prætulerit? vel quis sapiens potiora putarit
Gaudia membrorum, quàm viuæ præmia mentis?
Nónne hominẽ ac pecudem distantia separat vna,
Quod bõa quadrupedũ ãte oculos sita sunt, ego cõtrà
Spero, quod extra aciem longum seruatur in æuũ.
Nam si tota mihi cum corpore vita peribit,
Nec poterit superesse meum post funera quicquam,
Quis mihi regnator cœli? quis corditor orbis?
Quis Deus? aut quæ iam meritò metuenda potestas?
Ibo per impuros feruente libidine luxus,

UVA. BHSC. BU 10932

Incest

Incestabo thoros, sacrum calcabo pudorem,
Inficiabor habens aliquod sine teste propinqui
Depositum, tenues auidus spoliabo clientes,
Longæuam perimam magico cantamine matrem.
Tardat anus Dominum dilata morte secundum.
Nec formido malum, falluntur publica iura.
Lex armata sedet, sed nescit crimen opertum,
Aut si res pateat, iudex corrumpitur auro.
Rara reos iusta percellit pœna securi.
Sed quid ego hæc meditor? reuocat Deus ecce seuera
Maiestate minax, negat interitura meorum
Per mortem monimenta operum, non occidet, inquit,
Interior qui spirat homo, luet ille perenne
Supplicium, quod subiectos malè rexerit artus.
Nec mihi difficile est liquidam circundare flammis
Naturam, quamuis perstabilis illa feratur
More Noti, capiã tamen, & tormenta adhibebo,
Ipse incorporeus, ac spirituum sator vnus.
Quin & corporibus parilis consortia pœnæ
Decernam, possum quoniam renouare fauillas
Antiquam in faciem, nec desperanda potestas,
Qui potui formare nouum, reparabo peremptum.
Non desunt exempla meæ virtutis, in ipsis
Seminibus natura docet reuirescere cuncta
Post obitum, siccantur enim perunte vigore
Quo vixere prius, tunc sicca & mortua sulcis
Aut foueis mandata latent, & more sepulcri
Obruta de tumulis rediuino germine surgunt.

UVA. BHSC. BU 10932

Nunquid nosse potes, vel coniectare, quis istud
Nil. Tam solers opifex struat? aut quæ vis agat intus?
*Ne vos ô miseri Physicorum dogmata fallant.
En ego ginendi Dominus, ac restituendi
Quod periit, fluxitque potens, siccissima queq;
In veteres formas aut flore aut fronde reduco.
Idq; ipsum quandóque homini facturus, inani
Surgat vt ex cinere, strusturáque pristina constet,
Quæ mihi pro meritis, vel per tormenta rependat
Crimina, vel summæ virtutis in arce coruscet,
Non peritura dehinc quacunq; in sorte manebit.
Interea, dum mista viget sustantia in vnum,
Sit memor auctoris proprij, veneretur, & oret
Artificem submissa suum. Non condidit alter
Halantis animæ figmentum, & corporis alter,
Nec bona præsentis vitæ numerosa gubernant
Numina, non alius segetes, & spicea farra
Suppeditat Deus, haud alius dat musta racemis,
Purpureúmq; graui fundit de palmite succum.
Ipse ego sum, virides oleas pinguescere bacris
Qui facio, Graia quas Pallade fingitis ortas,
Et qui Lucinas tribuo nascentibus horas.
Duplex lege mea per mutua fœdera sexus
Gignere amat sobolem, generísque propagine gaudet;
Quem vos lasciuis violatis amoribus ignem,
Et stupra vestra Dee Veneris prætexitis vmbra.
Vnus ego hæc elementa rego, nec mole laboris
Aut miser infirmúsve aliquis, fragilísve fatigor.

UVA. BHSC. BU 10932

Lucr

Lux immensa mihi est, nec morte solubilis ætas,
Sensibus & vestris haud intellecta vetustas.
Inde ministeriis ad tot moderamina mundi,
Non egeo, nec participes sociósve requiro.
Porrò autem angelicas legiones, quas mea fecit
Dextera, nosse meum est, & quæ natura cratus
Subsistat, qualésque mihi seruentur ad vsus.
Tu me præterito, meditaris numina mille,
Quæ simules parere meis virtutibus, vt me
Per varias partes minuas, cui nulla recidi
Pars, aut formæ potest, quia sum substantia simplex,
Nec pars esse queo. Solis diuisio rebus
Compositis, factísque subest: me nemo creauit,
Vt scindi valeam, cunctorum conditor vnus.
Crede, quod ex nihilo formaui, pars mea non est.
Quare age mortalis, soli mihi construe templum.
Meq; vnum venerare Deum, cementa remitto,
Et quæ saxa Paros secat, & quæ Punica rupes,
Quæ viridis Lacedæmon habet, maculosáque Synnas,
Natiuum nemo scopuli mihi dedicet ostrum.
Templum mentis amo, non marmoris, aurea in illo
Fundamenta manent fidei, structura niuali
Consurgit pietate nitens, tegit ardua culmen
Iustitia, interius spargit sola picta rubenti
Flore pudicitiæ pudor almus, & atria seruat.
Hæc domus apta mihi est, hæc me pulcherrima sedes
Accipit, eterne, cœlestíque hospite digna.
Nec nouus hic locus est, fluxit mea gloria in artus,

UVA. BHSC. BU 10932

Et lux vera Dei, Deus illustrauit alumnam
Materiem, corpúsque parens habitabile fecit
Ipse sibi, placito vt posset requiescere templo.
Condideram perfectũ hominem, spectare superna
Mandaram, totis conuersum sensibus in me
Recto habitu, celsoq; situ, & sublime tuentem,
Sed despexit humum, séque inclinauit ad orbis
Diuitias, pepulítque meum de pectore numen.
Restituendus erat mihimet, submissus in illum
Spiritus ipse meus descendit, & edita limo
Viscera, diuinis vitrutibus informauit.
Iámque hominẽ adsumptũ summus Deus in deitate
Transtulit ac nostro docuit recalescere cultu.
Scire velim præcepta patris, quibus auribus hæc tu
Accipias, Italæ censor doctissime gentis,
An veterem tantum morem ratione relicta
Eligis, & dici id patitur sapientis acumen,
Ingeniúmque viri? potior mihi pristinus est mos,
Quàm via iustitiæ, pietas quàm prodita cælo,
Quámque fides veri, rectæ quam regula sectæ.

SYMMACHVS.

SVVS *cuique mos, suus cuique ritus est. Tam si longa ætas auctoritatem religionibus faciat, seruanda est tot seculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui feliciter sequuti sunt suos.*

PRVDENTIVS.

SI *quicquid rudibus mundi nascentis in annis*

UVA. BHSC. BV 10932

Mos habuit, sanctè colere, ac seruare necesse est,
Omne reuoluamus sua per vestigia seclum
Vsque ad principium, placeat damnare gradatim
Quicquid posterius successor repperit vsus.
Orbe nouo nulli subigebant arua coloni,
Quid sibi aratra volunt? quid cura superflua rastri?
Ilignis melius saturatur glandibus aluus.
Primi homines cuneis scindebant fissile lignum,
Decoquat in massam feruens structura secures
Rursus, & ad proprium restillet vena metallum.
Induuias cæsæ pecudes, & frigida paruas
Præbebat spelunca domos, redeamus ad antra,
Pellibus insutis hirtos sumamus amictus.
Immanes quondam populi feritate subacta
Edomiti iam triste fremant, iterúmque ferinos
In mores redeant, atque ad sua prisca recurrant.
Præcipitet Scythica iuuenis pietate victum
Votiuo de ponte patrem, sic mos fuit olim,
Cædibus infantum fument Saturnia sacra,
Flebilibúsque truces resonent vagitibus aræ.
Ipsa casas fragili texat gens Romula culmo,
Sic tradunt habitasse Remum, regalia fœno
Fulcra supersternant, aut pelle Libystidis vrsæ
Compositam chamydem villoso corpore gestent.
Talia Trinacrius ductor, vel Thuscus habebat.
Roma antiqua sibi non constat, versa per æuum,
Et mutata sacris, ornatu, legibus, armis,
Multa colit, quæ non coluit sub rege Quirino,

UVA. BHSC. BU 10932

Inſtituit quædam melius, nonnulla refugit.
Et morem variare ſuum non deſtitit, & quæ
Pridem condiderat iura, in contraria vertit.
Quid mihi tu ritus ſolitos Romane Senator
Obiectas? quum ſcita patrum, populíque frequenter
**Inſtabilis placiti ſententia flexa nouarit?*
Nunc etiam quoties ſolitis decedere prodeſt,
Præteritóſque habitus cultu damnare recenti,
Gaudemus compertum aliquid, tandémq; retectum,
Quod latuit, tardis ſemper proceſsibus aucta
Creſcit vita hominis, & longo proficit vſu.
Sic æui mortalis habet ſe mobilis ordo,
Sic variat natura vices, infantia repit,
Infirmus titubat pueri greſſúſque, animusq;
Sanguine præcalido feruet neruoſa inuenta,
Mox ſtabilita venit maturi roboris ætas.
Vltima conſiliis melior, ſed viribus ægra
Corpore ſuccumbit, mentem purgata ſenectus.
His genus humanum per diſſona tempora ducit
Curriculis æuum mutabile, ſic hebes inter
Primitias, merſúmque ſolo titubauit, & inſtar
Quadrupedis pueri lactantia viſcera traxit.
Mox tenerum docili ingenio, iamq; artibus aptum
Noſcendis, varia rerum nouitate politum eſt.
Inde tumens vitiis, calidos adoleuit in annos,
Donec decocto ſolidaret robore vires.
Tempus adeſt, vt iam ſapiat diuina ſerena
Mentis conſilio, viuacius abdita ſolers

* in tabu- is.

Quærere

UVA. BHSC. BU 10932

Quærere, & æternæ tandem inuigilare saluti.
*Quanquam si*tantum studium est, & cura vetusti* **tătus*
Moris, & à prisco placet haud discedere ritu, *mor est*
Extat in antiquis exemplum nobile libris,
Iam tunc diluuij sub tempore, vel prius, vni
Inseruisse Deo gentem, quæ prima recentes
Incoluit terras, vacuoq; habitauit in orbe.
Vnde genus ducit nostræ porrecta propago
Stirpis, & indigenæ pietatis iura reformat,
Sed quia Romanis loquimur de cultibus, ipsum
Sanguinis Hectorei populum probo tempore longo
Non multos coluisse deos, rarísque sacellis
Contentum paucas posuisse in collibus aras.
Innumeros post deinde deos virtute subactis
Vrbibus ex claris peperit sibi Roma triumphis,
Inter fumantes templorum armata ruinas
Dextera victoris simulacra hostilia cepit,
Et captiua domum venerans ceu numina vexit.
Hoc signum rapuit bimaris de strage Corinthi,
Illud ab incensis in prædam sumpsit Athenis,
Quasdam victa dedit capitis Cleopatra canini
Effigies, quasdam domitis Ammonis harenis
Syrtica cornutas facies habuere trophæa.
Roma triumphantis quoties ducis inclyta currum
Plausibus excepit, toties altaria diuum
Addidit, & spoliis sibimet noua numina fecit
Numina, quæ patriis cum mœnibus eruta, nullum
Præsidium potuere suis afferre sacellis.

UVA. BHSC. BU 10952

Cernis vt antiqui ſemper veſtigia moris
Greßibus incertis variè titubaſſe probentur,
Aſciſcendo deos maioribus incompertos?
Séque peregrina ſub relligione dicaſſe?
Nec ritus ſeruaſſe ſuos? quodcunque ſacrorum eſt
Exulat, æternúmque inimicam venit in vrbem.
Fruſtra igitur ſolitis praua obſeruatio inhæres.
Non eſt mos patrius quem diligis, improba, non eſt.
At ſolers orator ait: fataliter, vrbem
Sortitam, quo nam Genio proprium exigat æuum.
Cunctis nam populis, ſeu mœnibus inditur, inquit,
Aut fatum, aut genius, noſtrarum more animarum,
Quæ ſub diſparili ſubeunt noua corpora ſorte.

SYMMACHVS.

Varios cuſtodes vrbibus mens diuina diſtribuit.
Vt animæ naſcentibus, ita populis fatales Genij dividuntur.

PRVDENTIVS.

IAM *primùm qui ſit Genius, vel qui ſtatus illi*
Competat, ignoro, & quid poßit, & vnde oriatur
Spiritus informis, ſine corpore, formáve, an vlla
Sit ſpecies, & quid ſapiat, quæ munera curet.
Contrà, animas hominum venis vitalibus intus
Sic interfuſas intelligo, ſanguis vt ex his
Accipiat motúmque leuem tenerúmque vaporem.
Vnde percurratis vegetet præcordia membris,

UVA. BHSC. BU 10932

Frigi-

Frigida ſuccendat, riget arida, dura relaxet.
Sic hominis vitam ſibi temperat, atque gubernat
Viuida mens, quam tu fićto componere tentas
Membrorũ Genio, qui nuſquã eſt, nec fuit vnquam.
Quin & corporibus verſat mens viua regendis
Summum conſilium fida vt tutacula nudis,
Inualidíſque paret, metuenda pericula vitet,
Vtile proſpiciat, varias agitetur ad artes,
Conſultet cui ſe Domino ſubmittat, & orbis
Quem putet auctorem quẽ rerum ſumma ſequatur.
At tuus hic vrbis Genius dicas volo, quando
Cœpit adhuc paruæ primum ſe infundere Romæ.
Fluxit ab vberibus nemoroſa in valle lupinis,
Infantéſque aluit dum naſcitur ipſe gemellos:
An cùm vulturibus volitans ignota per auras
Vmbra repentinam traxit de nube figuram?
Culminibus ſummis ſedet, an penetralia ſeruat?
Inſtituit mores, & iura forenſia condit?
An caſtrorum etiam foßis interuenit? acres
Cogit ad arma viros, lituis ciet, vrget in hoſtem?
Quæ quis non videat ſapientum digna cachinno?
Fingamus tamen eſſe aliquam, quæ talia curet
Vmbram ſiue animam per quam res publica fatum
Hauſerit, & calidis animetur tota medullis:
Cur non hæc eadem de relligione colenda
Conſultat? cur non proſpectat libera cœlum?
Cur ſibi præſcriptum non commutabile fatum
Vt captiua putat, geneſis cur vincula fingit?

UVA. BHSC. BU 10982

*Cur iam nolle licet, quod tum voluisse licebat,
Erroréſque abolere ſuos, ac flectere ſenſus?
Sic ſeptingintis errauit circiter annis,
Lubricáque, & ſemper dubitans, quæ forma placeret
Imperij, & quæ regnandi foret æqua poteſtas.
Regius exortam iam tunc habuit ſtatus vrbem,
Non ſine grandeuis curarum in parte locatis,
Mox proceres de ſtirpe ſenum tractaſſe videmus
Clauum conſilij, plebeias inde cateruas
Collatas patribus miſtum ditionibus æquis,
Imperitaſſe diu, bellóque & pace regendis:
Conſule nobilitas viguit plebs fiſa Tribuno eſt.
Diſplicet hic ſubitò ſtatus, & bis quina creantur
Summorum procerum faſtigia, quos duodeni
Circunſtant faſces, ſimul & ſua queq; ſecuris.
Rurſus ſe geminis reddit ductoribus omnis
Publica res, & conſulibus dat condere faſtos.
Vltima ſanguineus turbauit ſecla triumuir.
Fluctibus his olim, Fatum, Geniúſve, animúſve
Publicus errauit, tandem deprendere rectum
Doctus iter, caput Auguſtum diademate cinxit,
Appellans patrem patriæ, populi atque Senatus
Rectorem, qui militiæ ſit ductor, & idem
Dictator, Cenſorque bonus, morúmque magiſter,
Tutor opum, vindex ſcelerum, largitor honorum.
Quod ſi tot rerum gradibus toties variatis
Conſiliis, ægrè tandem peruenit ad illud
Quod probet, ac ſancte reuerentia publica ſeruet

UVA. BHSC. BU 10932

Fœ-

Fœdere, quid dubitat diuina agnoſcere iura,
Ignorata prius ſibimet, tandemq; retecta?
Gratemur, iam non dubitat, nam ſubdita Chriſto
Seruit Roma Deo, cultus exoſa priores.
Romam, dico viros, quos mentem credimus vrbis
Non Genium, cuius fruſtra ſimulatur imago.
Quanquam cur Genium Romæ mihi fingitis vnũ?
Quum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Genios? pérque omnia membra
Vrbis, pérque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus vllus ab vmbra.
Reſtat vt & fatum ſimilis dementia cunctis
Aedibus imponat, paries vt quiſq; ſub aſtro
Fundatus, ſtructúſque ſuo, qua ſorte maneret,
Quando autem rueret, primis acceperit horis.
Adſcribunt ſaxis Lacheſis male fortia fila,
Tectorúmque trabes fuſis pendere rotatis
Credunt, atque ipſis tribuunt decreta tigillis.
Ceu diſtet, cuius ſtellæ ſit fraxinus ortus
Eruta, quæ ſummum conſcendeeret ardua culmen.
Denique nulla hominum res eſt, nulla actio mũdi,
Cui non fatalem memorent incumbere ſortem.
Quæ quia conſtituunt, dicant cur condita ſit lex
Bis ſex in tabulis, aut cur rubrica minetur,
Quæ prohibet peccare reos, quos ferrea fata
Cogunt ad facinus, & ineuitabile mergunt.
Quin & velle adigunt, prauũ inſinuantia votum,
Ne liceat miſeris vetitum committere nolle

UVA. BHSC. BU 10932

Cedite si pudor est, gladiúmque retũdite vestrum,
Aspera nil meritos pœnis plectentia iura,
Antrum carcereum dissoluite, corpora sub quo
Agminis innocui fato peccante tenetis.
Nemo nocens, si fata regunt quod viuitur, ac fit.
Imò nocens, quicunque volens, quod non licet, audet.
Alterutrum quia velle suum est, nec fata reatum
Imponunt homini, sed fit reus ipse suopte
Arbitrio, placitúmque nefas, & facta rependit
Impia suppliciis, merito non sorte peremptus.
Quisqui putat fato esse locum, sciat, omniparentem
Nosse Deum nulli vetitum fatalibus astris,
Nec mathesis præscipto aliquo pia vota repelli.
Spirat enim maiora animus, séque altius effert
Syderibus, transitque vias, & nubila fati,
Et momenta premit pedibus quæcunque putantur
Figere propositam natali tempore sortem.
Huc ades oẽ hominũ genus, huc cõcurrite & vrbes,
Lux immensa vocat, factorem noscite vestrum,
Libera secta patet, nil sunt fatalia, vel si
Sunt aliqua, oppositio vanescunt irrita Christo.

SYMMACHVS.

ACCEDIT *vtilitas, quæ maximè homini deos adserit. Nam quum ratio omnis in operto sit, vnde rectius quàm de memoria, atque documentis rerum secundarum, cognitio venit numinum?*

UVA. BHSC. BU 10932

PRVDENTIVS.

SED multi duxere Dij per prospera Romam,
Quos colit ob meritum magnis donata triumphis.
Ergo age bellatrix, quæ vis subiecerit, ede,
Europam, Lybiámque tibi, dic nomina diuûm.
Iupiter vt Cretæ domineris, Pallas vt Argis,
Cynthius vt Delphis, tribuerunt omine dextro.
Isis Nilicolas, Rhodios Cytheræa reliquit.
Venatrix Ephesum virgo, Mars dedidit Hebrum.
Destituit Thebas Bromius, concessit & ipsa
Iuno suos Phrygiis seruire nepotibus Aphros.
Et quam subiectis dominam dea gentibus esse
Si qua fata sinant, iam tum tendítque fouétque,
Iussit Romuleis addictam viuere frenis.
Perfidiáne Deûm indigenûm cecidere tot vrbes?
Destructæq; iacent ipsis prodentibus aræ?
O pietas, ô sancta fides, traduxit alumnos
Maiestas infida locos, & creditur istis
Numinibus, quæ transfugio meruere sacrari?
An voluit seruare suos, luctatáque multum
Religio, infestas tentauit pellere turmas
Romanis obnisa globis, sed fortior illam
Virtus luctifico camporum in puluere fregit.
Imò ita est, armis & viribus indiga veri
Victa superstitio est, & inanem gloria fugit.
Sed nec difficilis fuit, aut satis ardua genti
Natæ ad procinctus victoria, frangere inertes,

UVA. BHSC. BU 10932

Molliáque omnigenum colla inclinare deorum.
Nunc cùm Dictæis bellum Corybantibus asper
Samnitis, Marsúsque leui sudore gerebat.
Nunc Mastigophoris, oleoq́; & gymnadis arte
Vnctis pugilibus, miles pugnabat Etruscus.
Nec petaso insignis poterat Lacedæmone capta
Mercurius seruare suas de clade palæstras.
Appenninicolam peditem Cybeleius hostis
Congressu excipiens Asiam, defendere & Idam
Qui potuit, cogente acies in prælia Gallo?
Idalias nisi forte rosas, laurum cytharœdi
Vatis, Syluicolæ calamos, arcúmque puellæ
Dedere seruitio calcatáque sacra domare
Difficilis operis fuit, immensiq́; laboris.
Fluctibus Actiacis signum symphonia belli
Aegypto dederat, clangebat buccina contra.
Instar erant tenuis cymbæ, fragilisque faseli
Inter turritas Memphitica rostra liburnas.
Nil potuit Serapis Deus, & latrator Anubis.
Stirpis Iuleæ ductore, exercitus ardens
Præualuit, gelido quem miserat Algidus axi
vexere *Non armata Venus, non tunc clypeata Minerua*
xilium. **Venere auxilio, non diuûm degener ordo,*
Et patria extorris Romanis adfuit armis,
Victus & ipse prius, inimica nec agmina iuuit,
Si tamen antiquum norat retinere dolorem.
Sed dicis legisse deos, vbi sanctior vsus
Templorum cultu celebri sine fine maneret,

UVA. BHSC. BU 10932

Aeneadúmque vltro victricia ſigna virorum
Regis amore Numæ nullo cogente ſecutos.
Num Diomedis item tentatoria, & acris Vliſſi
Caſtra volens Pallas cæſis cuſtodibus vltro
*Legit, *vbi humenti ſudaret mœſta ſigillo?* **vt*
Aut quoties duſtor Macedum fortiſſimus altos
Templorum cineres victis cumulauit Amyclis,* **ab Indis*
Optarunt prædis Domini ſe numina capta
Miſceri, Aſſyriæq; vehi Babylonis ad arcem?
Non fero Romanum nomen, ſudátaque bella,
Et titulos tanto quæſitos ſanguine carpi.
Detrahis inuictis legionibus, & ſua Romæ
Præmia dimittunt, qui quicquid fortiter actum eſt
Adſcribit Veneri, palmam victoribus aufert.
Fruſtra igitur currus ſummo miramur in arcu
Quadriiugs, ſtantéſque duces in curribus altis
Fabricios, Curios, hinc Druſos, inde Camillos,
Sub pedibúſque ducum captiuos poplite flexo
Ad iuga depreſſos, manibus in terga retortis,
Et ſuſpenſa graui telorum fragmina trunco:
Si Brennũ, Antiochũ, Perſen, Pyrrhũ, Mythridatẽ
Flora, Matuta, Ceres, & Laurentina ſubegit.
His tamen auſpicibus ſucceſſus dextra dederunt
Omina lætificos, & felix adfuit æles.
Quid ſibi vult virtus? quid gloria? ſi Coruinum
Coruus Apollineus penna, vel gutture iuuit?
Sed tamen hic coruus cur defuit exitiali
Fortè die, infaustas tegerent quum funera Cannas?

UVA. BHSC. BU 10932

Oppeteretq; ſuper congeſta cadauera conſul?
Cur cremeræ in campis, cornice vel oſcine parrha,
Nemo Deûm monuit perituros Marte ſiniſtro
Tercentum Fabios vix ſtirpe ſuperſtite in vno?
Nullâne triſtificis Tritonia noctua carris
Aduolitans, præſto eſſe deam prænuntia craſſo
Prodidit? aut Paphiam niueæ vexere columbæ,
Cuius inauratum tremeret gens Perſica Lembum?
Sed video quæ te moueant exempla vetuſtæ
Virtutis, dicis domitum terráque, maríque
Orbem. res lætas, & proſpera quæq; retexis,
Mille triumphorum memoras ex ordine pompas,
Ductáque per mediam ſpoliorum fercula Romam.
Vis dicam quæ cauſa tuos Romane labores
In tantum extulerit? quis gloria fortibus aucta
Sic cluat, impoſitis vt mundum frenet habenis?
Diſcordes linguis populos, & diſſona cultu
Regna volens ſociare Deus, ſubiungier vni
Imperio, quicquid tractabile moribus eſſet,
Concordíque iugo retinacula mollia ferre
Conſtituit, quo corda hominum coniuncta teneret
Relligionis amor, nec enim fit copula Chriſto
Digna, niſi implicitas ſociet mens vnica gentes.
Sola Deum nouit concordia, ſola benignum
Ritè colit tranquilla patrem, placidiſſimus illam
**Seminis.* **Fœderis humani conſenſus proſperat orbi:*
Seditione fugat, ſæuis exaſperat armis,
Munere pacis alit, retinet pietate quieta.

UVA. BHSC. BU 10932

Omni-

Omnibus in terris, quas continet occidualis
Oceanus, roſeóque aurora illuminat ortu,
Miſcebat Bellona furens mortalia cuncta,
Armarátque feras in vulnera mutua dextras.
Hanc frenaturus rabiem Deus, vndique gentes
Inclinare caput docuit, ſub legibus iiſdem,
Romanóſque omnes fieri, quos Rhenus, & Iſter,
Quos Tagus auriflu⁹, quos magnus inũdat Hiberus,
Corniger Heſperidum quos interlabitur, & quos
Ganges alit, tepidíque lauant ſeptem oſtia Nili.
Ius fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit.
Viuitur omnigenis in partibus, haud ſecus ac ſi
Ciues congenitos concludat mœnibus vnis
Vrbs patria, atque omnes lare concilientur auito.
Diſtantes regione plagæ, diuiſáque ponto
Littora conueniũt nunc per vadimonia ad vnum
Et commune forum, nunc per commertia & artes
Ad cœtum celebrem, nunc per genialia fœdera
Extremi ad ius connubij, nam ſanguine miſto
Texitur alternis ex gentibus vna propago.
Hoc actum eſt tantis ſucceſſibus, atque triumphis
Romani imperij. Chriſto iam tunc venienti
Crede parata via eſt, quam dudum publica noſtræ
Pacis amicitia ſtruxit moderamine Romæ.
Nam locus eſſe Deo, quis poſſet in orbe feroci,
Pectoribúſque hominum diſcordibus, & ſua iura
Diſſimili ratione tuentibus, vt fuit olim?

UVA. BHSC. BU 10932

Sic

Sic incompositos humano in pectore sensus,
Disiunctásque animi turbato fœdere partes,
Nec liquida inuisit sapientia, nec Deus intrat.
At si mentis apex regnandi iure potitus,
Pugnacis stomachi pulsus, fibrásque rebelles
Frenet, & omne iecur ratione coërceat vna,
Fit stabilis vitæ status, & sententia certa
Haurit corde Deum, Domino & subiungitur vni.
En ades omnipotens concordibus influe terris,
Iam mundus te Christe capit, quem congrege nexu
Pax, & Roma tenẽt, capita hæc & culmina rerum
Esse iubes, nec Roma tibi sine pace probatur.
Et pax vt placeat, facit excellentia Romæ,
Quæ motus varios simul & ditione coërcet,
Et terrore premit, nec enim spoliata prioris
Robore virtutis senuit, nec secula sensit,
Nec tremulis, quum bella vocãt, capit arma lacertis,
Nec tam degeneri venerandis supplicat ore
Principibus, quàm vult prænobilis ille Senator
Orandi arte potens, & callida fingere doctus,
Mentitúmque grauis personæ inducere pondus,
Vt Tragicus cantor ligno tegit ora cauato,
Grande aliquod cuius per hiatum crimen anhelet.

SYMMACHVS.

ROMAM *nunc putemus adsistere, atq; his vobiscum agere sermonibus: Optimi principes, patres patriæ, reueremini annos meos, in quos me pius ri-*

UVA. BHSC. BU 10932

tus adduxit. Vtar ceremoniis aúitis, neque enim pœnitet: viuam more meo, quia libera ſum. Hic cultus in leges meas orbem redegit, hæc ſacra Annibalem à mœnibus, à capitolio Senonas repulerunt.

PRVDENTIVS.

Si vocem ſimulare licet, nempe aptior iſta
Vox Romæ eſt, quam nũc eius ſub nomine promam,
Quæ quia turpe putat templorum flere repulſam,
Aegidáque in dubiis pro ſe pugnaſſe periclis
Dicere, ſéque grauem ſenio inclinante fateri,
Ductores complexa ſuos, ſic læta profatur:
O clari ſaluete duces, generoſa propago
Principis inuicti, ſub quo ſenium omne renaſcens
Depoſui, vidíque meam flaueſcere rurſus
Canitiem, nam quum mortalia cuncta vetuſtas
Imminuat, mihi longa dies aliud parit æuum,
Quæ viuendo diu didici contemnere finem.
Nunc nunc iuſta meis reuerentia competit annis
Nunc meritò dicor venerabilis, & caput orbis,
Quum galeam ſub fronde oleæ, criſtáſque rubentes
Concutio, viridi velans fera cingula ſerto,
Atque armata Deum ſine crimine cædis adoro.
Crimen enim (piget heu) crimẽ perſuaſerat atrox
Iuppiter, vt ſacro iuſtorum ſanguine tincta
Aſſuetum bellis ſcelerarem funere ferrum.
Illius inſtinctu, primus Nero matre peremptа
Sanguinem apoſtolicum bibit, ac me ſtrage piorum

UVA. BHSC. BU 10932

Polluit, & proprium facinus mihi ſæuus inuſsit,
Poſt hunc & Decius iugulis bacchatus apertis
Inſanam pauit rabiem, mox & ſitis arſit
Multorum ſimilis per vulnera triſtia flagrans
Extrahere inſignes animas, ac ludere pœnis,
Vndantéſque meum in gremium diffundere mortes,
Et ſub iure fori non noxia colla ſecure.

Hac me labe ream modo tẽpora veſtra piarunt.
Viuo piè vobis auctoribus, impia pridem
Arte Iouis (fateor) quid enim non ille cruentum
Tradidit? aut quid mite ſibi placidúmve poposcit?
Qui dum præmetuit cultus inoleſcere Chriſti,
Sæuiit, ac miſerum fœdauit ſanguine ſeclum.

Et ſunt, qui vobis bella exprobrare ſiniſtra
Non dubitẽt, poſtquam templorum ſpreuimus aras,
Affirméntque Libyn collinæ à cardine portæ
Annibalem Iouis imperio, Martíſque repulſum.
Victores Senonas Capitoli ex arce fugatos,
Quum ſuper excelſo pugnarent numina ſaxo.

Qui mihi præteritam cladem, veteréſque dolores
Inculcant iterum, videant me tempore veſtro
Iam nil tale pati, nullus mea barbarus hoſtis
Cuſpide clauſtra quatit, non armis, veſte, comíſque
Ignotus capta paſsim vagus errat in vrbe
Tranſalpina meam rapiens in vincula pubem.

Tentauit Geticus nuper delere tyrannus
Italiam, patrio veniens iuratus ab Iſtro
His arces æquare ſolo, tecta aurea flammis

UVA. BHSC. BU_10932

Solus

Soluere, maſtrucis proceres veſtire togatos.
Iamq; ruens Venetos turmis protriuerat agros,
Et Ligurum vaſtarat opes, & amœna profundi
Rura Padi, Thuſcumq; ſolũ victo amne premebat.
Depulit hos nimbos equitum non peruigil anſer
Proditor occulti tenebroſa nocte pericli,
Sed vis cruda virûm, præfractaq; congredientum
Pectora, nec trepidans animus ſuccumbere letho.
Pro patria, & pulchrã per vulnera quærere laudẽ.
Nunquid & ille dies Ioue contulit auſpice tantum
Virtutis pretium? dux agminis, imperiique
Chriſtipotens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
Atque parẽs Stilico, Deus vnus Chriſtus vtrique, *Stilico adiunctus comes Honorio.*
Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
Inſcripta, cecinere tubæ, prima haſta draconis
Præcurrit, quæ Chriſti apicem ſublimior effert.
Illic terdenis gens exitiabilis annis
Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
Corpora famoſis olim ditata rapinis
In cumulos congeſta iacent, mirabere ſeris
Poſteritas ſeclis inhumata cadauera latè,
Quæ Pollentinos texerunt oſſibus agros.
Si potui manibus Gallorum exciſa leuare
Decinerum ſqualore caput, & rediunte camillo
Signa renidenti fumans ſi fronte recepi,
Si potui miſeras ſertis redimere ruinas,
Et made pendentes lauro præcingere turres,
Quo te ſuſcipiam gremio fortiſſime princeps?

UVA. BHSC. BU 10912

Quos ſpargam flores? quibus inſertabo coronis
Atria? quæ feſtis ſuſpendam pallia portis,
Immunis tanti belli, ac te ſtante ſub armis
Libera, & auretenus Geticos experta tumultus?
Scande triumphalem currum, ſpoliiſque receptis
Huc Chriſto comitante veni, data vincula demam
Captiuis gregibus, manicas deponite longo
Tritas ſeruitio matrum iuuenúmque cateruæ.
Dediſcat ſeruire ſenex laris exul auiti,
Diſcat & ad patrium limen genitrice reuerſa
Ingenuum ſe noſſe puer, timor omnis abeſto.
Vicimus, exultare libet, quid tale repulſo
Pœnorum quondam duce contigit? ille petitæ
Poſtquam pertulerat tremefacta repagula portæ,
Baianis reſolutus aquis duriſſima luxu
Robora deſtituit, ferrúmque libidine fregit.
At noſter Stilico congreſſum commins ipſa
Ex acie ferrata virum dare terga coëgit.
Hic Chriſtus nobis Deus adfuit, & mera virtus,
Illic laſciuum Campania fertilis hoſtem
Deliciæ vicere tuæ, non Iuppiter acrem
Protexit Fabium. ſed vicit amœna Tarentus,
Quæ dedit illecebris domitum calcare tyrannum.
His ego pro meritis quæ præmia digna rependam
Non habeo, membra ſtatuis effingere vile eſt.
Virtutem nil vile decet, nam vile, quod ætas
Eruit, æra cadunt, aut fuluum defluit aurum.
Aut candor perit argenti, ſi deſuit vſus;

UVA BHSC. BU 10932

Et fuſcata ſitu corrumpit vena colorem.
Viua tibi princeps debetur gloria, viuum
Virtutis pretium, decus immortale ſequuto,
Regnator mundi Chriſto ſociabere in æuum,
Quo ductore meum trahis ad cœleſtia regnum.
Nil te ſermoueat magni vox Rhetoris oro,
Qui ſub legati ſpecie ſacra mortua plorans,
Ingenij telis, & fandi viribus audet
Heu noſtram tentare fidem, nec te videt, ac me
Deuotos Auguſte Deo, cui ſordida templa
Clauſimus, & madidas ſanie deiecimus aras.
Vnus noſtra regat, ſeruétque palatia Chriſtus.
Ne quis Romuleas dæmon iam nouerit arces,
Sed ſoli pacis Domino mea ſeruiat aula.
Sic affata pios Roma exorauit alumnos,
Spernere Legatum non admittenda petentem,
Legatum Iouis ex adytis ab Aruſpice miſſum,
At non à patria patriæ, nam gloria Chriſtus.
Perſiſtit tamen affirmans iter eſſe viandi
Multifidum, variúmque, Deus cùm quæritur vnus.
Hinc alios, aſt inde alios properare ſeorſim.
Quemq; per anfractus proprios, ſed compita eodem
Fine coarctari, ſimul & concurrere in vnum,
Quin etiam cœlum, atque ſolum, venios, mare, nubes
Omnibus in commune dari, vel qui colimus te
Chriſte, vel exta litant ſculptis qui tabida ſaxis.

SYMMACHVS.

AEQVVM eſt, quicquid omnes colunt, vnum

UVA. BHSC. BU 109

putari. Eadem ſpectamus aſtra, commune cœlum eſt, idem nos mundus inuoluit. Quid intereſt qua quiſq; prudentia verũ inquirat? vno itinere non poteſt peruẽiri ad tam grande ſecretum.

PRVDENTIVS.

NON nego communem cunctis viuentibus vſum
Aëris, aſtrorum, pelagi, telluris, & imbris.
Imò etiam iniuſtus pariter, iuſtúſque ſub vno
Axe habitant, vnas capit impius, & pius auras.
Caſtus, & inceſtus, meretrix, & nupta, nec alter
Ore ſacerdotis, quàm Mirmillonis anhelat
Spiritus, aërio vitam qui temperat hauſtu.
Nubes verna pluit Zephyro impellente, ſed æque
Furis, & innocui fœcundat rura coloni.
Gurgitis æſtiui ſic pura fluenta viator,
Vt latro ſeſſus adit, ſic piratis mare ſeruit
Vt mercatori, nec fluctus ſecius hoſti
Obſequitur, quàm cùm dominæ fert trãſtra carinæ,
Ergo capax vtriuſque rei natura creandis
Se præbet populis, nec habet diſcernere diſpar
Viuentum meritum, quos tantum paſcere iuſſa eſt.
Seruit enim mundus, non iudicat, hoc ſibi ſummus
Naturæ Dominus præſcripta in tempora ſeruat.
Nunc adſunt homini data munera legibus iſdem
Quæis conceſſa ſemel, fons liquitur, amnis inundat,
Velivolum ratibus mare finditur, influit imber
Aura volat tenuis, vegetatur mobilis aër,

Et rig

UVA. BHSC. BU 10932

Et res naturæ fit publica promptaq́; cunctis,
Dum ſeruant elementa ſuum famulantia curſum.
Sic probus, atque reus capitalis crininis iſdem
Syderibus, faciliſque poli bonitate fruuntur.
Viuere commune eſt, ſed non commune mereri.
Deniq; Romanus, Daca, Sarmata, Vãdalus, Hunus,
Getulus, Garamas, Alemãnus, Saxo, Galaulas,
Vna omnes gradiũtur humo, cœlũ omnibus vnũ eſt,
Vnus & Oceanus, noſtrum qui continet orbem.
Addo aliud, noſtros potant animalia fontes.
Ipſo rore mihi ſeges eſt, quo gramen onagris.
Sordida ſus noſtro amne natat, noſtra intrat & ipſos
Aura canes, animatq́; leui fera corpora flatu.
Sed tantum diſtant Romana, & barbara, quãtum
Quadrupes abiuncta eſt bipedi vel muta loquenti,
Quantum etiam qui ritè Dei præcepta ſequuntur,
Cultibus à ſtolidis, & eorum erroribus abſunt.
Non facit ergo pares in relligione tenenda
Aëris & cœli communio, corpora tantum
Gignit, alit, reparat, recidiuáque ſemina ſeruat.
Nec refert cuius generis, cuiúſve figuræ,
Aut cuius meriti, modo ſint vt corpora terræ
Edita terrenis quibus eſt vigor ex elementis.
Artificis quia patris opus diſcrimine nullo
Influit in medium, nec auaro munere currit,
Ante datum, quam primus homo ſordeſceret Adã.
Nec vitio vtendum reſtrictum deficit, aut ſe
Subtrahit indignis, nec fœdis, & turpia vitat.

UVA. BHSC. BU 10932

Haud aliter Solis radius, quum luminat omnes
Diffuso splendore locos, ferit aurea tecta,
Sed ferit & nigro sordentia culmina fumo.
Intrat marmoribus capitolia clara, sed intrat
Carceris & rimas, & tetra foramina clausi
Stercoris, & spurcam redolenti fornice cellam.
Sed non illud erunt obscura ergastula, quod sunt
Regia gemmato laquearia fulua metallo,
Nempe magis non illud erunt, qui numen in vrnis
Quærunt, ac tumulis, & laruas sanguine placant,
Quod sunt qui summum cœli Dominum venerãtur,
Iustitiamq; litant, & templum pectoris ornant.
Secretum sed grande nequit rationis oporta
Quæri aliter, quàm si sparsis via multiplicetur
Transitibus, & centenos terat orbita calles
Quæsitura Deum variata indage latentem.
Longè aliud verũ est, nam multa ambago viarum
Anfractus dubios habet, & perplexius errat,
Sola errore caret simplex via, nescia flecti
In diuerticulum, biuiis nec pluribus anceps.
Non tamen inficior, duplex occurrere nobis
Semper iter, geminis mortalia partibus ire,
Quum dubitant, quo nam ferat ignorãtia gressum.
Altera multifida est, at simplex altera, & vna.
Vna Deum sequitur, diuos colit altera plures,
Et tot sunt eius diuortia, quot templorum
Signa, quot aëreis volitant phantasmata monstris.
Authus Thyrsigeri rapit ad Dionysia Bacchi.

UVA. BHSC. BU 10932

Illicit

Illicit aut alios ad Saturnalia festa,
Aut docet occultus quæ sacra Diespiter infans
Inter tinnitus solui sibi poscat ahænos.
Iamq; lupercales ferulæ, nudíque petuntur
Discursus iuuenum, Megalesius hinc spado diris
Incensus furiis cæca ad responsa vocatur.
Sunt qui quadriuiis breuioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur holuscula in hortis,
Porrum & cepe deos imponere nubibus ausi,
Alliaq;, & Serapim cœli super astra locare.
Isis enim, & Serapis, & grandi Simia cauda
Et crocodilus, idem quod Iuno, Lauerna, Priapus.
Hos tu Nile deos colis, & tu Tybris adoras.
Vna superstitio est, quamuis non concolor error.
Hinc alia exoritur tenebrosis tecta frutetis
Semita, quam pecudes, & muta animalia carpunt.
Quæq; latens syluis operitur nescia cæli
Mens hominum, sæuo viuens captiua tyranno,
Hæc putat esse Deum nullum, nanq; omnia verti
Casibus, & nullo sub præside secla rotari.
Hoc iter haudquaquam magno discrimine distat
Hisce viis, quas vos teritis, qui numina multa,
Et portenta Deûm summiûm numerosa putatis.
Simplicis ergo viæ dux est Deus, ille per vnam
Ire iubet mortale genus, quam dirigit ipse
Sublimem dextro celsa ad fastigia cliuo.
Prima viæ facies, inculta, subhorrida, tristis,
Difficilis, sed fine sui pulcherrima, & amplis

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA 1632

Prædita diuitiis, & abundans luce perenni,
Et quæ præteritos possit pensare labores.
Multiplicis dux dæmon at est qui parte sinistra
Centifidum confundit iter, trahit inde sophistas
Barbatos, trahit hinc opibus, vel honore potentes,
Illicit & volucrum tinguis, & aruspice fallit,
Instigat bacchantis anus ambage Sibyllæ,
Inuoluit mathesi, magicas impellit in artes,
Omine sollicitat, capit augure, territat extis.
Cernis vt vna via est multis anfractibus errans
Talem passa ducem, qui non sinat ire salutis
Ad Dominum, sed mortis iter per deuia monstret?
Deuia picta bonis breuibus, sed fine sub ipso
Tristis, & in subitam præceps immersa charybdim.
Ite procul gentes, consortia nulla viarum
Sunt vobis cum plebe Dei, discedite longè,
Et vestrum penetrate Chaos, quo vos vocat ille
Prævius infernæ perplexa per auia noctis.
At nobis vitæ Dominum quærentibus vnum
Lux iter est, & clara dies, & gratia simplex.
Spem sequimur, gradimurq; fide, fruimurq; futuris,
Ad quæ non veniunt præsentis gaudia vitæ,
Nec currunt pariter capta, & capienda voluptas.

SYMMACHVS.

QVANTO commodo ærarij vestri Vestalium virginum prærogatiua detracta est? Sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt.

UVA. BESC. BU10932

runt. Honor solus est, in illo velut stipendio castitatis. Vt vitæ earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur sacerdotij vacare muneribus. Nemo me putet tueri solam causam religionum. Ex eiusmodi facinoribus orta sunt cuncta humani generis incommoda. Honorauerat lex parentum Vestales virgines, ac ministros Deorum victu modico, iustisq; priuilegiis. stetit muneris huius integritas vsque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium baiulorum, sacræ castitatis alimenta verterunt. Sequuta est hoc factum fames publica, & spem prouinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum, nihil imputemus astris, nec rubigo segetibus obfuit, nec auena fruges necauit, sacrilegio annus exaruit: necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Quid tale proaui pertulerunt, quum religionũ ministros honor publicus pasceret?

PRVDENTIVS.

VLTIMA legati defleta dolore querela est,
Palladiis quod farra focis, vel quod stipis ipsis
Virginibus, castísque thoris alimenta negentur,
Vestales solitis fraudentur sumptibus ignes:
Hinc ait & steriles frugescere parcius agros,
Et tristem sæuire famem, totumq; per orbem
Mortales pellere inopes, ac panis egenos.
Quæ tanta extiterit præsenti tempore, támque

VVA. BHSC. BUD09

Inuidiosa fames quam Triptolemi, Cereríque
Mouerit ira penu pro virginis vlciscendo,
Non memini, nec tale aliquid vel fama susurrat.
Audio per Pharios Nilum discurrere campos
More suo, viridísque sata stagnare Canopi,
Haud venit à sicco qui flumine nuntius affert
Ieiunam squalere siti sub puluere Memphim,
Nec Pelusiacæ limum sudare paludis.
Num fons arcano naturæ tectus operto
Aruit? & tenuem vix stillat vena liquorem?
Num refugus nostras odit perstringere ripas
Amnis, & exustos cursum deflectit ad Indos?
Num tractu in medio bibulus vorat alueus vndam
Fluminis, & subitò stagna absorbentur hiatu?
Ne sulcos operire vadis, néve arida possint
Aegypti per plana trahi: glebásque rigentes
Infusis ad pingue lutum mollire fluentis,
Vnde seges latè crinitis fluctuet agris,
Densius & grauidis se vestiat æquor aristis.
Respice num Lybici desistat ruris arator
Frumentis onerare rates, & ad ostia Tybri,
Mittere triticeos in pastum plebis aceruos?
Núnne Leontini sulcator soluere campi
Cesset frugiferas Lilybæo ex littore cymbas?
Nec det vela fretis, Romana nec horrea rumpat
Sardorum congesta vehens granaria classis.
Ergo pyris mensas syluestribus implet arator
Pœnus, & auulsas Siculus depascitur herbas.

Iamq;

UVA. BHSC. BU 10932

Tamq; Remi populo quernas Sardinia glandes
Suppeditat, iam corna cibus lapidosa Quiritum.
Quis venit esuriens magni ad spectacula circi?
Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira
Sustinet? aut quæ Ianiculo mola nota quiescit?
Quantos quæq; ferat fructus prouincia, quamq;
Vbere fœcundo large fluat orbis opimus,
Inditio est annona, tuæ quæ publica plebi
Roma datur, tantæq; manus longa otia pascit.
Sit fortasse aliquis paulò infœcundior annus,
Nil mirum, nec in orbe nouum didicere priores,
Perpessi plerunq; famem, si tabidus aër
Siccauit tenues ardenti sydere nubes,
Nec vernas infudit aquas creberrimus imber
Fruge noua, & viridis si messis adulta, priusquam
Conceptas tenero solidaret lacte medullas,
Afflatum calido succum contraxit ab Euro,
Ieiunósque tulit calamos, atque irrita vota
Agricolæ sterilis stipularum sylua fefellit.
His (ni fallor) ager vitiis corruptus & ante
Subiacuit quàm Palladium, quàm Vesta, Penates
Sub lare Pergameo seruarent igne reposto,
Quàm Priami genitor conductis mœnia fabris
Extrueret, quàm virgo suas fundaret Athenas
Pallas: in his quoniam vestalis origo fauillæ
Vrbibus vt memorant primo de fomite sumpta est,
Sacrarúntque focos, aut Phryx, aut Graius alũnos.
Antiquis elementa labant erroribus, ac de

UVA. BHSC. BU 10932

Legitimo discussa modo plerunque feruntur
In casus alios, quàm lex habet, aut iter anni.
Nunc consumit edax segetem rubigo maligni
Aëris ex vitio, nunc culpam vere tepenti
Post zephyros gelidi glacies Aquilonis inurit,
Ambustúmque caput culmi fuligine tinguit:
Seminis aut teneri turgens dum germinat herba,
Continuis, nimiisque perit constricta pruinis,
Nec potis est tenuem telluri affigere fibram.
Mox erecta solo glacie sidente superfit,
Nudáque subducto radix auellitur aruo.
Ancipites tribuli subeunt, & carduus horrens:
Hos fert sicca sitis, hunc ebrius educat humor.
Temperies effusa minus vel plus agit istos
Terrarum morbos, & mundum vulnerat ægrum.
Non aliter nostri corruptus corporis vsus
In vitium plerunque cadit, nec in ordine recto
Perstat, & excessu moderaminis afficit artus:
Vnus enim status est, mundíque, & corporis huius,
Quod gerimus, natura eadem sustentat vtrunque.
Edita de nihilo crescunt, nihilúmque futura,
Aut titubant morbis, aut tempore victa senescunt.
Nec natura caret vitio, cui terminus instat.
Semper crede polus variis prouentibus annos
Texuit, hos multa ditauit fruge fluentes,
Quosdam infelices astris damnauit iniquis,
Spe cassa, & sterili curam frustratus agrestem.
Sed si Vestalis vlciscitur ista puellas

Pestis,

UVA. BHSC. BU 10932

Pestis, ab infido quæ gignitur improba mundo,
Cur non christicolum tantum populatur agellos,
Per quos virginibus vestris stata dona negantur?
Vtimur & ruris reditu, & ratione colendi.
Exercere manum non pœnitet, & lapis illic
Si stetit antiquus, quem cingere sueuerat error
Fasciolis, vel gallinæ pulmone rogare:
Frangitur, & nullis violatur Terminus extis,
Et quæ fumificas arbor vittata lucernas
Seruabat, cadit vltrici succisa bipenni.
Nec tamen idcirco minor est, aut fructus agelli,
Aut tempestatis clementia læta serenæ,
Temperat, aut pluuius, qui culta noualia, ventus.
Sed nec magno opus est frugi viuentibus, & quum
Maxima proueniunt, non amplo in gaudia sensu
Soluimur, inq; lucrum studio exultamus auaro.
Nam quibus æternum spes informatur in æuum,
Omne bonum tenue est, quod præsens ingerit ætas.
O felix nimium sapiens, & rusticus idem,
Qui terras, animúmque colens, impendit vtrisque
Curam peruigilem, quales quos imbuit auctor
Christus, & adsumptis dedit hæc præcepta colonis:
Semina quum sulcis committitis, arua cauete
Dura lapillorum macie, ne decidat illic
Quod seritur primo quoniam præfertile germen
Luxuriat, succo mox deficiente sub æstu
Syderis igniferi sitiens torretur, & aret.
Néve in spinosos incurrant semina vepres:

UVA. BHSC. BU 10932

Aspera nam segetem surgentem vincula texunt,
Ac fragiles calamos nodis rubus arctat acutis,
Et ne iacta viæ spargantur in aggere grana,
Hæc auibus, quia nuda patent, passimque vorātur,
Immundisque iacent fœda ad ludibria cornis.
His Deus agricolam confirmat legibus, ille
Ius cœleste patris non summa intelligit aure.
Sed simul & cordis segetem disponit, & agri,
Ne minus interno niteant præcordia cultu,
Quàm cùm læta suas ostentant iugera messes.
Extirpamus enim sentos de pectore vepres.
Ne vitiosa necent germen vitale flagella,
Ne frugem, segetémque animæ, spinosa malorum
Impediat sentis scelerum peccamine crebro,
Glarea ne tenuis ieiunis siccet harenis
Marcentem sub corde fidem, ne pectoris æstus
Flagret, & effœtis vrat charismata venis.
Denique ne iecoris detrita in parte relinquat
Vilis cura Deum, ne spem qua vescimur intus
Deserat, obscœnisque auibus permittat edendum,
Et proiecta fides hosti sit præda volucri.
Talis nostrorum solertia centuplicatos
Agrorum rediget fructus quibus acrius instat,
Nec metuit ne congestum populetur acervum
Gurgulio, vel nigra cauis formica recondat.
Sunt & virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, & sancto tectus velamine vultus,
Et privatus honos, & nota & publica forma,

CB 1093

Et raræ, tenuésque epulæ, & mens sobria semper,
Léxque pudicitiæ vitæ cum fine peracta.
Hinc decies semi rediguntur in horrea fructus,
Horrea nocturno non vnquam obnoxia furi,
Nam cœlum fur nullus adit, cœlestia nunquam
Fraude resignantur, fraus terris voluitur imis.
Quæ nunc Vestalis sit virginitatis honestas,
Discutiam, qua lege regat decus omne pudoris.
Ac primum paruæ teneris capiuntur in annis,
Ante voluntatis propriæ quàm libera secta
Laude pudicitiæ feruens, & amore Deorum,
Iusta maritandi condemnet vincula sexus.
Captiuus pudor ingratis addicitur aris,
Nec contempta perit miseris, sed adempta voluptas
Corporis intacti, non mens intacta tenetur.
Nec requies datur vlla toris, quibus innuba cæcum
Vulnus, & amissas suspirat fœmina tedas.
Tum, quia non totum spes salua interficit ignem,
Nam resides quandoque faces adolere licebit,
Festáque decrepitis obtendere flammea canis,
Tempore præscripto membra intemerata requirens,
Tandem virgineam fastidit Vesta senectam.
Dum thalamis habilis tumuit vigor, irrita nullus
Fœcundauit amor materno viscera partu.
Nubit anus veterana sacro perfuncta labore,
Desertísque focis quibus est famulata iuuentus
Transfert emeritas ad fulcra ingalia rugas,
Discit & in gelido nona nupta tepescere lecto.

UVA. BHSC. BU 10932

Interca dum torta vagos ligat infula crines,
Fataléſque adolet prunas innupta ſacerdos,
Fertur per medias vt publica pompa plateas,
Pilento reſidens molliſéque ore retecto
*Imputat attonitæ virgo*ſpectabilis vrbi,*
Inde ad conſeſſum caueæ, pudor almus, & expers
Sanguinis it pietas, hominum viſura cruentos
Congreſſus, mortéſque, & vulnera vendita paſtu
Spectatura ſacris oculis, ſedet illa verendis
Vittarum inſignis phaleris, fruitúrque laniſtis.
O tenerum, mitémque animũ. conſurgit ad ictus,
Et quoties victor ferrum iugulo inſerit, illa
Delicias ait eſſe ſuas, pectúſque iacentis
Virgo modeſta iubet conuerſo pollice rumpi:
Ne lateat pars vlla animæ vitalibus imis,
Altius impreſſo dum palpitat enſe ſequutor.
Hoc illud meritum eſt, quod continuare feruntur
Excubias, Latij pro maieſtate palatij,
Quòd redimunt vitam populi, procerúmq; ſalutem,
Perfundunt quia colla comis bene, vel bene cingunt
Tempora teniolis, & licia crinibus addunt.
Et quia ſubter humum luſtrales teſtibus vmbris
In flammã iugulant pecudes, & murmura miſcent
An quoniam podij meliore in parte ſedentes,
Spectant æratam faciem, quam crebra tridente
Impacto quatiant haſtilia, ſaucius & quam
Vulneribus patulis partem perfundat harena?
Quum fugit, & quanto veſtigia ſanguine ſignet.

Quod

UVA. BHSC. BU 10932

Quod genus vt ſceleris iam neſciat aurea Roma,
Te precor Auſonij dux Auguſtiſſime regni,
Et tam triſte ſacrum, iubeas, vt cætera, tolli.
Perſpice, nónne vacat meriti locus iſte paterni?
Quem tibi ſupplendum Deus, & genitoris amica
Seruauit pietas, ſolus ne præmia tantæ
Virtutis caperet, partem tibi nate reſeruo,
Dixit, & integrum decus, intactúmque reliquit.
Arripe dilatam tua dux in tempora famam,
Quódque patris ſupereſt, ſucceſſor laudis habeto.
Ille vrbem vetuit taurorum ſanguine tingui,
Tu mortes miſerorum hominum prohibeto litari.
Nullus in vrbe cadat, cuius ſit pœna voluptas,
Nec ſua virginitas oblectet cædibus ora,
Iam ſolis contenta feris infamis harena.
Nulla cruentatis homicidia ludat in armis,
Sit deuota Deo, ſit tanto principe digna,
Et virtute potens, & criminis inſcia Roma,
Quémque ducem belli ſequitur, pietate ſequatur.

POSTERIORIS LIBRI
aduerſus Symmachum,
FINIS.

UVA. BHSC. BU 10932

AVRELII PRV. DENTII CL. V. C. IN ἐγχειρίδιον Historiarum Noui & Veteris instrumenti,

PRAEFATIO.

Primum est Trochaicum, Dimetrum, Catalecticum. Alterum Iambicum, Trimetrum, Catalecticum.

– ∪ – ∪ – ∪ –

∪ – ∪ – ∪ – ∪ – –

IMMOLAT *Deo patri*
Pius, fidelis, innocens, pudicus,
Dona conscientiæ,
Quibus beata mens abundat intus.
Alter & pecuniam
Recidit, vnde victitent egeni;
Nos citos Iambicos
Sacramus, & rotatiles Trochæos
San Ctitatis indigi,
Nec a d leuamen pauperum potentes:
Approbat tamen Deus
Pedestre carmen, & benignus audit.
Multa diuitis domo
Sita est per omnes angulos supellex.
Fulget aureus scyphus,

UVA. BHSC. BU 10932

Nec ære desit expolita peluis,
Est & olla fictilis,
Grauísque & ampla argentea est paropsis,
Sunt eburna quæpiam,
Nonnulla quercu sunt cauata, & vlmo,
Omne vas sit vtile,
Quod est ad vsum congruens herilem.
Instruunt enim domum,
Vt empta magno sic parata ligno.
Me paterno in atrio,
Vt obsoletum vasculis caducis
Christus aptat vsibus,
Sinítque parte in anguli manere
Munus ecce fictile
Inimus intra regiam salutis:
Attamen vel infimam
Deo obsequelam præstitisse prodest.
Quicquid illud accidit,
Iuuabit ore personasse Christum.

ΕΥΧΕΙΡΙΔΙΟΝ
NOVI ET VETERIS *instrumenti.*

*

Carmen sunt Dactilia Heroica.

ADAM ET EVA.

Eua columba fuit tum candida, nigra deinde

UVA. BHSC. BU 1092

Facta per anguinum malesuada fraude venenum.
Tinxit & innocuum macutis sordentibus Adam.
Dat nudis siculna Draco mox tegmina victor.

ABEL ET CAIN.

Fratrum sacra Deus nutu distante duorum
Aestimat, accipiens viua, & terrena refutans.
Rusticus inuidia Pastorem sternit, in Abel
Forma aĩæ exprimitur, caro nostra in munere Caiu.

ARCA NOE.

Nuntia diluuij iam decrescentis ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis oliuæ:
Coruus enim ingluuie per fœda cadauera captus
Hæserat, illa datæ reuehit noua gaudia pacis.

AD ILICEM MAMBRAE.

Hospitiũ hoc Domini est, ilex vbi frõdea Mãbræ
Armentale senis protexit culmen, in ista
Risit Sarracasa, sobolis sibi gaudia sera
Ferri, & decrepitum sic credere posse maritum.

MONIMENTVM SARRAE.

Abraham mercatur agrum, quo conderet ossa
Coniugis, in terris quoniam peregrina moratur
Iustitia, atque fides, hoc illud millibus emptum
Spelæum, sanctæ requies vbi partæ fauillæ est.

SOMNIVM PHARAONIS.

Bis septem spicæ, vaccæ totidem Pharaoni
Per somnum visæ portendunt, dispare formæ
Vberis atque famis duo per septennia tempus
Instare, hor solvit Patriarcha interprete Christo

CVA. BHSC. BU 10932

IOSEPHA FRATRIB. AGNITVS.

Venditus insidijs fratrum puer, ipse vicissim
*Cratera in*fratris sacco clàm præcipit abdi,* *farris
Vtq; reos furti Ioseph tenet, actio fallax
*Proditur, agnoscunt fratrem, * vaníque pudescunt.* *veniáq;

IGNIS IN RVBO.

Sentibus inuolitans Deus igneus ore coruſco
Compellat iuuenem pecoris tunc fortè magistrum,
Ille capit iussus virgam, fit vipera virga,
Soluit vincla pedum, properat Pharaonis ad arcem.

ITER PER MARE.

Tutus agit vir iustus iter, vel per Mare magnum
Ecce Dei famulis scissim freta rubra debiscunt,
Quum peccatores rabidos eadem freta mergant.
Obruitur Pharao, patuit via libera Mosi.

MOYSES ACCIPIT LEGEM.

Fumat montis apex diuinis ignibus, in quo
Scripta deum verbis saxorum pagina Mosi
Traditur, ille suos suscepta lege reuisit,
Forma sed his vituli solus Deus & Deus aurum.

MANNA ET COTVRNICES.

Panibus angelicis albent tentoria patrum,
Certa fides facti, tenet vrceus aureus exin
Seruatum Manna, ingratis venit altera nubes,
Atque auidos carnis saturat congesta Coturnix.

SERPENS AENEVS IN EREMO

Feruebat via sicca Eremi serpentibus atris
Iámque venenati per liuida vulnera morsus

UVA. BHSC. BIBLIOTECA

Carpebant populum, sed prudens ære politum
Dux cruce suspendit, qui virus temperet, Anguem.

LACVS MYRRHAE IN EREMO.

Aspera gustatu populo sitiente lucuna
Tristificos latices stagnanti felle tenebat,
Moses sanctus ait, lignum date, gurgitem in istum
Conijcite, in dulcem vertentur amara saporem.

DE XII. FONTIBVS, ET LXX. Palmis.

Deuenere viri Mosi duce, sex vbi fontes,
Et sex fortè alij vitreo de rore rigabant
Septenas decies palmas, qui mysticus helim
Lucus apostolicum numerum libris quoque pinxit.

XII. LAPIDES IN IORDANE.

In fontem refluo Iordanis gurgite fertur,
Dum calcanda Dei populis vada sicca relinquit,
Testes Bisseni lapides, quos flumine in ipso
Constituere patres, in formam discipulorum.

DOMVS RAAB.

Procubuit Hiericho sola stant atria Raab.
Hospita sanctorum meretrix (tanta est fidei vis)
Incolumi secura domo spectabile coccum
Ignibus aduersis in signum sanguinis offert.

SAMSON.

Inuictum virtute comæ Leo frangere Samson
Aggreditur, necat ille feram, sed ab ore Leonis
Mella fluunt, maxilla asini fontem vomit vltro,
Stultitia exundat lymphis, dulcedine virtus.

UVA. BHSC. BV 10932

DE EODEM.

Tercentum vulpes Samſon capit, ignibus armat,
Pone faces caudis circumligat, in ſata mittit
Allophylùm, ſegetéſque cremat ſic callida vulpes
Nunc hereſis flammas vitiorum ſpargit in agros.

DAVID, FILIVS IESSE.

Dauid paruus erat, fratrũ vltimus, & modo Ieſſe
Cura gregis, citharam formans ad ouile paternum,
Inde ad delitias regis: mox horrida bella
Conſerit, & funda ſternit ſtridente Goliam.

REGNVM DAVID.

Regia mirifici fulgent inſignia Dauid
Sceptrũ, oleum, cornu, diadema, & purpura, & ara.
Omnia conueniunt Chriſto, chlamys, atque corona,
Virga poteſtatis, cornu crucis, altar, oliuum.

AEDIFICATIO TEMPLI.

Aedificat templum ſapientia per Solomonis
Obſequium, Regina Auſtri graue congerit aurum.
Tẽpus adeſt quo tẽplũ hominis ſub pectore Chriſtus
Aedificet, quod graia colant, quod barbara ditent.

FILII PROPHETARVM.

Fortè Prophetarum nati dum ligna recidunt
Fluminis in ripa, cecidit diſcuſſa bipennis:
Gurgite ſubmerſum eſt ferrum, ſed mox leue lignum
Iniectum ſtagnis ferrum reuocabile fecit.

CAPTIVITAS HEBRAEORVM.

Gens Hebræorum peccamine capta frequenti,
Fleuerat exilium diræ Babylonis ad amnes:

UVA. BHSC. BC-10932

Tum patrios cantare modos præcepta recusat,
Organáque in ramis salicis suspendit amaræ.

DE EZECHIA REGE.

Hic bonus Ezechias meruit ter quinq; per annos
Præscriptum proferre diem, legémque obeundi
Tẽdere, quod gradibus, quos vespera texerat vmbra
Lumine perfusis docuit sol versus in ortum.

NOVVM TESTAMENTVM.

Gabriel ad Mariam.

Adiutante Deo descendit nuntius alto
Gabriël patris ex solio, sedémque repentè
Intrat virgineam, sanctus te spiritus, inquit,
Implebit Maria, Christum paries sacra virgo.

CHRISTVS NASCITVR.

Bethleem caput est orbis, quæ protulit Iesum
Orbis principium, caput ipsum principiorum.
Vrbs hominem Christũ genuit, qui Christus agebat
Ante Deus, quám sol fieret, quàm lucifer esset.

MAGORVM MVNERA.

Hic pretiosa Magi sub Virginis vbere Christo
Dona ferunt puero, myrrhæq; & thuris, & auri.
Miratur genitrix tot casti ventris honores,
Séque Deum genuisse, hominem, regémq; supremũ.

PASTORES AB ANGELIS admoniti.

Peruigiles pastorum oculos vis luminis implet
Angelici natum celebrans ex virgine Christum,
Inueniunt tectum pannis, præsepe iacenti

Cuna

UVA. BHSC. BU 10932

Cuna erat, exultant alacres, & numen adorant.

OCCIDVNTVR INFANTES in Bethleem.

Impius innumeris infantum cædibus hostis
Perfurit Herodes, dum Christum quærit in illis.
Fumant lacteolo paruorum sanguine cunæ,
Vulneribúsque madent calidis pia pectora matrum.

CHRITVS IN IORDANE baptizatur.

Perfundit fluuio pastus Baptista locustis,
Syluarúmque fauis, & amictus veste cameli,
Tinxerat & Christum, sed spiritus æthere missus
Testatur tinctum, qui tinctis crimina donet.

PINNA TEMPLI.

Excidio templi veteris stat prima superstes,
Structus enim lapide ex illo manet angulus vsque
In seclum secli, quem spernunt ædificantes,
Nunc caput est templi, & laterum compago duorũ.

VINVM EX AQVA FACTVM.

Fœdera coniugij celebrabant auspice cœtu
Forte Galilæi, iam deerant vina ministris,
Christus vsa iubet properanter aquaria lymphis
Impleri vnde meri veteris defunditur vnda.

PISCINA SYLOA.

Morborum medicina latex quem spiritus horis
Eructat variis, fusum ratione latenti,
Syloam vocitant, sputis vbi collita cæci
Lumina Saluator iussit de fonte lauari.

UVA. BHSC. BU

PASSIO IOANNIS.

Præmia ſaltatrix poſcit funebria virgo
Ioannis caput, abſciſum quod lance reportet
Inceſtæ ad gremium matris fert regia donum
Pſaltria reſperſis manibus de ſanguine iuſto.

PER MARE AMBVLAT CHRISTVS.

It mare per medium Dominus, fluctuſq; liquẽtes
Calce terens iubet inſtabili deſcendere cymba
Diſcipulum, ſed mortalis trepidatio plantas
Mergit, at ille manum regit, & veſtigia firmat.

DAEMON MISSVS IN PORCOS.

Vincla ſepulcrali ſub carcere ferrea dæmon
Fregerat, erumpit, pedibúſque aduoluitur Ieſu.
Aſt hominẽ Dominus ſibi vendicat, & iubet hoſte
*Porcorum *raptare greges, ac per freta mergi.*

*riare.

QVINQVE PANES ET DVO PISC.

Quinq; Deus panes fregit, piſcéſque gemellos,
His hominum largè ſaturauit millia quinque.
Implentur nimio micarum fragmine corbes
Biſſeni, æternæ tanta eſt opulentia menſæ.

LAZARVS SVSCITATVS à mortuis.

Conſcius inſignis facti locus in Bethania,
Vidit ab inferna te lazare ſede reuerſum.
Apparet ſciſſum fractis foribus monumentum,
Vnde putreſcentis redierunt membra ſepulti.

AGER SANGVINIS.

Campus Acheldemah ſceleris mercede nefandi

Ven-

UVA. BHSC. BU 10932

Venditus, exequias recipit tumuloſus humandas.
Sanguinis hoc pretiũ eſt Chriſti: Iudas nimis arctat
Infelix collum laqueo pro crimine tanto.

DOMVS CAIPHAE.

Impia blaſphemi cecidit domus ecce Caiphæ,
In qua pulſata eſt alapis facies ſacra Chriſti.
Hic peccatores manet exitus, obruta quorum
Vita ruinoſis tumulis ſine fine iacebit.

COLVMNA AD QVAM FLAGELLATVS.

gellatus eſt Chriſtus.

Vinctus in his Dominus ſtetit ædibus, atq; colũnæ
Annexus tergum dedit vt ſeruile flagellis.
Perſtat adhuc, templúmq; gerit veneranda colũna.
Nóſque docet cunctis immune viuere flagris.

PASSIO SALVATORIS.

Traiectus per vtrunque latus, laticem atq; cruorem
Chriſtus agit, Sanguis victoria, lympha lauacrũ eſt.
Tunc duo diſcordant crucibus hinc inde latrones
Contiguis, negat ille Deum, fert iſte coronam.

MONS OLIVETI.

Montis oliuiferi Chriſtus de vertice ſurſum
Ad patrem rediit ſignans veſtigia pacis.
Frondibus æternis præpinguis liquitur humor
Qui probat infuſum terris de chriſmate donum.

PASSIO STEPHANI.

Primus init Stephanus mercedẽ ſanguinis imbre
Afflictus lapidum, Chriſtum tamen ille cruentus
Inter ſaxa rogat, ne ſit lapidatio fraudi

UVA. BHSC. BU 10932

Hostibus ô primæ pietas miranda coronæ.

PORTA SPECIOSA.

Porta manet, templi, Speciosam quam vocitarũt,
Egregium Solomonis opus, sed maius in illa
Christi opus emicuit, nam claudus surgere iussus
Ore petri, stupuit laxatos currere gressus

VISIO PETRI.

Somniat illapsum, Petrus alto ex æthere discum
Confertum omnigenis animalibus, ille recusat
Mandere, sed Dominus iubet omnia munda putare.
Surgit, & immundas vocat ad mysteria gentes.

VAS ELECTIONIS

Hic lupus ante rapax vestitur vellere molli.
Saulus qui fuerat fit adempto lumine Paulus.
Mox recipit visum, fit apostolus, ac populorum
Doctor, & ore potens coruos mutare columbis.

APOCALYPSIS IOANNIS

Bis duodena senum sedes pateris citharísque,
Tótque coronarum fulgens insignibus agnum
Cæde cruentatum laudat, qui euoluere librum,
Et septem potuit signacula pandere solus.

ENCHIRIDII
FINIS.

IV

UVA. BHSC. BV 10932

VICTORIS GISE-
LINI AD LECTOREM
πρόσφθεγμα.

AH valeant tandem vatum lasciua priorum
Carmina, sat scenæ sat numerísque datum.
Nam quid adhuc vano strepitu & tentigine vocum
Mens abducta deûm numina mille facit!
Decipitúrque modis quos inficit igne cupido
Siue Catulle tuus, siue Tibulle tuus?
Anne igitur glandes iterũ atque Acheloïa præstat:
Cornua posthabito farre meróque sequi?
Aósit vt hæc animum teneant deliria. turpis
Quin valeat potius cum Ioue turba suo.
Martis bella, tori Veneris, fœda orgia Bacchi
Huic placeant, Christus cui placuisse nequit.
Cui nomen quod si dedimus, vitámque per omnem
Ponimus in patriis mystica thura focis,
Hunc vnũ mens nostra velit, vaga lingua loquatur,
Vnius in laudem quicquid agemus eat:
Cumque diem reuehet Phœbus, cum luna tenebras,
Nauiter huic grates barbitos icta sonet.
Ecquis enim (sacris libeat modo viuere Musis)
Ecquis ab humano dignior ore cani,
Quàm qui mentis opes homini concedit, & illam
Aetheris arcano concitat igne sui?
Ergo deos (iterum dicam) sileamus: ineptos,
Moribus & castis quicquid obesse potest.

UVA. BHSC. BU 10932

Proque his artifici ſummo meditemur honores
Fecit vti vatum gloria prima, Puer
Siue illum latè regem ſuſpexit Idume
Siue hoſtis profugum texit ab ore ſui.
At nunc ille patri ſummo ſuperisq; choræis
Lætum indefeſſa pangit ab arte melos,
Naulia nunc tenero pulſans vocalia plectro,
Nunc digitis cytharæ fila ſonora legens.
Quem propè melliflua deducunt carmina voce
Hiſpalis aurifero quos tulit ora ſinu.
Præcipuè vates toties quem inſueta canentem
Audiit attonitis flauus Hiberus aquis.
Felices, quibus ora deus cœli amne rigauit
Irriguo, ſua quos iuſſit & acta loqui,
Et cœli monſtrare vias ac certa laborum
Præmia ſiue bonis ſiue futura malis.
Horum digna ſacra demum ſunt carmina cedro
Aque ſecutura poſteritate legi.
Quiſquis at infelix inhoneſto carmine Circes
Pocula ſectatus numina vana colit:
Hunc phlegeton ſtigiíque manẽt vada liuida fontis
Tartareúmque ſuo concoquet igne chaos.
Ergo ſiquis eris, faciles quem cœlitus auræ
Afflarunt, cœli te pius ardor agat.
Sint Heliconiades Chriſtus, ſit Chriſtus Apollo,
Inque tua illius tempora laurus eat.
Non tibi Pegaſeus fons aut Libethrides vndæ,
Sed Chriſti extinguat viuida lympha ſitim.

Cu-

ıid.
ɜencus.
lulius.
oſper.
udẽtius

UVA. BHSC. BU 10932

Cuius (magna loquar) tenuis si guttula tantum Ioan. 4.
Diuino irroret labra liquore tua,
Ilicet hinc veros sentis in pectore fontes
Crescere, & æternis viuere fluminibus.
Felices latices, felicia pocula, felix
Tu quicunque sitim non aliunde leuas.

EIVSDEM AD LVCAM MAERAM I. C. HOSPITEM suum humanissimum.

QVEM *mihi dederas rudem inuenustum*
Squalentem senio & situ poëtam,
Illum nunc maculisque sordibúsque
Abstersum & facie noua nitentem
Remitto tibi Mæra, postulóque
Vt gratus fuerat mihi, perinde
Sic gratum tibi sentiam fuisse,
Idque vel mei amore, vel quod illum
Diuina Hippolyti benignitate
Ornamenta priora consecutum
Plus omnes propriis ament ocellis.

UVA. BHSC. BU 10932

VICTORIS GISE.
LINI IN PRVDENTII
opera annotationes.

VNA CVM D. ERASMI
ROT. COMMENTARIO
in duos hymnos ραδιη-
μιεινᾶι.

PAg.23. *Attrita boiis.*) Iacobus Meyerus annalium Flándriæ auctor in primo hymno περὶ στεφάνων a ſe perpurgato voculam hanc, Plauto ipſi in Aſinar. non incognitã, Prudẽtio noſtro ante aliquot annos reddidit nõ ſine Aelij Nebriſſenſis reprehenſione, qui hunc verſum, attrita baccis colla, interpretatur, quæ antequam caperentur ab hoſtibus geſtabant monilia baccata, id eſt, gemmata: Quod quam ſit abſurdum & ab auctoris ſententia alienum, nemo non videt. In aliis codicibus eſt, bagis, quam etiam vocem Latium ignorat. Sunt autem boiæ teſte Pom-

pe-

UVA. BHSC. BU 10932

peio vincula tum ferrea tum lignea, dicta à Iugo boum colla atterente.

Pag.24. Parente inenarrabili atque vno satus.) Hactenus ita lectus est versus, parente natus alto & ineffabili, quem vt mutarem, tum lex Iambici carminis pyrrichium non admittẽs, tum vetusti codices me impulere. At vnde hæc tanta, dices, vtriúsque lectionis diuersitas? Nescio mehercule, si hoc non est quod suspicor, auctores aliquando sua scripta, quæ antea amicis communicauerant, postliminio ad incudem reuocata recognouisse diligentius ac limatius edidisse, id quod de sua metamorphosi Ouidius testatum reliquit. eáque ratione factum existimo, vt quam maximè interdum exemplaria euarient. Non diffiteor interim nos in hoc genere multa librariorum negligẽtię & inscitiæ debere. Illa siquidem aliis perperam multa corrigendi, id est, corrumpendi occasionem præbuit: hæc dum vera & germana non intelliguntur, peruersa & adulterina substituit sæpe omissis necessariis sententiam mutilauit, sæpe aliorum glossemata orationi continuæ inserit. Quid de simiis istis dicam, quorum improbam audaciam huic auctori adeo fuisse fraudi bonis omnibus merito ægre esse debet, hæc præter institutum.

UVA. BHSC. BU 10932

Page 29. Ne ſorde latenti, &c.) Et iſtud quoque carmen dictionis correptæ vitio laborauit quæ tum ab ipſo poëta, tum ab omnibus aliis vno ore producitur, ſuſpectúmque mihi non immerito ſemper fuit, donec manuſcripti veram ac genuinam (vt mihi quidem videtur) lectionẽ reſtituerint. Vulgata ſcriptura, quam Nebriſſenſis retinet, ſatiſque frigidè explicat meliorum fortaſſe exemplarium auxilio deſtitutus, hæc fuit,

Condere vagina gladium, ne tecta rubigo
Occupet: Ablutum ſcabroſa ſorde nitorem, &c.

Pa. 33. Nimirum vacuæ creduntur.) Irriſionem hanc ſuperbiæ ſatis obſcuram reddit phraſeos nouitas. Senſus eſt. Nihil mirum hoſtes noſtros tam eſſe ignauos & degeneres cum à leuibus ac friuolis quibuſdam rebus pendeãt, in iiſque omnem ſpem ac fiduciam collocent, quas tamen mendaci fama ac rumore acceperunt.

Pa. 39. In menſam cyathis ſtillantibus, vda.) Veram hanc eſſe lectionem vel indè colligas quod abſurdum ſit vndæ profuſionem in cõuiuiis deplorare, vt interea taceam quãta venuſtas & elegãtia vnius duntaxat litteræ ablatione carmini ſit acquiſita. Cæterum vt hoc obiter admoneam peculiare quoddã vitium

UVA. BHSC. BU 10932

tium in hos libros irrepsisse comperio extemeraria & falsa præpositionis cum suo casu connexione, vt facilius animaduertet, quicũque nostras castigationes cum receptis exẽplaribus comparabit, & hoc præsertim loco vbi excusi omnes habent,

Immensam Cyathis stillantibus vndam, vbi multo
Fulcra mero, &c.

Ibid. Non idola bello.) Memini quidem Aldum manutiũ, si vsquam alibi, certè in huius auctoris editione diligentissimum, quotiescúnque licuit commodè mediam huius græci vocabuli dictionibus trãspositis produxisse: verum quæ ab ipso auctore profecta esse certò constat, ea retinenda potius censui, quã superstitiosè præter illius mentem immutãda. Monet autem me hic locus, vt paucis subiiciam græcas eas dictiones, quibus Poëta sui seculi auctoritatẽ secutus (quòd tunc temporis inter ecclesiasticos ex Græcis Romanisque permistos pro latinis haberentur) liberius vsus esse videtur, dũ accentus latini, aliarúmque regularum ratione habita, quantitatem genuinã earum neglexit. Neglexisse verò & quidẽ studio lubẽs credo, tũ quòd ea tanquã μνημονικὰ ἀμαρτήματα (qualia in Vergilio, Horatio, aliísque auctoribus eruditi annotarunt) excusare non possim: essent enim nimis

UVA. BHSC. BU 10932

crebra & grauia: tũ quòd græcarũ litterarum cognitionem in eo malim desiderare, quam nouum atque insolens quoddã libertatis genus illi tribuere. Sunt autem hæc dictiones, Heresis, Idolum vel idolium, ethica, eremus, matheſis, sphera, energema, paracletus, charisma, catholicus, philia & omnia παροξύτονα secundæ declinationis puré inflexa.

Pa. 40. *Nec tinguit*) Istud verbum ita scriptũ reperio in omnibus manuscriptis., ideóque hic perpetuum esse volui.

Pag. 44. *Nec nostra potẽtia præfert.*) Sic Aldus: rectius cõmodiúsque, meo quidem iudicio, quam alij, perfert.

Pa. 46. *Lethum versatile & anceps.*) Secutus sum expositionem quam in manusc. meo reperi ad marginem. Nebrissensis in commentariis paulo aliter hos versus interpungit, ita nimirum.

Lethum versatile & anceps scilicet erat.
Lubricat incertus dubia sub imagine visus.

Pa. 48. *Discingitur omnis terror.*) Soluitur. In aliis est discinditur. Vtra melior sit, facile iudicabit ille qui integram orationem lecturus est.

Ibid. Agmina casta simul.) Scripturam hanc è vetusto codice depromptam, volebã solummodo indicari: Sed librariorũ errore præter meam

UVA. BHSC. BU 10932

meam voluntatem ea vulgatæ locum occupauit quæ tamen plausibilior multò est &cõmodior.

Agmina casta super vultum sensere tonantis
Arridere hilares pulso certamine turmæ,
Et Christum gaudere &c.

Pag.49.Nascitur hinc.) Cui noua aut absurda horum versuum coniunctio videbitur, is mehercule si sententia ipsisque verbis diligẽter pensitatis, totum etiam in hoc opere tractandi genus & ordinem perspexerit, quòd scilicet nusquam alibi poëta victoriæ triumphum ritè concelebratum continuæ orationis ductu interturbet, sed singulorum conflictuum occasionem ipsi hystoriæ attexat: is inquam non poterit non mihi æquus esse, qui duorum exemplarium auctoritate fretus cõcordiæ & discordiæ pugnam hinc vsque sim exorsus, non autem vt alij, inde.

Inter confertos cuncos Concordia forte.

Pag.50.Quæ pectora nostra vulnerat.) Quidam manusc. habet, prospera: non ineptè, cùm auctori vsurpatio epitheti pro fixo seu rei nomine sit familiarissima, & ter quatérque alias hoc nomine vtatur.

Pag.51.Diuiditur ruptis heresis perit.) Hic Nebrissensis poëtam leuitatis accusat & inconstantiæ, quòd eãdem dictionem nunc longã,

UVA. BHSC. BV 10932

nunc faciat breuẽ, vulgata enim lectio erat.

Diuiditur, ruptis perit hæresis horrida membris.

At idem non animaduertit præposterum verborum ordinẽ, casumque nominandi suo verbo debuisse præponi.

Pag. 53. *Medius interuenit Iesus.*) Habet auctor hoc pro more vt ex vocalibus prioribus nominis Iesus synereseos modo vnam faciat vocalem: ideoque nolui mihi quicquam indulgere in eo permutando, quod ipsi propriũ esse, certò sciebã, quinimo in 13. versu sequẽte non cùm Aldo, prosit Iesu, legendum esse duxi, sed proderit. Idem iudicabis de his dictionibus peregrinis Hierusalẽ, & Hierico.

Pag. 54. *Quisqui litare.*) Comperio ita hanc vocem sæpius in hoc auctore scriptam ex vsu veterum, vt videre est in illo Alcinoi de Marone iudicio.

Et si post primum Maro seponatur Homerum
Longè erit à primo quisqui secundus erit.

Si qui tamẽ vulgatam lectionem tum hic, tum in Alcinoo malint retineri, agè non repugnabo. non enim mihi latet simili plane exemplo Horatium particulam, quandóque, pro, quandocúnque sæpius vsurpasse, tantum ab illis hoc petam in hoc patiantur sese exorari, vt quoties in toto isto opere eiusmodi nostra castigatio occurret, facilioris intelligentię

UVA. BHSC. BU 10932

gentiæ cauſſa eam factam illi exiſtiment.

Ibid. Sancta ad donaria.) Duplex eſt huius vocabuli ſignificatio. Vna eſt propria pro iis donis & muneribus quę diis offeruntur, grę-cè ſunt ἀφιερώματα. Altera trãſlatitia, pro lo-co huiuſmodi donis offerendis dicato. Si fa-cta legas, attribuitur primo ſignificato: ſi ve-ro, ſancta, ſecundo, non primo. non enim mu-nus per ſe ſanctum dici poteſt, cum ab inno-centia & integritate offerentis debeat com-mendari.

Ibi. Sed defenſa fide.) Sic Aldus & Nebriſſen-ſis quos hic ſequendos putaui, etſi alij omnes haberẽt, ſed defenſa Fides, quos quidem falli certum eſt: nam fides quæ prima omnium pugna victrix euaſerat, lęſa & oppugnata Cõ cordia hic defenſione non indiguit, quin po-tius ipſam à periculo liberam ſorori germa-næ opem afferre oportebat.

*Pag. 55. Atque ſacris*ª *ædem.*) Ita legendũ eſſe potius quàm, adque ſacri ſedem, quis non vi-det? Non enim ad ſedem ſacrorum. i. ſacrifi-ciorum adminiſtrationi deſtinatam propera-ri potuit, cum exædificãdi templi locus etiã-num eſſe deligendus.

Pa. 54. Quąque hominis natura viget) Partim ex Aldo, partim è manuſcriptis de hac lectione coniecturam fecimus.

UVA. BHSC. BC 10932

Pa. 57. Et viribus arcæ.) Vulgaris illa ſcriptura, virib⁹ arte adductis, ſpuria eſt. Reſpicit auctor illud Mathæi 13. de negociatore margaritarum, qui vt vnam ingentem forte inuentam compararet, omnia ſua diuendidit.

In librum καθημερινῶν.

Liber hic totus Gandaui à Manilio abhinc aliquot annos emendatiſsimè eſt editus, ac proinde nihil aut perparum hic à nobis præſtitum eſt, quod ille optimi exemplaris ſubſidio prior non adinuenerit, inque mediũ contulerit. Vtinam reliqua Prudentij opera eadem felicitate beaſſet.

Pa. 60. Oblitum veteris Maſſaliæ.) Hic locus multos torſit, nec adhuc ſatis dilucidè eſt explicatus. Commentatur in illum Nebriſſenſis, his verbis. Oblitum veteris Meſſaliæ conſulis, ſcilicet ſub quo videtur natus Prudentius. Aldus in poëtæ vita a ſe edita ait eum fuiſſe iureconſultum ac Maſſaliæ conſulem, huiuſce, ni fallor, loci coniectura ductus. Vetus codex quo ego ſum vſus habet, me Saliæ, vnde quidam ſe commodam ſententiam eruere poſſe putarunt, quòd Salia Hiſpaniæ ſit fluuius, ideoque & vrbem eo nomine fuiſſe coniiciunt. Ego quid hic pronunciare debeam, neſcio prorſus, ſatis eſſe arbitratus aliis cogitandi materiam ſuppeditaſſe.

Pa. 78.

UVA. BHSC. BU 10932

Pa.78.Famésque blanda prædã rictibus ambit.) Antea, faméque blãda prędam rictibus lambit. Vtráque in lectione sententia constat. illãbit. Vtráque in lectione sententia constat. illã tamen malui, tũ quod Prudentiana sit & mollior, tum quod alias non consueuerit litteram. s. elidere vt positionem non faciat.

Pa.79.Obsequente mundo.) Cedente aëre. ex toto partem intelligit.

Pa.81.Monstras saxigeno semine quærere.) postremum hunc versum submittitur in excusis exẽplaribus integra periodus, inserta a nescio quo elegante (vt sibi videbatur) effectore.

Hoc signas opere conditor inclite
Lumen veridicum mentibus omnium
In Christo domino quærere iugiter,
Quem petram loquitur doctor egregius.

Vt autem asciticiam & notham esse putem, non solum testimonio veterum codicum adducor, sed eo etiam, quod Rupertus totam Prudentianæ orationis seriem operi de diuinis offitiis intexens, ne minimam de ea mentionem faciat. Eius verba sunt. Prudẽtius in hymno suo qui cantatur in sabbatho sancto, cum dixisset, lumina nos tamen monstras saxigeno semine quærere, vt ostenderet fieri hoc ad commemorandum illud quòd de lapide Christo procedit nobis ignis sancti spiritus, protinus adiunxit, ne nesciret homo

UVA. BHSC. BU 10932

ſpem ſibi luminis in Chriſti ſolido corpore conditam, qui dici ſtabilem ſe voluit petram, noſtris igniculis vnde genus venit. Lapis ergo quem percutientes ignem elicimus, Chriſtum ſignificat, qui percuſſus verbere crucis Spiritum ſanctum nobis effudit. hæc ille.

Pa. 82. *Lux agit æmula.*) Alluſiſſe videtur ad illud Iuuenci lib. 2. furuamque ſuper nox æmula pallam, Sydereis pictam flammis.

Pa, 84. *Cibus tunc quoque ninguidus.*) loquitur de pane cœlitus dato, qui niuis ſtratæ in modum contexerat terram. In aliis eſt, pinguidus, quod & ipſum nemo non approbabit cui hiſtoria nota erit.

Pa. 85. *Sunt & ſpiritibus ſæpe nocentibus.*) Ad maiorem commendationem illius ſacerrimi luminis, quo nos Chriſtus grauiſsimis tenebris immerſos illuſtrauit, poëtica libertate vſus fingit aliquam illius beatitudinis partem ad inferos pertingere, cum tamen non ignoraret toties repeti in ſacris litteris mortuos non laudare aut deprædicare deum, neque omnes (vt habet pſalmus) qui deſcendũt ad infernum, vtpote cum de iis iã ſit actum & conclamatũ: laudaturi ſine dubio, ſi illius miſericordiam aliquando ſentirent, mitigato quotannis (vt poëta hic ait) eorum ſupplicio.

UVA. BHSC. BU 10932

*Pa.*88.*Liber vagat.*) Hoc verbo Plautum etiam vſum eſſe video in milite. Te alloquor vitij probríque plena, quæ circumvicinos vagas. Quòd autẽ aliis librariis ea vox eſſet ingressa, perperam vacat, ſcripſerunt. Quidam manuſcriptus, vagas habet, vt nomen ſit referendum ad, auras. tolerari poteſt.

Ibid. Variáſque per figuras.) Somnia & nocturna phantaſmata. ea faciunt triplicia: aut enim ſunt vulgaria, nihilque ſignificant aut portendunt præter temperamenti humani cõſtitutionem: aut μαντικὰ, quæ non raro effectu conſequente comprobantur, vt Syllæ, Lucullo, & medico Anguſti contigerunt, de quibus Cicero: Aut diuina, quæ alio nomine vaticinia & prophetiæ in litteris ſacris dicuntur.

*Pa.*91. *Te chriſmate innotatum.*) Conſignatum. Nam inungens epiſcopus intincto in chriſma pollice notam crucis in fronte deſignabat.

*Pa.*93.*Helia.*) Ita extulit etiam hoc nomen alibi in nominandi caſu. ſimile eſt Iuda, pro Iudas.

*Pa.*92.*Paruum locuſtis.*) Ita vetuſti codices. fortaſſe parcum, quod multo erit mollius: quis enim vnquam latinè dixit, paruum paſtum dare?

UVA. BHSC. BU 10932

*Pa.*101. *Quarta denexo supereſt in axe portio lucis.*) Hac enim hora olim collectæ fiebant tẽpore ieiuniorum, quibus finitis ſoluebatur feſtum, cœnæque tempus erat. Videtur & hic imitatus Iuuencum in Vinea.

Vltima labentis reſtabat portio lucis.

*Pa.*103. *Corpus eneruans.*) Syſtole eſt poëtæ propria in hac præſertim dictione quæ ab aliis protrahitur.

*Pa.*104. *Da puer plectrũ chorcis vt.*) Iac. Meyerus elegantiſſimè hunc hymnũ & primũ libri ſequẽtis mutata carminis forma reſtituit. Erant enim ſecti in Alcmanios & Euripidios, neque adhuc deſunt qui eam ſectionem probent: ſed toto errãt cœlo. Si enim (vnico eos cõuincã argumẽto) extremas ſyllabas cuiuſque verſus cũ initiis Euripidiorũ cõtulerint, aduerterintq; nullos aſperos aut hiulcos eſſe ſyllabarum concurſus, ſed omnia vt integris verſibus fieri conſueuit, quadrare ac reſpõdere, omnino hunc ſcribẽdi modũ per integros trochaicos ſunt probaturi, aliũque reiecturi.

*Pa.*105. *Primoplaſti ex germine.*) Putat idem Meyerus vocem hanc compoſitam mutãdam eſſe vt tota ſiat græca: ſed mihi id ex poëtæ ſententia futurum non videtur. Quod enim M. Ant. Muretus homo mihi ſtudioſiſque omnibus ob ſingulares ingenij dotes, doctrinam in-

UVA. BHSC. BU 10932

incredibilem,perpetuamq; in communicando ſua alacritatem,longe cariſsimus,ſcripto confirmauit,Siculos ſermone quondam eſſe vſos,qui quaſi cinnus ex latino & græco miſtus eſſet:idem ego Eccleſiæ Chriſtianæ ſuos fines olim per diuerſiſsimas nationes profe-
rénti quadam ex parte accidiſſe arbitror, ſupráq; exemplo comprobaui. Iccirco hãc cópoſitam dictionem vt abſurdã , & poëta noſtro indignam reiicere non ſum auſus.

106. *Quinq; panibus pereſis &.*) Ordinem horum verſuum vt in manuſcripto erat,expreſſimus,rati alio longè eſſe commodiorem.

109. *Tua ſunt tua rector vtraq;.*) In tribus hiſce proximis verſuum quaternionibus,mirũ quã omnes codices diſſentiãt.Vulgò ita primus.

Tua ſunt tua recta vtráque,

Qui cum non immerito duabus de cauſsis diſpliceret,confugi ad manuſcriptos, in quibus non recta,ſed,rector, inuenio. Quia autem nouum & inſolens mihi erat, hic nominatiuum in à finalem produci, (neque enim & hunc ſcrupulum mihi vetuſti codices exemerant) tantiſper dubius & incertus hæſi, dum ſe poſtea mihi offerrẽt verſus iſti, vnus pag. 157.

Frivola vtráque & vtráque nihil.

UVA. BHSC. BU 10932

Et alter pagina.389.

Mimica, ridendáque ſuis ſolennia caluis.

Tum enim ſubiit in mentem nonnihil ſibi poëtam indulſiſſe, vt quemadmodum in in græcis dictionibus, ita (ni fallor) in latinis ſyllabam accentu acuto affectam longam habuerit. Idem omnino Hilario pictauienſi accidit. Nam in eo carmine, quo in Geneſim præfatur, eadem fere pagina hi duo verſus leguntur.

Gens hominum, pecudéſque feræ, milléque volucres.

Et, *Commotáque ſimul maturo conſcia partu.*

Tertiam ſtropham, quæ locum occupabat non ſuum, Aldi, Nebriſſenſis & Veterum codicum exemplo reſecui, quod certò mihi perſuaderem à quodam ſciolo eſſe adiectam. Cuius fidē mihi facit quarta quoque ab eodem (vt arbitror) inſuta. Vtrámque nihiloſecius adiiciam, vt iis placeant, quibus poſſunt & ſolent talia non diſplicere.

Reſciſſa ſed iſta ſeorſum
Proprios reuocantur in ortus,
Petit halitus ethera feruens
Humus excipit arida corpus.
Sic cuncta creata neceſſe eſt
Obitus tolerare ſupremos
Vt ſemina diſſociata
Aſſumat origo reſorbens.

UVA. BHSC. BU 10932

110 *Hinc maxima cura ſepulchris*) Hic mihi vide Chriſtiane lector quonã tandẽ illa referẽda ſint officia, quibus tanquã extremis ſocietatis humanę argumentis parẽtes, cognatos, affines, amicos alioue modo nobis cognitos proſequi ſolemus. ad vnã nẽpe illã catholicã ἀνάϛασιν animiq; & corporis beatiſsimam coniunctionem, quę vltimus & ſummus noſtrarum actionum finis eſt, & ſcopus.

112 *Quam ſit rationis egenis.*) παρηβάσεως modo traducit allegoricè hiſtoriã reſtituti viſus Thobię per fellis ſuffumigationem, hoc ſenſu. Quemadmodum Thobias viſum minimè recepit, niſi prius acrimoniã fellis perſentiret, ita & illi qui etiamnũ rationis ſunt indigi & in nocte errorũ verſantur necdum illuſtrati diuini luminis vi, nõ niſi cũ ſumma acerbitate ſeſe poſſunt ad cõſiderationẽ tã auguſti myſterij attollere, indubitatamq; de eo fiduciã concipere. Atq; adeo nullus tanti boni futurus eſt particeps, quin ante infinitas ærumnas & calamitates quibus hæc vita obnoxia eſt, pertulerit peruaſeritque. Ea enim demũ beata eſt mors quæ nos ab huius vitæ afflictionibus liberat, & in beatiſsimũ immortalitatis portum transfert.

112 *Luct inter vincula mille.*) Liberalior multò lepidiorq; eſt hæc poëtæ confictio, quam

UVA. BHSC. BU 10932

si quis cum Aelio Nebris. legat. lucet inter vincula mille, id est (vt ait) regnat inter nos impediens membrorum operationes. quo quid dici potest absurdius, siue auctoris sententiam spectes siue metri leges?

119. *Quem te furoris præsule.*) Mauult Sichardus vocem, præside, quod Prudentio magis dicat conuenire. Rationem non addit. Si addidisset, non esset cur ab eo dissentire me cogerent versus illi pag. 84.

Qui domitum pharon.
Plagis multimodis cedere præsuli
Cogis iustitiæ vindice dextera.

In librum. περὶ στεφανων.

Versatur totꝰ hic liber in encomiis & epenesibus sanctorũ martyrũ, eorũq; maximè qui pro asserenda fide Christiana in Hispanię regno oppetierũt: exẽploq; eorũ proposito docet quo loco maiores suos, quibus auspicibus Christũ agnouerũt singulæ ciuitates olim habuerint, tũ vt hãberẽt posteri, quorũ vestigia insistere firmiterq; persequi possent, tũ vt eadẽ opera scirẽt, quibus auctoribus summum illud fidei bonum acceptum ferendum esset.

134. *Exactor auri & sanguinis.*) Emendãdũ sic putauimus certissimis adiuti cõiecturis. Male enim legebatur, exactor hauriet sãguinis. quod

UVA. BHSC. BU 10932

quod cum Nebrissensi viro doctissimo non placeret, existimauit scribendum, exactor hausti sanguinis. At scopum non attigit.

136. *Implete dictorum fidém, quæ.*) Sic Aldus referens ad antecedens dicta. Alij omnes habent, quam, scilicet fidem. sed nihil ad rem.

137. *Locupletis arcam numinis.*) Duo codices calamo exarati, arcam locupletem nimis.

141. *Hunc qui superbit serico.*) Hanc similitudinẽ quia venustissima est, vt Prudentius sẽper sui est similis, tũ quia à nostro medicinæ studio nõ aliena est, libuit paucis explicare. Vitia igitur animi cum corporis affectibus & morbis cõfert, hoc ordine. Elatos homines ac superbos hydropicis similes facit, quib⁹ crudorũ humorũ copia vitiatæ sanguinis massæ affusa cutim prætumidam reddidit. Ambitiosos ac honorum cupidos κνύσῳ laborantibus. hi enim perpetua siti cruciantur. Auaros & ὀξυχείρας (quod iis manus tenaces sint & ad rapiendum paratę) chiragricis comparat: istiusmodi enim, ne dolorem ab humore maligno in digitorũ vincula & articulos impacto excitatũ augeant, neq; manus adducũt omnino neq; etiam explicant, sed in medio quodã situ continent, qui & maximè doloris sit expers & naturæ consentaneus. Sic etiam maleuolos obtrectatores cõparit hępa-

UVA. BHSC. BU 10932

ticis seu spleneticis, fortasse quòd cũ his omnia mẽbra sint arida & prę inędia cõsumpta, tamen cibũ fastidiant, deinde quod iisdẽ os perpetuo sit amarũ, bilis vomitione prorũpat, vngues denique à scalpendo nõ cõtineãt, quę omnia ad calũniatores non illepidè quis traduxerit. Inuidos præterea cum strumosis seu χοιραδιῶδεσι confert, nec male: quoniam huiusmodi morbi genus adipẽ carni circũstam, ipsamq; adeo cutẽ exedit, & vlcus serpendo in dies vlteriùs reddit malignius. Postremo idololatras ictericis regioq; morbo laborãtibus nõ dissimiles esse ait, quòd quẽadmodũ isti vt valetudinem recuperent, lectis mollioribus, ludis lasciuiaq; demulceri debent, ita detestandi simulacrorũ cultores impotenti fere libidine ardentes ex mera animi mollitie insolentia & dissolutione eò dementiæ rapiantur. Quod ad ganeones attinet, qui se ad putidissima vsq; scorta comprlectenda abiiciunt, eos non ęgrotis sed infimę sortis hominibus foricas, latrinas & cloacas euerrentibus pares facere videtur.

148 *Confederentur omnia*) Aldus paulo aliter.

Confederantur omnia,
Hinc inde membra in symbolum,
Mansuescit orbis subditus,
Mansuescat & summum caput.

144.

UVA. BHSC. BU 10932

144. *Errans Iulica cæcitas.*) Aldus iterũ & quidã manſcriphus habent, errans Iuli cæcitas. Meus codex, Iula. Sed id leuis eſt momenti.

151. *Ornare venias Numæ.*) Error hic eſt librariorũ. Iuſſeram exprimi id quod erat in meo codice. Ornare nænias pro quo in aliis eſt, ornare res ſacras. quàm erctè id à me factum ſit facile iudicabit qui meminerit phraſeos vſurpatæ pag. 116.

Nam cæca vis mortalium
Venerans inanes nænias.

Ibid. Accitur in ſignum crucis.) Siue hoc rurſus à librario peccatum eſt, ſiue à me, legi debet, aſcitur in ſignum crucis, & ita in veteribus libris legitur.

153. *Audi & poëtam ruſticum.*) Meminit horũ verſuũ Ioach. papebergẽſis in ſuis precibus.

159. *Non laceratio vulnifica cratetenus.*) Ad intimas vſq; coſtas, quarum ſyntaxis crati nõ eſt diſsimilis. Sic infra.

Vngula fixa cauis coſtarum cratibus altos
Pandere ſeceſſus, & lacerare iecur.

Alij oretenus, non ſatis apte.

170. *Hæc ſacra*) *infra. Tibi ergo ſoli contumax.*

Tarpeia calcentur ſacra?

Hoc addo, quia omnes libri formis excuſi ſcribunt hæc ſaxa, idq; omnino mẽdoſe, neq; enim ipſe (opinor) datianus faſſurus à ſe ſa-

UVA. BHSC. BU 10932

xa coli pro eo numine quod figura repreſentari credebat. Siquidē vt teſtatur Lactantius inſtit.li.2.ca.2.non ipſa,inquiūt gētes, ſimulacra timemus,ſed eos ad quorum imaginē ficta,& quorum imaginibus conſecrata ſunt.

171. *Nec te inuentæ feruidæ.*]Hanc caſtigationē ipſa ſententia poſtulabat,etſi in aliis vnanimiter legeretur. *Nec te iubente feruidè.*

172. *Coli iubentis.*) Vt referatur ad Cæſarem. quidam nō inuenuſte habent,iubetis.ſicque oratio eſt vehementior concitatiorq;.

Ibid. Veſtræ ſalutis aucupes.)Qui aucupū more veſtræ ſaluti inſidiantur & (vt poſtea addit) latēter incitos in omne cōpellunt nefas. Nebriſſenſsis cū aliis maluit,auſpices id eſt (vt exponit)qui vobis auſpicantur in ſacrificiis ventura.Quod ipſum,niſi cōmodius aliud reperiſſē,tāquā,per ironiā dictū potius erā accepturus,quòd adiiciat huiuſmodi patronos ſalutis incolumitatiſq; eſſe īpotētes,vagos &c.

173. *Conclamat,os obtrudite.*) Corrigit idem.

Conclamat os obſtruite,

Mirum quid homini venerit in mentem vt maluerit auctoris carmen deprauare, quam phraſim illi paulò duriuſculam concedere.

177. *Scintillat excuſſus ſalis.*)Idem exponit,excuſſus ſalis id eſt,ſalis excuſsio,vel vt ſalis ſit nominatiui caſus. Ego malim ſeruare quod offen-

UVA. BHSC. BU 10932

offendi in meo exemplari.

Scintillat excussus cinis.

Ita sententia erit facilior, neq; quicquã erit coactũ. Si tamen coniecturæ locus sit, putarẽ non male posse legi,

Scintillat excussum sale.

In neutro genere, quomodo vsum esse video Ennium, & Terentium in illo Eunuchi, Qui habet salc quod in te est. De quo vide Mureti doctissimas in eundem Poetam castigationes.

179, *Ruptis cauernis.*) Foraminibus cippi quæ pedes Martyris immissos acuminata circumferentia arctissimè stringebant. Hoc instrumentum intellexisse arbitror Lucianum in Toxari, vbi de Antiphilo in carcerem coniecto sic loquitur.

ὑπερόπτου παιδευθῆναι, καὶ πτέρνας εἶχεν, οἷον εἰκὸς χαμαὶ καθεύδοντα, καὶ τῆς νυκτὸς οὐδὲ ἐπιτείνειν τὰ σκέλη δυνάμενον ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα. τῆς μὲν γὰρ ἡμέρας ἐρπετὰ καὶ ἑτοίμως. χεὶρ πεπηδηκώς δὲ τὴν νύκτα ἔδει ὅλον κατακλίδειν.

186, *Secura plebs iter legit.*] Prætuli quod habebat meus manuscriptus, vtpote mollius & magis accommodum huic loco. Quidã scriptum habuit.

UVA. BHSC. BU 1093

Secura plebs iter terit.

Quod neq; damnãdum est. pessimè omnes impressi,

Patente dum profundo aridum
Secura plebs incesserit.

188. *Aut vndis dedit.*) Recepta scriptura est aut vinclis dedit. sed non sine graui mendo antea enim b. Vincentij mẽbra dixerat obiecta fuisse feris discerpẽda, deinde in vndas dispersa. de vinculis nulla eiusmodi mẽtio.

200 *Diluit amne nouo.*) Huc alluisisse videtur Fortunatus in pulcerrimo hymno de resurrectione Domini, cum ait.

Candidus egreditur nitidis exercitus vndis,
Atq; vetus vitium purgat in amne nouo.

202. *Rubetq; ab ictu curua humens pagina.*) Idẽ fortunati hymnus à G. Cassandro castigatus magno sane emolumento hic mihi fuit. reiecta enim vulgata lectione,

Rubetq; ab ictu curua tumens pagina,

Manuscriptũ probare non potuissem, nisi mille docuisset tẽpore Fortunati qui huic nostro penè σύγχρονος fuit, h. asperationẽ interdum consonantis vicẽ suppleuisse, vt in producto hymno aperte videre est. possem etiam huc è Cornelij Galli senectute à G. Morelio typographo regio emendatius edita primi distichon afferre,

UVA. BHSC. BU 10932

AEmula quid cessas finem properare senectus!
Cur tu in hoc fesso corpore tarda venis?

Item illud Horatij ex lib.1.ode.13.

Tunc nec mens mihi nec color
Certa sede manet, humor & in genas.

Sed ne hęc quidē satisfactura sunt iis qui certo sibi statuerint in his & horū similib⁹ poëtas cōcessā sibi iure optimo licētiā vsurpare. 203. *Manus pariter fixere ducentæ.*) Placebat lectio peruulgata, fixere cruētę, verū cū nihil esset quo cōparādi signū, totidē, referretur, facile me vetusti codices adegerūt, vt quod illi cōmode suggerebāt, substituēdū putauerim. *Ibidem. Pungere puncta libet.*) Arridebat Aldina scriptura ob elegantem agnominationē quæ etiam in phrasi sequente est, sulcisq; intexere sulcos. Sunt qui legāt, pangere, sunt alij qui, pingere, sed non cum tanta carminis venustate.

213. *Faciem recincta veste.*) Sustulimus grauissima menda quæ totam hanc clausulam inexplicatam reddiderant, & veterem scripturam in fidem reposuimus suam. Neæræ nomen (sic enim legendū puto) ἀντονωμασικῶς hic accipio pro Omphale cui Hercules seruiisse dicitur. Neq; nouā aut absurdam quis hāc expositionē arbitretur, cū idē nomē Ariadnæ attribuatur in priore cōtra Symnachū.

UVA. BHSC. BU 10932

Hoc circumsaltante choro temulentus adulter
Inuenit expositum secreti in littoris acta
Corporis egregij scortum, quod perfidus illic
Liquerat incesto iuuenis satiatus amore.
Hanc iubet assumptã feruens post vina Neerã
Secum in delitiis fluitantis stare triumphi.

Eadem tropi forma vsum existimo quum Heliam ruris aridi hospitem, fragore ab omni remotum & segregem ait spreuisse criminum frequẽtiam casto fruentem Syrtium silentio : per Syrtes Carmelum montẽ aliásque solitudines intelligens, in quibus tum Heliã, tum alios Prophetas degisse legimus.

222. *Nodosa quos vexat podagra & arthresis)* Quisquis ille fuit qui vulgata huius loci scriptura nixus vocem artesin latinis lexicis inseruit & ab artubus originem sumpsisse arbitratur, falli omnino mihi quidem videtur. Cùm enim morbus hic articulorũ græcis dicatur ἀρθρίτις, tẽpore poetæ nostri, infelici nescio qua ratione & exemplo ducti eum arthresin nuncuparũt. Sic ex pleuritide pleuresin, ex phrenitide phrenesin fecerunt. Atque harum trium vocũ duas priores apud hunc auctorem, & huic coæuos est reperire: apud vetustiores aut græcè peritos, minimé. Tertia latinis sic satis nota videtur, sed ita vt Iuuenalis, Martialis, & alij græcè docti eius mediam

UVA. BHSC. BU 10932

mediam produxerint, ſolus prudentius cor-
ripuerit. Hinc intellige amice lector, quàm
rectè illi ſentiant qui in auctore noſtro ob
ſolas librorum epigraphas (in quibus inue-
niendis illi fortaſſe amicus idiomatis græci
paulò peritior gratificatus eſt) ineptam &
odioſam quandam licetniam malunt tole-
rare quàm græcæ linguæ imperitiam.

229. *Tantulos at ſi dolor vexabit artus.*) Veterē lectionem ex vetuſtis codicibus reſtitui. quę autem in vulgatis habetur, planè eſt maculoſa vtcunque eam probet Nebriſſenſis non animaduerſo carminis vitio.

230. *Quam plaga flêrat.*) Lacrymantis in modum diſtillauerat. lepidiſsima eſt mehercule tranſlatio. Summa enim cute perſtricta, ſtillat potius quam effunditur, confertim cruor. Sic ſupra.

Ambuſtum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.

Alij ferat, habebant: alij fecerat. vtrique contra carminis leges.

242. *Quando voſmetipſi exciditis.*) quam nefandis & ſceleſtis ſacrificiis ſuos olim Deos gentes coluerint, elegantiſsimè (vt omnia alia) oſtendit Alexander ab Alexandro Genialiū dierum lib. & cap. vltimo.

Ibidem. Matrem brachiis placat dexm.)

UVA. BHSC. BU 10932

Commentator legit, Deum non deam, intelligítque Cybelen ex Apulei ſententia, qui tres deas, Bellonam Cybelen, Iſidem idem numen eſſe putauit. A quo non admodum alienum eſt illud Iuuenalis carmẽ quo vtrique Deæ eoſdem ſacerdotes tribuit.

Bellonæ matríſque Deum Chorus intrat, &c. Ibidem. Parca ad ſecandum.) Nebriſſenſis ſemper ferè antiquum obtinet. de mendo vix vlla illi eſt ſuſpicio: In explicãdo autem etiam abſurdiſsima, totus eſt. Hoc loco cum per-uulgata lectio haberet, Parta ad ſecandum, parta inquit, id eſt parata, nec verbum addit. acutè, ſi de vnius dictionis ſignificatione tantum eſſet controuerſia, non etiam de ipſius auctoris ſententia, quã ille inuertit omnino ac deprauat. Sic ſuprà verſum ab hoc decimum ſeptimum, à nobis reſtitutum, ille ita legebat. Quinos ſupinat, ſubaudiens ſenſus. quid hac & lectione & explicatione fieri poteſt magis ineptum, magíſque tanto viro (pace illius duxerim) indignum? Epiphanij. 245 *Vellem ſiniſter.*) Vide librum 3. tomo 2. hæreſi 79.

251. *Crypta latet foueis.*) quomodo latuerit, ſequentibus aliquot verſibus demonſtrat. Proinde errant qui legunt crypta patet. Item qui, crypta fouet.

Pub

UVA. BHSC. BU 10932

252. *Pubes, eunt.*) Aldus,pubis:credo ne cum reliquis codicibus longam corriperet. At poetæ ſuus potius ſermo reddendus erat qui in,es, terminata non etiam creſcentia indifferenter modo producit,modo breuiat.

290. *Fio Cyprianus.*) Nota auctorem contra aliorum conſuetudinem corripere, conſtanter primam in fio.vt ſuprà.

Damnatus & faulla mox tenuis fies.

& infrà. *quæcunque fiant auctore ſenatu.*

266. *Purgabor oris.*) Pleráque errata, quæ auctorem hunc miſerrimé fœdarunt, librariorum arguunt inſcitiam, qui temerè ac ſine delectu, quæuis auſi ſunt exarare, modo in vnam dictionem diuerſiſsima conglutinantes,modo cohærentia diuellentes. Subiiciam complura exempla ſimul,ne de iis ſigillatim ratio reddenda ſit.

Suam tuorum.	pro, ſi iam	pag. 174
Tu ſolus obis.	pro, o bis	pag. 188
Qui nos ſupinat	pro quin os.	pag.242
Donec virenti fluctu,&.	pro fluctuet.	p.256
Exitúſq; in ortũ.	pro exit vſq; in ortũ.	p.261
Purgabo roris,	pro purgabor oris	pa.266
Secernere	pro ſe cernere	pag. 271
An veterum tantummõ rem.		pro tantum morem. pag. 396
Conſulet &,	pro conſultet.	pag.408

UVA. BHSC. BU 10932

Dura lapillorum in acie, pro macie. pag. 425
Sacris oculis, sed & illa, pro sedet illa.

IN ΑΠΟΘΕΩΣΙΝ.

Contra hæresim quæ patrem passum.) Hæc hæresis Noëtum quendam auctorem habet qui circa annum Domini 250. est ausus asserere Christum eundem esse patrem & Spiritum sanctum, ipsamque Trinitatem in officiorum & actionum nominibus, non in personis accipere. Vnde qui illũ secuti sunt Patropassiani dicebantur, inter quos Sabellius extitit, præceptori dogmatum peruersitate minimè cedens.

Ibidem. Ille pater.) ea patris est hypostasis quam Ioannes Dei nomine intelligi voluit, quam nemo mortalium vidit, nisi in filio λόγῳ ὑφισαμένῳ, qui tũ patribus beatis, tum facta temporis plenitudine Apostolis fuit conspicuus.

275. *Semper in auxilium.*) Nobilissimus hic est locus de perpetuo Christi in ecclesiã amore quem Beatus Paulus toties vrget, præcipuè cùm ait, Petra autem erat Christus, innuens Dei filium, & ductorem & custodem Israëlitis certissimum semper extitisse, facítque huc tum Irinæi, tum aliorum Veterum

UVA. BHSC. BU 10932

rum interpretatio, qui cum idem Apoſto-
lus inquit legem per manus mediatoris da-
tam eſſe, intelligunt ipſum Dei filium λό-
γον æterni patris fuiſſe oratorem ad popu-
lum dicentem verba legis. In qua ſenten-
tia fuiſſe & Poëtam noſtrum liquet ex his
verſibus.

Ipſe dator legis diuinæ accedere coram
Iuſſus amicitiæ collato qui ſtetit ore
Cominus, & ſacris coniunxit verba loquelis,
Carnis in effigie Chriſtum ſe cernere ſenſit.

276. *Contra Vnionitas.*) Sabellius Pentapoli-
tanus Noëti diſcipulus, ſimiliter docuit vnã
eſſe tantum perſonam in diuinitate, & trini-
tatem tantum in nominibus, non in rebus
ac ſubſiſtentiis ſeu ὑποστάσεσι diſtinctis con-
fitebatur: vnde illius ſectatores Vnionitæ di-
cti ſunt. Vixit circa annum 260. Hiſtor. Ec-
cleſ. libro 7. cap 5. & lib. 10. cap. 29.

277. *Nemo Cloacinæ, aut Hippo.*) Rationes
quamobrem diuinauerim ita legẽdum, ſunt
eiuſmodi. Scribit Fulgentius ad Calchidiũ,
Vertumnum, Priapum, & deam ſtabulorum
(quam Apuleius Hippo ſiue Hipponem, alij
Hipponam nuncupant) inter Semonas deos
numerari qui tanquam cælo indigni ob me-
riti paupertatẽ cælitũ numero nunquã aſcri-
pti fuerunt. Quæ verba cum auctoris noſtri

UVA. BHSC. BU 10932

propositionem mire confirment & illustrẽt, satis argumento sunt deprauatos codices esse in quibus mutatis & transpositis litteris legitur.

Nemo Cloacinæ aut Typho super astra, &c.
Idem censendum est de iis in quibus paulo aliter.

Nemo Cloacinæ aut Eponæ super, &c.
Siquidem Lilius Gyraldus in historia de diis gentium manifestè conuincit hanc Deam à quibusdam male Eponam esse vocatã. Verè hoc illum dixisse, hinc facile est perspicere, cum dictionem medialongam corripuerint.

278. *Semifer & Scotus.*) Cum omnes gentes & nationes paulatim inciperent mitescere, déque ferinis moribus & victu nonnihil remittere, idque vel vsu aliarum gentium & commercio, vel sacra Iesu Christi fide annunciata: soli Scoti etiam tum sibi similes perstiterunt æquè scilicet feri ac bruti, vt testatur Hieronimus libro 2. contra Iouianum. Vbi sese ait adolescentulum in Gallia vidisse Scotos gentem britannicam humanis vesci carnibus: & cum per syluas porcorum greges, ac armentorum pecudúmque reperiant, pastorum nates & fœminarum papillas solere abscindere, & has solas ciborum delitias arbitrari. Hæc addo vt demõstrem non male

me

UVA. BHSC. BU 10932

me ex fide vetustorum codicum reiecisse id, quod erat in vulgatis editionibus.

Semifer & Gothus sentit, cane &c.

tum quòd verisimilius esset poetam finitimę regionis exemplum proponere, tum quòd omnes vno consensu primam in Gothus corripiant.

284. *Bacchantis energima monstri.*) Vsitatissimã fuisse eo tempore hanc græcam dictionem arguit titulus ille apud Sedulium lib. 3. De energumeno surdo mutóque curato.

290. *Contra homuntionitas.*) Hebionitæ alias appellantur ab hebione siue a paupertate, aduersus quos Paulus ad Galatas scribẽs inuehitur. Hi (teste Hilario lib. 1. de Trinitate) Christum ex viro & muliere natum esse, & rerum ab eo piè ac miraculosè gestarum nomine ἐπιφανίαν seu Deũ effectum esse asserebant.

291. *Vel (si concretas auditus.)* ex mole terrea quæ propriè bruta dicitur, compactus, eóque ad percipienda cælestia minimé accommodatus. Notum est axioma physicum, Sensus exteriores ad obiectum magnopere insigne hebere, eorúmque iuditium violari. Vel concretus, id est, stupidus, crassus, obduratius vt verbi causa in θλάσει. 1. compressione tortuosorũ flexuũ auris solet cõtingere.

UVA. BHSC. BU 10932

294. *Altius inspecta quem maiestate.*) Et si veteres formísque excusi codices paulò aliter hos versus & scriptos & interpunctos haberent, hoc tamen excuti mihi non potest, quin illi deprauati sint & ad hunc modum corrigendi vt sensus commodior eruatur.

298. *De natura animæ.*) De ea non minimæ tum temporis controuersiæ & hæreses extiterunt. Gnostici primum animam Dei naturam esse sunt commenti. Manichæi deinde eam ex Deo tanquam ex fonte aliquo manare sunt arbitrati. Arabici eam cum corpore mori & in nouissimo die vtrunque resurgere crediderunt. Marcion contra animã tantum saluari, corpus resurrecturum negabat. Tertullianus Aphricanæ prouincię presbyter eam immortalem quidem, corpoream tamen esse asseuerauit, & post mortem peccatoris seu praui hominis in dæmonẽ mutari. Prudentius omnes videtur perstringere ac refellere, non equidem speciatim nominatis auctoribus sed dum animæ conditionem ac naturam persequitur, illorum obiter rationes conuellens.

299. *Cuius simulatio in vmbra est.*) Recepta lectio fuit. cuius imitatio in vmbra est: sed versus illi reclamat ac sensus. Nam vmbræ non tam imitari quam simulare. Imitatio

UVA. BHSC. BU 10932

aliqu

aliquando exemplum propoſitum elegantia & dignitate vincit: ſimulatio omnis falſa eſt & vmbratilis.

304. *Quid peccatorum proſapia.*) Aldus hunc verſum omittit, iteratione vt opinor offẽſus.

Ibid. Aduerſus phantaſmaticos.) Huius dogmatis auctor extitit Manes Perſacirca annũ Domini 280. qui præter alia cum Marcione ſibi communia, Chriſto verum corpus fuiſſe negabat, ſed (vt item volebant Apellitæ) phantaſticum & aërium.

IN A῾MAPTITE῾NEIAN.

Hiſtoriam, quæ in Geneſi eſt de duobus Adæ filiis Deo immolantibus, allegoricè transfert ad quoſuis, qui aut maiorum veſtigiis inſiſtentes Chriſtum Dei filium verè agnoſcunt ipſique vni adhærent: aut peruicacis & craſsi animi impetum libidinémque ſecuti, ſeſe ipſi à piorum conſortio ſegregant, peſsima quæque ac teterrima in eccleſiæ perniciem comminiſcentes. Ex poſtremis, vnus fuit Marcion, qui Gnoſticos, Manem Cerdonémq; ſecutus, duos cõſtituebat deos pariter ęternos interq; ſe pugnãtes. Vnum quidem mundi conditorẽ, auctorem legis & prophetarum, κοσμοκράτορα, incon-

UVA. BHSC. BV 10932

ſtantem, ſanguinarium, omnis denique mali artificem: Alterum ſuperiorem & potentiorem, πλήρωμα πάντων patrem Ieſu Chriſti, qui legem ac prophetas diſſoluerit, omníſq; boni ſit auctor. Finxit idem ſtoicam neceſsitatem in bonis & malis actionibus multáque alia portentoſa delirauit. in eum ſcripſit Tertullianus. Videtur autem poeta in huius errore confutando omnem ingenij vim ac robur explicuiſſe. Materiam nanque difficillimam intricatiſsimámque de fato ac libera voluntate: mirum quanta verborum ac ſententiarum dignitate ac mole pertractet, ipſis rethorũ floſculis belliſsimè omnia reficiés, Adeo vt ex ſolo hoc poëmatio quis facile cõiecerit in quouis illum ſciẽtiæ ac litterarum genere excelluiſſe.

310. *Docet Duitas.*) Per Duitas Marcionis diſcipulos intellige. Ad nouam & monſtroſam hæreſeos ſpeciem exprimendam, nouum atque monſtroſum vocabulum effinxit.

312. *Hic qui caduci rem.*) Et hunc verſum Aldus omittens integram periodum in duas ſecat.

315. *Imperitare vagis.*) Neque iſtud quidem carmen Aldina habet editio, cui aſtipulatur vnus manuſcriptus, qui idem in verſu proximo nonnihil variat. Habet enim non reſolutos,

UVA. BHSC. BU 10932

lutos, sed, reuolutos.

237. *Vnde ait.*) Antea. Vade ait. Verum illud magis seruiebat, orationis connexioni. Facilis fuit lapsus ex mutatione litteræ u, in, a. Cum huc vsque annotationes meas perduxissem nuntiat quidam è meis Prudẽtium á Petro Henrico cum Hopperi cuiusdam præfatione recèns Basileæ excusum è nundinis Francfordiensibus adferri. ego eius editionis vidẽdæ cupidus, quòd sperarem huic nostræ ex ea aliquid vtilitatis posse accedere, confestim eam comparo. Sed ita me Deus amet, pro thesauro carbones. Nihil enim ille aliud quam vetera errata iterauit, vtinam non auxisset.

343. *Aegri reuerentis abyssus*) Attulimus è manuscriptis scripturam paulò commodiorem ea quæ est in excusis exemplaribus, nõ ignari interea, eam tum orationis, tum phraseos asperitate mollicellis quorundam auribus non esse satisfacturam. Sed quid agas? Si in sanando hoc vulnere tam fuissem crudelis medicus quam Manutius aliquando fuit (deletis enim ille septem carminibus hæc duo coniunxit,

Ambrosiúmque bibit roseo de gramine rorem,
Ditibus & longo fumantibus interuallo.)

nihil fuisset facilius. Sed aliud est corpus

UVA. BHSC. BU 16932

priſtinæ ſanitati reſtituere : aliud cũ melius poſsis, extremo remedio adhibito partem ali quam mutilare.

Saltem mitificos) Itane ô Prudenti tam abiecto quenquam eſſe animo? Aliud certè nobis ſpondent ſuaues illæ Euangelij voces. Siquidem propoſitis diuinæ gratiæ obtinendæ inſtrumentis, ſtrictè imperant vocationẽ noſtram certã faciamus, certóque & indubitato æternæ vitæ gloriam expectemus. Docéntque è contra infernũ ignem aut grauius ſupplicium deprecari, ſeruorum eſſe ſemper metuentium ac penè deſperantium, cum Chriſtus onus ſuum dixerit eſſe leue & iugum ſuaue, nullãque nunc ſic condemnatio his, qui in Ieſu Chriſto ambulant, vtpote qui factus ſit nobis à Deo ſapientia, iuſtitia, ſanctificatio, redemptio.

IN SYMMACHI RELATIONEM.

Intexuit eam huic operi Io. Sichardus Iureconſultus, qui cum auctorem obiter percurreret, quædam ad rerum inuentarum artificium pertinentia annotauit. Vtinam verò cum in aliis omnibus, tum in hac oratione perpurgãda paulò plus ingenij aut diligen-

UVA. BHSC. BU 10932

tiæ adhibuisset nobisque hunc laborem non leuem ademisset. Certè cum ego fine collatione exemplaris, & alia & hanc imprimis orationem euoluerem, videbar mihi in auium quoddam vepretum incidisse: adeo horrida, intricata, peruersaque erant omnia. Fidissimorum igitur codicum auxilio freti quicquid erat salebrarum sustulimus.

348. *Subacta legibus vitia.*) Latis constitutionibus è Rep. profligata damnatáque.

Ibid. Amicorum se studio præstare.) Hanc orationem, quia refectis iis quę suppositicia erát vetus exemplar ita emendandam esse monstrabat, sic interpretor. Nulla hic (inquit) est dissensio voluntatum, omnes enim iam vulgo sibi persuasum habent summum animorum studiorúmque consensum sub vno præsertim principe, distractionibus, priuatísque certaminibus longè præstare.

349. *Quod si huius omnis.*) Variat hic nonnihil editio Sigismundi Gelenij, quanquam sententia eadem recidat. Legit enim, Quod si huius numinis nō esset iusta vsitatio: ornamentis saltem. &c. Atque ea lectio mirificè mihi placuit, magis tamen haud dubiè placitura, si non adeo à manuscripto recessisset. in quo ita, quod si ... omnino esset iusta curatio, &c. vbi ad marginem librarius er-

UVA. BHSC. BU 10932

rati notam apposuerat.

350. *Illa ara fidem connectit.*) Antea, fidem conuenit singulorum. omnino deprauatè. Nostræ autem castigationi occasionem dedit Ambrosianæ responsionis epilogus, in quo simili vtitur phrasi, cuius quidem epilogi partem, quia & ad intelligentiam horum videbatur facere, & mendo hactenus non caruit, vt in manuscriptis est adscribam. Vbi inquit (de Symmacho Ambrosius loquitur) in leges vestras & verba iurabimus? Ergo mens vestra, quæ legibus tenetur incluſa, cæremoniis gentium suffragium colligit, fidem stringit iam non solum præsentium, sed absentium etiam. & quod amplius est, Imperatores, fides vestra pulsatur. Vos enim cogitis si iubetis. Constantius augustæ memoriæ nondum sacris initiatus mysteriis, contaminari se putauit si aram illam videret. Iussit auferri, non iussit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc præcepti non habet. Nemo sibi de absentia blandiatur. Præsentior est qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. plus est mente connecti quàm corpore copulari. Vos Senatus cogendi concilij præsules habet. vobis coit, vobis conscientiam suam non Diis gentium præstat. vos liberis

UVA. BHSC. BU 10932

tis suis, non tamen fidei suæ præfert. Hæc est charitas expetenda, hæc est maior imperio, si fides tuta sit, quæ seruat imperium. Hæc ille. Mendum fuit quod ex duabus dictionibus istis mens vrã conciſè exaratis vnicam fecerant, scilicet mensuram. Cæterum priusquam ad alia trãseam, alium item locum in eadem epistola à mendo vendicandum putaui. Eum subiiciam. Statim post exordium, cum Ambrosius aram à Symmacho repetitam non debere ab imperatore Christiano restitui probasset, quòd illius tantum esset ea, quæ sunt Christi, curare: subiungit: Dum ea quæ fuerunt reposcunt, exemplo sui admonent, quantum Christiani imperatores religioni quam sequuntur, debeant deferre reuerentiæ, quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt. Dum cœpimus etiam sequamur: Nos sanguine gloriamur, illos dispendium mouet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant, &cæt. Viden in duabus postremis interrogationibus opponi populum Christianum ipsis imperatoribus? At qua tandem consecutione? Proinde nisi insigniter fallor, ita corrigendus est hic locus. Dudum cœpimus & iam sequuntur. Nos sanguine gloriamur, illos dispendium

VVA. BHSC. BU 1934

mouet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi iniuriam putant.&c.

Ibidem. Ordo Iuratus.) Vetus codex habet. Ordo diu ratus. quod etsi non omnino probem, notum tamen esse volui.

Ibidem. Si quis ante se alius deuiasset.) Expunxi particulam, non, ab imperitis insertam, exigente id ipsius orationis ἀκολουθίᾳ, propter illud, quod mox subiungitur, Corrigit enim sequentem lapsus prioris & de reprehensione, &c.

Pa. 352 *Quoniã paupertate à dispendio.*) Cui dubiũ esse possit, quin hæc germana sit lectio, quam attulimus, illa autem spuria, quoniam paupertate ac dispendio tutæ sunt?

IN PRIOREM CONTRA Symmachum.

Pa. 356. *Immansueta, suas.*) In excusis duo sunt verba. Quod vitium quandoquidem ex inepto illo & aspero scribendi more contigerit, mirari satis non possum quorundam superstitionem, qui ita sese manuscriptis statuísque addixerunt, vt vel latum vnguem ab iis recedere nefas existimẽt, nihílque vel tempori, vel receptę communibus suffragiis consuetudini, vel ipsis denique auribus dandum putant,

UVA. BHSC. BU 10932

putant,,cum tamen earum iudiciũ ſuperbiſſimũ dixerit eſſe Cic. in Oratore. Cuius viri teſtimoniũ ſi talibus non faciat ſatis, ipſum Virgilium proponam, qui quidem quantopere auribus conſulẽdum ſemper putauerit contra ipſas adeo præraucidas & fæcutinas Grammaticorum finitiones (vtar A. Gellij dictione) id ex Valerij Probi reſponſo intel ligere poſſunt. Apage mihi igitur ciuſmodi religioſulos cum ſuis librariis & ſtatuariis. Quaſi hi vero ad ſuam artem tantũ olim vel litterarũ, vel diligentiæ adiunxerint, vt nuſquam aut cæcutire aut negligentiores eſſe potuerint. Certè longè aliud noſtra ętate videre eſt. Proinde ſi Marci Scauri exemplum inſecutus, illuſtris, illudo, irradio, immanſuetus & conſimilia eodem modo ſcripſerim, non autem inluſtris, inludo, inradio, inmanſuetus: adeo nihil mihi ipſe largiri exiſtimo, vt alios diuerſo euntes itinere, errare prorſus dicam liberè, & delicatulis poëtarum ac Rhetorum auribus omnino iniurios eſſe. *Lib.* 13. *ca.* 19.

Pa. 366. *Decuit mortalis inire.*) Arridebat hæc phraſis potius quàm illa, ſubire coniugium mortale, præſertim cum in eandem ſignificationem aliud epithetum coniugij præmiſerit, terreſtre.

UVA. BHSC. BU 1893

Pag. 367. *Nunquam oculos.*) Vitium manifestum acciderat ex succincto illo scribendi modo. Vnicam enim vocem in duas secuerant. non qui, pro nunquam.

Ibidem. Delubrum Romæ.) Vt alibi sic & hoc loco suorum titulorum annotationibus orationem perpetuam scindẽtes, densissimas tenebras offuderunt. quod deinceps vitaturi, eas omnes è perpetua serie Aldi exemplo eiecimus, totam orationem tanquam filum filo appendentes.

374. *Quacunque Latina vetustos.*) Per viam Latinam, quæ ad meridiem vergebat, & Salariam quæ è regione ad Septentrionem, synecdochicè Romanę vrbis totum ambitum intelligit. perperam in impressis, quęcunque latina vetustas.

IN ALTERVM.

385. *Sum plane temerarius.*) Hinc euidens est, quantæ auctoritatis homo iste fuerit, tum quòd optimo & nobili genere prognatus principem locum apud suos teneret (præfectus nimirum vrbis, & Romanarum cęremoniarum pontifex existens) tum quòd grauí augustóque dicendi artificio ac rerũ peritia facilè cæteros omnes vinceret. Beatus

Ambro

UVA. BHSC. BU 10932

Ambroſius ſanè in ſua ad Valentianum Auguſtum apologia non dubitauit orationis aſperitatem deprecari, peteréque non verborum elegantiam, ſed ſolam vim rerũ ſpectari. Neque illud omittendum Claudianũ, & Auſonium à Chriſtiana religione ad veterum Deorum cultus eiuſdem eloquẽtia eſſe pertractos. quod fide carere videretur (diuerſum enim eorum ſcripta loquuntur) niſi beatus Auguſtinus in lib. de ciuitate Dei ita eſſe confirmaſſet, extaréntque Symmachi ad vtrumque amiciſsimæ epiſtolæ. Aliorum nihilominus iudicium eſto.

Pag. 391. *Robur eneruatum.*) Monui ſupra poëtam corripere primam in verbo, eneruare. eóque facilius adductus ſum, vt primum & alterum verſum poſt hunc eximerem fretus vetuſtis exemplaribus. Leuitatis enim & inconſtantiæ inſignis eſſet eandem ſyllabam modo cõtrahere modo protrahere, & id quidem ſolummodo, vt inſulsè & incõditè idem bis repetatur. Verſus hi ſunt.

Eneruare ſuum corrupta per ocia robur
Poſſet, & in nullo luctamine pigra iaceret.

Ibidem. Et ſpecies tenues) Ita meus manuſcriptus, rectiſsimè ex mea ſententia. Reſpicit enim ad illud, quod modo, ſpecioſáque ſemina finxi. Nam cum ea ſpecierum ſemina

UVA. BHSC. BU 10932

dixisset esse maximè varia, fœcunda, maximíque momenti, subiungit, eadem esse tenuia fragilia & momentanea: hoc ipso nos admonens iis parcè & certo modo vtendum esse, si animæ & corpori prodesse volumus.

Pa. 404. *Nosse Deum.*) Antea esse Deum. & sequens versus ita, quemadmodum & alter pag. 420.

Nec præscripto aliquo pelit pia vota mathesis.
In magicas artes trahit, involútque mathesin.

De quibus iterum sic habe. pessimè illos fecisse, qui, si quæ ad Grammaticorum canones non quadrabant, ea statim corrigenda esse existimarunt, non cogitantes interea sese aliena præ manibus habere, & sobriè ac religiosè talia esse contrectanda: ac proinde castigantis laborē in eo debere versari vt auctor quam maxime sibi similis, idémque ipsus euadat. Quod vt fiat, tria hæc semper consyderanda existimaui: quo tempore, quo religionis statu, qua denique ætate quis aliqua conscripserit. Ego (exempli causa) scio Prudentium eo vixisse seculo quo poëtę in rythmicos paulo post degenerarunt, qui cum primum multas carminum leges licenter contempserint, nullas postea obseruarunt, vt in hymnis ecclesiasticis cuiuis vi-

UVA. BHSC. BU 10932

dere est. Scio deinde Christianum fuisse, quorum stilus longè ab aliis dissentit. id qui scire volet, conferat Symmachi relationem cum Ambrosij responsione: Paulinum, Iuuencum, Sedulium, Fortunatũ, Victorium, Hilarium, cum Ausonio, Claudiano eorumq; similibus. ne viuam, si non diuersissimo vtrosque dicat vixisse seculo. Scio denique eundem sexagenarium pene hæc simul omnia fecisse, quo efficitur, vt qui sępius illum legerit, facillime quæ alterius quęque ipsius sint dignoscere queat. Nos igitur (vt ad rem redeam) compertum habentes familiare poëtæ vicium, quod supra ostẽdi hæc & similia locum occupantia nõ suũ, ex indicio vetustorũ codicum resecuimus, germana substituentes.

Pa. 408. *Cornice vel sic ne parrha.*) Corrupti sunt codices, & in quibus, parta, & in quibus, parca, loco nominis fixi cõtinetur. Festus autem oscines aues Appio Claudio dici ait, quæ ore canentes faciant auspicia, vt coruus, cornix, noctua: Alites, quæ alis ac volatu, vt buteo, sanqualis, aquila, immissulus, vulturius: picum autem martium, feroniumque & parrham & in oscinibus & in alitibus haberi.

Pa. 417. *Quadrupes abiuncta*) numeri ęquabilitatem seruandam esse monebat manu-

UVA. BHSC. BU 10932

ſcriptus. Antea.

Quadrupedes bipedi abiunctæ, mutæue loquenti.

Pa. 420. *Multiplicis dux Dæmon at eſt.*) Quid & ingenij & codicum veterum auxilio hic ſit præſtitum, ſciet, qui vulgatã editionem cum noſtra comparabit. vtinam ſit aliquis.

421. *Haud venit a.*) Et hîc coniectura ſola ſum vſus, ne quid diſsimulem. In aliis eſt, aut veniat ſicco. &c.

422. *Pallas in his quoniam.*] Alij interrogant, atque ita legunt.

Pallas in his quónam veſtalis origo fauillæ eſt?

IN ENCHIRIDION.

Hanc præfationem Aldus non enchiridio præpoſuit ſed ſubiunxit, tanquam epilogum totius operis cũ hoc titulo. Ode in qua poëta de ſe loquitur. In codice fideliſsimo eam libro περὶ στεφάνων præfigi video, quam locationem vtcũque probo. Admiratione enim non caret, quòd cum alibi ſemper præfari ſoleat, in ſolis coronis ſine proæmio exordiatur. Nolui tamen hoc mihi ſumere vt ſine neceſsitate grauioribusque argumẽtis carmen iſtud in alium locum tranſponendum putarem. Quod ad primum verſum attinet, eum è manuſcripto ad verbũ deſcripſi, tum quod

ad

UVA. BHSC. BU 10932

ad ſententiam omnino deſiderari videbatur, tum quod carmẽ Iambicum orationem ſemper finiens, poſteriore loco ponẽdum erat ad illius Horatiani formam.

Non ebur, neque aureum
Mea renidet in domo lacunar.

Vltimum carmen, Quo regente viuimus, vt ſpurium Manutij exemplo ſuſtulimus.

Pag. Actio fallax) vt referatur ad Ioſephum qui fratres rei geſtæ ignaros aliquandiu ſuſpenſos tenebat. In aliis eſt, auctio fallax proditur, poteſtq; intelligi de ipſis fratribus qui Ioſephum Aegyptio mercatori vendiderant, mentientes patri a feris diſcerptum eſſe.

Pa. 436. *Quod gradibus quos*) Antea, tot gradibus, quot veſpera &c.

Pa. 437. *Laterum compago duorum*] In aliis, lapidum compago nouorum.

439. *Sanguis victoria lympha lauacrum*) de auctore huius enchiridij ſiue dittochæi ambigãt qui velint, ego mehercule (vt ingenuè fatear) etiamſi velim, dubitare nõ poſſum. Omnes enim codices ſcripti, excuſi, quos quidem mihi videre licuit, Prudẽtij nomẽ adſcriptum habent. Stilus deinde, verba, ſententiæ, phraſes, allegoricæ traductiones, omnia denique Prudentium ſapiunt, redolent, loquuntur. Argumento ſit vnus hic locus ad verbum ſupra

UVA. BHSC. BU 10932

repetitus in hymno de Christigestis.

O nouum cede stupenda vulneris miraculum,
Hic cruoris fluxit vnda, lympha parte ex altera.
Lympha nempe dat lauacrum, tum corona ex sanguine est.

HACTENVS è locis mille & amplius restitutis, ea explicuimus, in quæ lector minus prudens, aut plus satis prudens calumniator impiugere posse videbatur, dedimúsque omnino operam, vt ad iustam exactámque editionẽ aut parũ aut nihil desyderaretur. Quod si sum cõsecutus, est profecto quòd laborem hunc satis grauem, meísque studiis parum vtilem mihi ipse gratuler. Iam enim quartus agitur annus, cum primũ me huic recognitioni dare cœpi, adiutus a necessario meo piæ memoriæ Arnoldo Laurentio Berchemo, cuius ante duos annos poëmata edidimus. Ab eo vsque tempore, cum ille è viuis sublatus esset, frequente & fortasse nimia eiusdem auctoris lectione, quod ætati iudiciíque maturitati deerat, existimo compensari potuisse. Nam stylo sic satis perspecto, non magnopere in re laborandũ fuit vtpote facili & cuius nota. Neque enim (vt & hoc liberè dicã) in eo adhuc Erasmo assentiri possum, qui in apologia quadam contra Latomũ negat Prudentium pueris prælegẽdum esse, quòd a solis

UVA. BHSC. BU 10932

lis Theologis queat intelligi. Quæ tandem sint illa obscura & à cõmuni puerorum captu abstrusa, nondum potui reperire. Si de Apotheosi loquitur, (vt reuera loquitur) fateor quædã esse ab vsitata puerorum cognitione nonnihil remota quæ nimirum quæstiones de diuinæ triadis essentia controuersas concernunt. Sed quantulum id quæso? Imo si in ipso dicendi artificio nihil requireremus, quantò maiore facilitate, quanto vberiore Reip. Christianæ fructu hæc à pueris addiscerentur, quam vanæ illæ poëtarum historiæ seu potius fabulę, in quibus non exigua temporis portio miserrimè conteritur. Accederent aliæ commoditates multo maximæ, quas hic recensere neque huius est loci neque nostri instituti. Vt igitur ad Prudentium redeam, & si nulla alia iusta sit causa, cur omnium manibus teratur, quam quòd non leue sit incitamentum ad honestissima quæque tentanda, certè vel vna hæc ratio satis valere debeat. Nam (libeat paucis euagari) quid non castum, quid nõ pium, quid non sanctum in eo est reperire? Totus est in agendis Deo gratiis eiusque munificẽtia amplicãda: etiã minutissima in illius laudẽ conuertit. Martyres pręterea) quorũ hstoriã multis de

UVA. BHSC. BU 10932

cauſſis in eccleſia retineri & conſeruari neceſſum eſt, quod certiſſima ſint conſtantis in Deum fidei, pietatis, ſanctimoniæ, omnis denique perfectionis & virtutis exẽpla) martyres inquam ſuis laũdibus exornat, dum veriſsima eorum vocationis doctrinęque argumenta, mirandas liberationes, ſanctiſsima exercitia & ſtudia, mortis denique genus gratæ & memori poſteritati litteris commẽdat. Quid hoc fieri poteſt religioſius? quid in exẽplum dignius trahi. Poſtremo, quando illi cũ hoſtibus res eſt, ſiue internis corpori, (vitia animíque cõcupiſcentias intelligo) ſiue externis nempe hæreticis, ſiue gentibus idolorum cultoribus, Deus bone, quanta animi alacritate eos aggreditur? quo ardore depugnat ac proſternit? Militem dicas adhuc eſſe, nõ poëtam. Sunt tamẽ nonnulla, quę cenſoriam notã nequeunt effugere, verũ in iis poëticam libertatẽ lector candidus agnoſcet, non ignarus interea iã inde ab eo tẽpore optima quęque ac bene conſtituta cœpiſſe fluere, ac retro ſublapſa referri. Hæc Lutetię pariſiorum, calendis Maij, anno Chriſti. 1562.

FINIS ANNOTATIONVM VICTO. GISELINI.

ERAS-

UVA. BHSC. BU 10932

ERASMVS ROTERO-
damus caſtiſsimæ puellæ
Margaretæ Roperæ.
S. D.

TOTIES *iam prouocor tuis ſoro-*
rúmque tuarum litteris , optima
Margareta, tam ſanis, tam argu-
tis, tam modeſtis, tã candidis, tam
amicis, vt etiam ſi quis titulos de-
trahat, Thomæ Mori, γνήσιατέκ-
να poßim agnoſcere. Ne vero ſemper videamini ceci-
niſſe ſurdo, ſtudiis quibus obruor, paululum ocij ſuf-
furatus, hiſce diebus Natalitiis, parauimunuſculum,
quod ſpero vobis non ingratum futurum. Quod
felix ſanctúmque ſit, Gulielmus Roperus ea morum
integritate, ſuauitate, modeſtiáque præditus, vt ni ſpõ-
ſus eſſet tuus, germanus videri poſſet: dedit tibi auſpi-
catiſſimas coniugij primtias , aut ſi mauis, tu illi de-
diſti, vel vt verius dicã, vterq; dedit alteri παιδίων,
quod diſſuauietur. En mitto tibi & alterum puerum
multo auſpicatiſſimum Ieſum naſcentem Iudæis, &

UVA. BHSC. BU 10932

mox illuceſcentem gentibus, qui connubij veſtri prouentum bene fortunabit, quique ſtudiorum veſtrorum verus erit Apollo, cuius laudes; prio feſcenniris tuis infantulis lyræ poteris occinere. Solus enim hic dignus eſt, qui fidibus, qui fiſtulis, qui voce, qui muſices omni genere, ſed præcipuè modulatis piæ mentis affectibus iugiter celebretur. Non dedignabitur à talibus coniugibus decantari, quorum ea eſt vitæ totius puritas, concordia, trãquillitas, ſimplicitas, vt ægrè reperias virginitatis profeſſores, qui ſe auſint comparare. Rarum exemplum hoc præſertim ſeculo, ſed quod video breui ad plures permanaturum. Habetis iſtic Reginam, velut iſtius ſanctiſſimi chori Calliopen. Sunt & in Germania familiæ non obſcuræ, quæ nutiquam infeliciter meditantur, quod vos hactenus feliciſſimè præſtatis. Bene vale non infimum æui Britanniæq; tuæ decus, & totũ iſtum chorum mihi ſaluta diligenter. Ba ſileæ ad Chriſti natalem,

Anno.

M. D. XXIII.

COM.

UVA. BHSC. BU 10932

COMMENTARIVS IN HYMNVM PRVDENTII, DE natali puero Iesu, per Erasmum Roteroda-mum.

*

CARMEN *Iambicum primum conuitius repertum est, quod brevis syllaba addita longæ, velut exprimat ictum ferientis, ac subinde repetentis: quemadmodum Pirrhichius tumultum accurrentium ad pugnam. verum posteriores quoduis argumentum accommodarunt Iambis; quemadmodum & Elegis, qui primum inuenti sunt querimoniis. Ambrosius hoc genere potissimum est delectatus, in quo illud à nobis obseruatum est, quod plerunque penthemimeris finit dictionem, & ab hac dictio trissyllaba claudit dimetrum. Quæ compositio carmen facit mellissimũ, vt: Deus creator, hæc est penthemimeris. Sequitur dictio dactylica, omnium. Rursus: polique rector: sequitur, vestiens. Item: diem decoro: sequitur, lumine. Rursus: noctem soporis: sequitur gracia. Id frequen-*

UVA. BHS & BU 10932

tius fit apud Ambrosium, quàm vt casus videri possit. Nec infrequenter idem obseruat noster Prudentius. Certè in primis quinque versibus continenter obseruauit. Quid est quod arctum, post hanc penthemimerim, quæ finit dictionem, addit dactylum, circulum. Quanquam in genere carmen omne mollius est, quoties pentheminerim finit dictionem. Non est ignota libertas huius carminis. Recipit enim in locis imparis numeri, hoc est, primo ac tertio, pro Iambo Tribrachyn: vtpote respondentem Iambo, non syllabarum, sed in temporum numero. Nam longa geminum habet tempus. Præterea spondæum, & huic in temporibus respondentes, Dactylum & Anapestum. In locis verò paris numeri, hoc est, secundo & quarto, non recipitur nisi Iambus, nisi quod secundus admittit etiam Tribrachyn. Nam quartus non patitur nisi iambum aut Pyrrichium. Ambrosius tamen hac libertate verecundius est vsus. Anapestus gratiam habet primo loco, in tertio non item. Dactylus vtroque locò durior est. Veteres Iambicum meris Iambis contexebãt, quemadmodum spondaicum ex meris spondæis. Posteriores, quo carminis celeritatem temperarent, Spondæum admiscuerunt. Et hoc carminis genus putant esse mollissimum, quod alternat spondæis & Iambis, qualia pleraque sunt Ambrosiana & Prudentiana. Iam lucis orto sydere, Iam sol recurrens deserit. Est autem viuidum & affectuos com-

UVA. BHSC. BU 10932

congruens exordium, à dubitatione. Quid est quod arctum.) Porrò subitum illud conuenit Poëtæ, velut afflato prophetico Spiritu, quo nihil addubito, quin afflatus fuerit, quum hæc scriberet. Est autem illud hominis verè pij, nihil non vertere in occasionẽ pietatis. Itaque Prudentius, quod à solstitio brumali dies incipiunt crescere, torquet ad coniecturam pueri Iesu iam properantis ad exortum, quũ idem fiat singulis annis. Nec enim ideo dies increscebat, quod Iesus nasceretur, sed quod Sol ingressus Capricornum, citius relinquat oculos eorum, quorum orizon est sub sphæra obliqua, extra æquatorem habitantium: quẽadmodum vbi sol accedit ad Cancrum, iisdem dies est longior. Quoniam autem in rebus diuinis nihil fortuito geritur, non sine causa tempus hoc anni delectum est natiuitati Iesu. Refixerat vbique charitas. Ignorantiæ tenebris & caligine vitiorum obductus erat mundus. Philosophos tradiderat Deus in reprobum sensum, quoq; sibi magis videbantur sapere, hoc erant stultiores. Pharisæi suis cupiditatibus crassis excæcati, non perspiciebant, quid sibi vellet lex spiritualis. Reges ac monarchæ, quorũ arbitrio res humanæ tẽperabãtur, lapides & ligna pro Deo colebãt: quósque mortales adorabãt vt diis proximos, hi maiestatem suam mutæ statuæ submittebant, supplicantes his, qui mente vacabant: opem implorãtes ab his, qui sibi ipsi non valebant opitulari. Quædam gentes eò vesaniæ deuenerant, vt simias, canes, serpentes, bo-

UVA. BHSC. BU 10932

ues, ac cepe pro numinibus venerarentur. Erant apud quos pium haberetur, mactare parentes, & horũ vesci carnibus. Erant, apud quos religiosum erat, infantes incendio tradere. An nõ hæc erat altissima nox? An non lux illa naturæ, quam Deus primũ asperserat homini, sic in arctum erat contracta, vt penè fuerit extincta? An non & legis Mosaicæ lucerna, qua Deus rursus conatus est nostris tenebris succurrere, per Phariseorum cæcorum cæcos duces erat propemodum obruta sensu carnali? Habes noctem, & quidem brumalem. Frequenter autem in mysticis literis Dominus Iesus lucis vocabulo designatur. Sic enim Esaias: populus qui sedebat in tenebris vidit lucem magnam: & habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. Et Zacharias: Visitauit, inquit, nos oriens ex alto. Illuceſce his, qui in tenebris & in vmbra mortis sedent. Quin & ipse Dominus se vocat lucem mundi. Quod enim Sol est in hoc mundo visibili, hoc Christus est in mundo spirituali: quo qui caret, quantumuis doctus quantumuis ingeniosus, quãtumuis eloquens, cæcus est. In vniuersa verò mundi fabrica, nihil admirabilius sole, qui fons est luminis, omnia gignens, alens, prouehens, confirmans, viuificans, vegetans, omnia exhilarans, omnia prodẽs & arguens, omnibus reddens suum colorem, suamq; faciem restituens. Idẽ efficit exorta veritas Euangelica, qui est Iesus Christus. Ignorantia veri nox est, peccatũ mors est. Qui viuũt, in luce versari dicuntur:

UVA. BHSC. BU 10932

& qui vitã relinquũt, sub tenebras abire vulgò dicũtur. Nox autẽ somno data est, & somnus mortis imago est. Itaq; mortales noctu quodammodo mortui sunt, donec exortus Sol expergefaciat oẽs ad vitam. Quẽadmodũ Sol hic, quẽ oculis corporeis cernim⁹, nũquã amittit lucẽ suã, siue cernatur, siue nõ cernatur: sed tamẽ nobis nox est, quoties interiectus terræ semper illũ ab oculis nostris: ita Christus nũquã mutatur in seſe, verũ quorũdam animis exoritur, atq; ibi dies est: quorũdã nõ exoritur, ibi nox est. Quẽadmodũ autẽ Sol, quũ abditur, dicitur occidere: quum exoritur, nasci: sic enĩ Flaccus, aliusq; & idẽ nasceris: sic Christo oriri nasci est. Sẽper autẽ à patre nascitur, velut radius æternus, à Sole sẽpiterno. Nobis aũt exort⁹ est alio modo, cõdita huius mũdi mirabili machina. Rursus piis mẽtibus frequẽter exoritur, ac in diuersũ mutatis occidit. Sed visibiliter exortus est, prodiẽs homo fact⁹ ex vtero castissimæ virginis. Hæc enĩ erat illa mystica porta spectãs ad Orientẽ, vnde emersit vnicus ille Sol, illuminans omnẽ hominẽ veniẽtẽ in hũc mundum. Hic nobis sit modus præfationis, licet non extra rẽ. Nic ipsum Pindarum nostrum audiamus.

Quid est quod arctum circulum
Sol iam recurrens deserit?)

Omnia corpora cœlestia, vt sunt sphæricæ figuræ, quæ putatur esse perfectissima, ita motum habent sphericũ. Quæ proxima sunt polis, arctiore circulo circumagũtur. Circulus brumalis nõ habet [illegible]

UVA. BHSC. BU 10932

octo horas diei in orizonte nostro, quum circulus solstitialis alicubi habeat sedecim : alicubi octodecim vnde vocat arctũ, non quod sol minus conficiat spatij, sed quod quibusdam paucioribus horis appareat, ob sphæræ obliquitatem. Recurrens) apto verbo est vsus, quasi sol gestiat ac festinet augere diẽ ob exortum pueri. Fugace) Quum fugax significet fugientẽ, tamen iuxta nominis rationem magis videtur dictũ à fugando, quàm à fugiẽdo. Venustè dixit, gratiam, lucem, qua nihil lætius, quum nox adferat mœrorẽ: & fugacem dixit, properantem abire. Est grata emphasis & in voluendi verbo. Sensim recisa) quod in sensibilibus gradibus sol ascendat aut descendat in zodiaco. Suductam facem) ἐδιηῶς dixit. Nam hoc ipsum est extinguere diem, subducere facem. Est autẽ non iniucunda phantasia Poëtica. Fax circumfertur, ac paulatim decrescit, donec planè deficiat. Exaggerat autem molestiam diei tam breuis, vt amplificet gratiam diei crescentis.

Cœlum nitescit lætius,)

Habet & cœlum suam quodammodo faciem, obductum nubibus triste dicitur, quum sudum est, dicitur lætius: hoc est enim propriè nitescere. Gradatim.) Nam signa per quæ Sol ascendit ac descendit, per gradus distinguuntur ab Astrologis. Lineas) translatum est à stadiis. vbi linea præscribitur, vnde cursus incipit. Sic & Astrologi lineas quasdam imaginantur in cœlo, per quas Sol feratur, sic, vt nobis

nunc

UVA. BHSC. BU 10932

nunquam eadem redeat linea. Priores) autem dixit, pristinas. Nam prius nonnunquam dicitur, quod potius est ac melius.

Emerge dulcis pusio,
Quem matris edet castitas,)

Iam velut auidus exoriturae lucis, per apostrophen inuitat infantem, vt emergat è virginei corporis latebris. Dulcis) epitheton est filiorum. Sic Flaccus: domũ atque dulces liberos. Pusio) diminutiuum est à puero, aptum blandienti. Edit) pro parit. Et matris castitas) dictum est tropo, pro casta mater. Iuxta naturae vulgarem cursum, mulier nec concipere potest, nec parere, nisi violata membranula, quae virginem distinguit à corrupta, Sed Dei filius sic illapsus est per aurem virginis in sanctissimum vterum eius, vt nullam corporis partem violaret. Nascens tamen prodiit ex ea parte corporis, qua solent & ceterae mulieres parere. Quamuis autem hoc non palàm exprimunt Euangelistae, partum hunc non aperuisse virginis vterum, sed illaeso pudoris signaculo prodisse, sine dolore nixus, sine diductione partis, qua fœtus emergit, sine repurgamentis, quae fœtum comitari solent, tamen plausibilius est, ac magis pium, mea sententia, credere, quod à doctissimis simul ac sanctissimis patribus traditũ est. Parens & expers &c.) Hi duo versus diriusculè cohærent cùm superioribus. Sic autem ordinàdi sunt: castitas, hoc est, virginitas: parens, id est, genitrix,

UVA. BHSC. BU 10932

pro eo quod erat absq; tropo: virgo parẽs, hoc est, mater, & tamen expers coniugis, id est, intacta marito. Iam mediator & duplex genus) referendum est ad id quod præcessit: Emerge dulcis pusio mediator &c. Mediator apud Latinos auctores nõ inuenitur. Sed nos exprimimus Græcam vocem, qua apostoli vsi sunt, μεσίτης à verbo μεσιτεύω quod Latini nescũt. Coniungit autem in vtroq; duo miranda: in matre fœcunditatem coniunctam virginitati, in puero diuinam naturam cum humana copulatam in eadem hypostasi, vnde & duplex genus appellatur. Decebat autem, vt qui genus humanum Deo reconciliaret, vtriusque naturæ particeps esset. Oportet enim intercessorem vtriq; parti familiarem esse.

Ex ore quamlibet patris
Sis ortus, & verbo editus:)

Esaias ita loquitur de Christo: Generationem eius quis enarrabit? Quod non solum de natiuitate diuina dictum videtur, verumetiam de humana. Est autem quadruplex Christi natiuitas. Iuxta eam, quæ nec cogitabilis est homini, sine initio, sine fine se reperit à patre nascitur semper natus fuit, Deus ex Deo, omnipotens ex omnipotente. Quod enim est homini sensus aut cogitatio tacita mentis, hoc filius Dei est patri. Est enim æternæ mentis æterna cogitatio. Mens autem gignit cogitationem, & cogitatio iam in animo concepta, sermo quidam mentis est, quo homo sibi loquitur. Hæc imago vtcunque nobis adumbrat natiui-

UVA. BHSC. BU 10932

tuitatem illam, quæ nec initium habuit, nec finẽ est habitura: quia sic filius nascitur à patre, vt de patris substantia nihil decedat: sic pater producit filium, vt tamen filio non sit prior. Cæterum condito per filium mundo, pater nobis velut eloquutus est verbum, & quodammodo rursus idem genuit, nobis illud reddẽs aliquo pacto visibile, quod erat inuisibile. Conspicitur enim in rebus conditis admirabilis Dei sapiẽtia, qui est Dei filius, & Dei sermo. Ex ore) Deus nec os habet, nec vllum membrum humani corporis, quemadmodũ somniabãt olim Anthropomorphitæ, quod in diuinis literis crebra sit de membris Dei mentio. Ne auertas faciem tuam à me. Auribus percipe clamorem meum. Nónne manus tua fecit hæc omnia? Inueni virum secundum cor meum. Oculi Domini super iustos. Fecit potentiam in brachio suo. Et cœlũ mihi sedes est, terra scabellum pedum meorum. Quoniam autẽ de sermone loquitur qui est filius Dei: quatenus filius est, nasci dicitur: quatenus sermo profertur. Ex corde nascitur, ex ore profertur, quũ cor & os Dei nihil aliud sit, quàm ipse Deus gignens ac proferẽs. Quamlibet) Recte docet Valla, quanquam & quãuis solere præponi in oratione quæ cõstat duabus partibus, vt: Quanquam alienus es, tamẽ te vt Christianum amo. Quamuis sis diues, non ideo ius habes in nos. Contrà fit in quamlibet, quæ proprium verbũ non habet, sed subiicitur: sic tamen, vt oratio possit in geminam resolui. Non enim pili facit te, quãlibet

UVA. BHSC. BU 10932

diuitem, vel quamuis diuitem. Nam quamuis vtranque naturam obtinet. Hanc annotationem Vallæ videtur neglexisse Prudentius. Et haud scio, an alicubi reperiatur etiam apud probatos autores. Certè apud Aurelium Augustinum reperio. Et verbo editus) Non est accipiendum, sermonem sermone esse prolatum, quasi duo sint sermones, alter proferens, alter prolatus, quod ab hæreticis quibusdam somniatum est, sed verbo dixit, pro ipsa prolatione. Quemadmodum enim sensus in animo nostro conceptus, qui prius διάνοια dicebatur, ipsa pronuntiatione fit λόγος sic sermo Dei ante conditum mundum semper nascens ex corde patris, nec inde recedens, sapientia erat: ea deprompta per mundum conditum, sermo nobis esse cœpit, per quem pater nobis loquutus est. Tamen paterno in pectore Sophia callebas prius) In sophia produxit syllabam mediam, sequutus accentum Græcum, quemadmodum & alicubi idem sequutus, corripit mediam in idola, & penultimam in paraclitus. Collebas) vt legas per geminum ll, metri ratio cogit. Positum est autem callebas, pro sapiebas: non quod in filio Dei prius sit sapere, quam nasci, sed quod ante mundum conditum mo Dei latebat in corde patris, æterni patris sapientia, Proinde Prudentius aut omittit hoc loco generationem illam, quæ nescit initium, de qua tamẽ alibi loquitur in hymno Trochaico: Corde natus

UVA. BHSC. BU 10932

ex parentis ante mũdi exordium: aut prior pars. Sis ortus, pertinet ad primam illam generationem, ac perpetuam: quod sequitur, & verbo editus, pertinet ad mundum conditum, ad quem refertur prius adverbium. Prompta) id est, prolata siue deprompta. Sic enim legis: Fiat lux, & facta est lux. Condidit.) Per verbum pater condidit mundum, non tanquam per instrumentum, quemadmodum faber dolabro vtitur ad fabricam, sed filius vnà cum patre condidit. Patri tamẽ tribuitur auctoritas, quod ab hoc sit filiꝰ & spiritus sanctus. Virtute verbi) ita Paulus ad Hebræos, per quẽ fecit & secula. Potẽs est regũ sermo sed sermo Dei est omnipotens. Proinde non mirum, si mundum hunc condidit. Nam sermo hic, sic manat à Deo, vt sit & ipse Deus, & sic depromitur ex ore patris, vt non recedat à corde patris. Ex rebus enim conditis nihil accedit aut decedit naturæ diuinæ quæ prorsus est immutabilis. Docet hoc Prudentius in his quæ sequuntur.

Sed ordinatis seculis,
Rerumq́; digesto statu,)

Scriptura sacra subinde secula vocat, quicquid in tẽpore conditum est, & ante secula, quod ante mundũ conditũ. Ordinatis.) Alludit ad Chaos, in quo confusa erant omnium rerum semina. Sic & Naso:

Rudis indigestaq́; moles,
Nec quicquã nisi pondus iners, congestaq́; eodem,
Non bene iunctarum discordia semina rerum.

UVA. BHSC. BU 10932

Sic in Geneſi diuiditur lux à tenebris, diuiduntur aquæ ab aquis, ſegregantur aquæ, & exiſtit arida. Diſtinguũtur ſpecies rerũ è terra naſcẽtium, diſtinguuntur animantium formæ, & ſuus cuiq; locus, ſua cuique vis tribuitur: hoc eſt quod ait, rerumq; digeſto ſtatu. Fundator ipſe & artifex) Qui fundat incipit, artifex perficit & regit. Prouerbiorũ octauo. Quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens. Per filium ſunt initia mundi, per filium digeſtus eſt, per filium gubernatur, per filium reſtitutus eſt, per filium conſummabitur. Ipſe dixit, pro idem, vt digeſto pro diſtributo. Neq; enim digerere eſt concoquere, ſed ſin ſuum quidq; locum diſponere. Et ſinum appellat pectus ſiue cor. Nam ſinus locus eſt cordis, vnde: In ſinu gaudere. In ſinum effundere.

Donec rotata annalium)

Semel deprompta ſapientia, condidit ac digeſſit mundum quum non eſſet. Iterum prolata, reſtituit mundum collapſum, hoc eſt hominem: cuius gratia condita fuerant omnia. Rotata) quod circũuolutione cœleſtiũ orbium diſtinguantur dies, menſes, anni, & ſecula. Milia.) Nã ab orbe conditio vſque ad Chriſtum, ſupputantur ſupra millia quingenta, centũ nonagintanouẽ. Atque ipſe peccantẽ diu) Quoniam fruſtra per Moſen data erat lex: fruſtra miſſi tot prophetæ, venit ipſe Dei filius homo factus. Sic enim loquitur Pſal. 39. Holocauſtum & pro peccato non

UVA. BHSC. BU 10932

po-

postulasti, tunc dixi: Ecce venio. Rursus apud Esaiã: Ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

Nam cæca vis mortalium)

Vim appellat multitudinem. Nec enim omnes colebant simulacra. Aut vim dicit, vt vires hominis distinguat à gratia Dei. Semel collapsi per peccatum Adæ, nihil aliud quàm peccabamus, semper in deteriora prolabentes. Inanes nænias) Nænias appellat simulacra, quibus veteres tribuebant mentem diuinam, quum nec humanam habeant, tametsi gerunt speciem hominis. Quamuis enim nænias vsurpemus pro nugis quibuslibet, tamen propiè nænia est cantio funebris, quæ frustra canitur mortuo. Reperitur & prò epitaphio. Porrò simulacrorum cultus primum hinc natus est, quod parentibus, regibus, aut alioqui benemeritis de genere mortalium, à morte ponebãtur statuæ, & his diuini honores exhibebantur. Quin Romæ solennis erat mos, Cæsares extinctos in deos referre.

Nec dum sequuntur perfidi,)

Christus Dominus est omnium. Diabolus tyrannus est, & prædo, qui sibi vindicauit quod erat alienum. Ille primus pellexit ad peccandum. Per peccatum autem regnabat, & per peccatum inuecta est mors. Porrò quisquis perpetrat peccatum, seruum se facit peccati, Et qui peccato est obnoxius, transit in ius & potestatẽ Satanæ. Atq; hoc chirographo totus mundus erat obnoxius diabolo. Perfidos autem

UVA. BHSC. BU 10932

vocat, quod desciscentes à conditore & rege Deo, defecissent ad muta simulacra. Vitam barathro Hoc notat quod dixi, per peccatum iuuasisse mortem. Per iustitiam regnum est Dei, & per iustitiam vita. Per peccatum tyrannis est diaboli, per peccatum est mors. Barathron Græca dictio est, significans locum profundum & obscurum, in quo seruantur nocentes, siue voragines, quæ fluuios absorbent, aut maria. Potest accipi de inferis, quò tum migrabant etiam priorum animæ, aut de morte æterna. Stragem) à bello ductũ verbum, à sternendo. Nam latè patebat tyrãnis Satanæ, ac velut impunè regnabat, totas nationes detrahens ad inferos. Impunè) id est, nemine vindicante, seu defendente. Frustra conditus erat mundus, si periret homo, cuius gratia conditus fuerat. Causam aperuit, quur Deus homo nasceretur.

Mortale corpus induit,)

Inscrutabile consilium est Dei, quare sic passus sit hominem labi in peccatum, & quare sic voluerit illum à peccato liberare. Conueniebat autem vt homo redimeret hominem, & per mortem mors tolleretur. Quod mortuus est, erat humanæ naturæ: quod resurrexit, erat virtutis diuinæ. Per mortem Christi abolitum est peccatum. Per resurrectionem, data est nobis spes immortalitatis. Hominemq; portaret patri) Alludit ad duas parabolas Euangelicas, altera est de oue erratica, quam pastor reportauit humeris suis. Pro nostris enim peccatis afflictus, cæsus, ac moriens,

nos

UVA. BHSC. BU 10932

nos suis impositos reddidit patrí. Altera est de Samaritano, qui saucium imposuit iumento suo. Iumẽtum) hoc est, corpus assumptum. Hic ille) Nã erant & alij dies natales, vt ita loquar. Hic est dies, qui nos asseruit patri. Per apostrophen sermonem vertit ad filium. Creator) Dicitur & sapientia Dei creata pro eo quod est, genita: quanquã hic creator munti potest intelligi. Animauit) Notat aduersus hareticos hypostasin Christi tribus constare naturis, diuina, anima humana, & corpore mortali, quod hic limum appellat: eo quod primus ille parens è limo factus sit, cui Deus inflauit spiritum vitalem. Sermone carnem) Sermonem appellat filium Dei, quod vocabulum illi propriè conuenit iuxta naturam diuinam, Inter corpus mortale & diuinam naturam, quasi glutinum fuit anima Christi.

Sentis ne virgo nobilis)

Rursus à filio sermonẽ flectit ad virginem grauidam. Et interrogatio facit, ad affectus alacritatem. Nobilis.) Sola enim virgo peperit & Deum peperit. Quanquam iuxta carnem quoque genus duxerit è stirpe Dauid. Matura per fastidia.) Matura dixit tempestiua. A fastu & tædio dictum apparet fastidium. Hoc quoties ad animum refertur, sonat in vitium. De grauida verò dixit Vergil.

Matri longa decem tulerint fastidia menses.

Tumorem vteri fuisse in Maria dubium non est: an senserit & gestationis tædium, incertũ. Probabi-

UVA. BHSC. BU 10932

lius est non sensisse, quemadmodum nec cruciatũ in partu. Euæ veteres pariũt cum dolore, quoniam cum pruritu libidinis concipiunt. Eua noua, quoniam in conceptu voluptatis titillationem non sensit, iure creditur ab omni gestandi pariẽdiq; molestia fuisse immunis. Pudoris intactum decus.) Virginitati etiam apud Ethnicos suus est habitus honos. Est enim veluti præcipuus decor ac flos humani corporis. Coniugatis autem vt probro dabatur sterilitas, ita gloriosum erat marito similem prolem edere, Sola Maria laudem vtranque tulit, & integritatis inter virgines, & fœcunditatis inter coniugatas. Nam vt multæ numerosius pariant, certè nulla peperit felicius. In aliis honor materni nominis ita succedit virginitati, quemadmodum fructus succedit flori. In Maria virginitatis gratia non est violata, sed cumulata dignitate partus.

O quanta rerum gaudia)

Multi putãt Sibyllam Cumanam, vaticiniũ quod Vergilius in bucolicis aliò detorsit, de Christo prodidisse. Ex poëtarum fabulis discimus, sub Saturno, quoniam mores hominũ erant incorrupti, seculũ aureũ fuisse, huic succesisse argenteũ, moribus longè deterioribus. Deinde veniisse ferreũ, omnibus ita corruptis, vt ne vestigia quidẽ extarent priscæ probitatis. Iesus autem natus, renouauit omnia, & auream ætatem nobis reduxit. Sic Vergilius ex sententia Sibyllæ: Magnus ab integro seclorum nascitur ordo.

Iam

UVA. BHSC. BU 10932

Iam redit & virgo, redeunt Saturnia regna.
Iam noua progenies cœlo demittitur alto.

O quanta rerum) *Rerum, addidit festiuitatis causa, quasi muta quoque & inania senserint voluptatem, nascẽte Iesu. Nouellum seculum*) *Vetus Adam docuit suos peccare: nouus Adam, est Christus Iesus, docuit innocentiam & obediẽtiam. Paulus iubet vt exuamus veterem hominem, hoc est, affectus malos, & induamus nouum, hoc est, agnum illum immaculatum, qui in Apocalypsi loquitur: Ecce ego noua facio omnia. Et apud Esaiam dicitur: Pater futuri seculi, princeps pacis. Non est autem pax impiis dicit dominus. Et lux aurea*) *Alludit ad aureum seculũ, quanquam solis fulgor propriè dicitur aureus. Luna habet lucem, sed non auream. Eximiam autem lucẽ vocat auream.*

Vagitus ille exordium)

Vagitus nomẽ & à sono fictũ, quod huius dictionis primã syllabã fœtus masculus prorepens ab vtero matris soleat edere. Nam fœminæ voce tenuiore magis sonant ve. Parum felix auspicium huius vitæ tot malis obnoxiæ. Qua de re vide Plin. lib. 7. cap. 1. In Christo contrà vagitus indicabat mundum renasci: quandoquidem qui baptizantur in Christum, per illum renascuntur: ac deposita vetustate prioris malitiæ, quasi modo geniti infantes, lac animi concupiscũt. Vernantis orbis) *Habet & annus seniũ suum. Extremus autumnus respõdet senectæ decrepitæ sicc⁹*

UVA. BHSC. BU 1093

ac frigidus. Bruma veluti fouet in vtero fœtum humidum & calidum: Eũ ver velut edit donec adolescat. Aestas virilis est ætas anni: vnde dixit, vernantis orbis, quasi renascentis, Cæterùm in illis regionibus vbi natus est Christus, hyems multo breuior est, quàm apud nos. Quandoquidem & Romæ post 16. diem Ianuar. iam terra meditatur repubescere. Nam tunc renatus sord.) Nondũ renatus erat mũdus, quia nondũ passus fuerat Christus, verùm is natus erat, per quem omnes renasceremur. Veternus, morbus est senibus familiaris, qui somnolentiam inducit ac sitim. Vnde Terentius veternosum dixit, senilem Eunuchum ac flaccidum. Addidit sordidũ, quod iuuẽtus habeat nitorem. Alluſit autẽ ad hyemem, in qua squalent ac torpent omnia: vnde & ignaua dicitur à poëtis, quòd tum cessent agricolæ.

Sparsisse tellurem reor)]

Non est fabulosum Iesu natiuitatem plenam fuisse gaudiorum. Conceptionẽ blando alloquio nũtiat angelus. Nato puero cœlestis auditur musica. Ostẽditur subita lux, pastoribus annũtiatur gaudium magnũ, ad stellæ fulgentis indicium accurrunt Magi. Cæterùm quod hic narrat Prudẽtius, iuxta tropologiam est intelligendũ, quemadmodum & illa quæ scribit Esaias cõsimili tropo. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, vitulus & leo & ouis simul morabũtur: vitulus & vrsus pascentur simul, requiescent catuli eorum. Et leo quasi bos comedet

UVA. BHSC. BU 10932

pa-

paleas. Et delectabitur infans ab vbere super foramen aspidis, & in cauerna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Item propheta Ioel: stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte, & per omnes riuos Iudææ fluent aquæ &c. Similiter Amos: Et stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Hæc enim specie non videntur admodum dissimilia his, quæ scribit Vergilius:

At tibi prima puer nullo munuscula cultu,
Errantes hederas passim cum baccare tellus:
Mixtaq; ridenti colocasia fundet Acantho.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Vbera, nec magnos metuent armenta leones,
Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
Occidet & serpens, & fallax herba veneni
Occidet, Assyrium vulgo nascetur amomum.

Cæteraq; quæ prosequitur ille ex Sibyllæ vaticinio. Ad hæc nimirum alluſit Prudentius, rus appellans homines incultos, nullis florentes virtutibus. Syrtes, barbaras nationes, quarum feritas & immanitas vix vllis disciplinis videbatur posse mansuescere, Hæ per Christum factæ bonus odor Deo in omni loco, quemadmodum inquit Paulus, pietate fragrantia superant nectar ac nardum.

Te cuncta nascentem puer)

Aperit allegoriam. Sentit de Scythis, Gothis, Hybernis, olim saxis ac scopulis similiores quàm ha-

UVA. BHSC. BU 10932

minibus. Hinc occasio veteris fabulæ de Amphione, qui testudine sua mouit saxa. Et Orpheo, qui cithara sua quercus post se taxerit. Fortassis hinc & Saxonibus inditum olim nomen. Nulla natio tam aliena fuit ab omni humanitate, nulla tam brutæ & effera, quam Christi iugum non emollierit ac cicura rit. Hoc enim est quod promiserat per Oseam prophetam, vt ex non populo fieret populus Dei. Et iuxta Paulum, vocentur ea quæ non sunt, tanquam sint. Saxorum rigor) Rigidum dicitur, quod frangi possit citius, quàm flecti. Vnde & saxorum rigor dicitur, & hyemis rigor, quod gelu reddat omnia fragilia. Erant olim gentes adeo ferę, vt nec legibus, nec armis, nec Græcorum disciplinis possent mansuescere. Solus Christus ex silicibus fecit homines. Nimirum hoc erat, quod Dominus minitabatur Iudæis, quod Deus potẽs esset de lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quod minatus est, fecit. Obduxit herbã) Hoc verbum est ex eorum genere, quibus in eodem sensu bifariam vtimur. Aspersit illi labem, & aspersit illũ labe. Induit illi tunicam. & induit illum tunica. Sic obduxit herbam cotibus, & obduxit cotes herba. Cotibus dictum est, pro cautibus, quemadmodũ plostrũ, pro plaustrum. Et haud scio an Prudentius scripserit, cautibus. Traxit & Vergilius hinc comparationem durę mentis & implacabilis: Quàm si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Iam mella de scopulis fluunt,)

Plus

UVA. BHSC. BU 10932

Plus dicit quàm Vergilius: Et duræ quercus ſudabunt roſida mella. Scopuli madent potius aſperdabunt roſida mella. Scopuli madent potius aſpergine ſalſi maris. Ilex eſt genus glandiferarum. Et poëtæ frequenter abutuntur ſpecie pro ſpecie. Sudans amonum) Amonum & frutex dicitur, & fructus fruticis, vuæ labruſcæ ſimilis, vnde dixit, ſudans. Eſt enim vnguentum, quod ſic redditur ab amomo, quẽ admodum thus aut gummi reſudat è ſua arbore. Eſt autem hoc pleriſq; commune. Vnde & ſtacte odoramenti genus Græcis, ſtilla dicitur. Iam ſunt myricis) Myrica humilis virgulti genus eſt, cuius meminit Vergilius in vaticinio Sibyllæ: Non omnes arbuſta iuuant, humileſque myricæ. Inter omnia verò vnguenta, primalaus eſt balſamo. Vide Plinij librum duodecimum.

O ſancta præſepis tui)

Coniungit inter ſe diuerſiſſima. Quid humilius cunabulis & præſepi? Quid ſublimius æterni regis nomine? Sic viſum eſt illi, qui nouauit mundum, ex humillimis & contemptis reddere ſublimia: contrà, quod altum erat, deiicere. Populíſque per ſecla.) Nõ omnia templa omnibus populis olim erant veneranda. Vnaquæque gens ſuos habebat deos. Tum autẽ & tempora variabant religionem, ioni ceſſit Saturnus. Hæc cunabula, quæ nobis dederũt regẽ æternũ, cunctis orbis nationibus veneranda ſunt, ídque per omnia ſecula. Regis æterni, cultus eſt æternus. Et omniũ regem, omnes meritò venerantur. Mutis & ipſis

UVA. BHSC. BU 10922

credita.) A priscis vsque seculis manauit ad nos pictura, quæ Iesu præsepi addit bouem & asinum, quod tamen in sacris literis nusquam apertè proditum est. Sed occasio sumpta videtur ex Esaiæ prophetia, quæ dicit, Cognouit bos possessorem, & asinus præsepe Domini sui: populus autẽ Israël me nõ cognouit, & populus meus non intellexit. Certè hunc spectauit Prudentius, Bos enim & asinus nihil credidere, sed barbaræ gentes, seruientes dæmoniis & cupiditatibus suis, ac brutorum in morem viuentes, credidere Christo, quam populus Israëliticus etiam hodie Christo rebellet. Indocta turba.) Turba, dixit contemptim, quam populus Israël esset populus electus, ac Deo peculiaris. Indocta, quia quod est omnium præcipuum, nesciebat Deum. Sed iudæi per legẽ nouerant vnicum Deum. Inde & christus insedit asino, qui gentium figuram habebat. Brutum pecus,) quod non sapit. Indocta, propter ignorantiam legis. Vas cæcus in pasta sita est, ob luxum & libidinem, cui seruiebant more brutorum animantium: quæ natura prona, & ventri obedientia fuit. Excors,) quia nondum habebat, quod optat David: Cor mundum crea in me Deus. Vnde præuaricatores iubẽtur redire ad cor.

Sed cum fideli spiritu)

Quemadmodum in distichis Elegiacis ferè pentameter absoluit sensum, ita in Iambicis dimetris offenatur, vt quarius absoluat: quod tamen perpetuũ non

nō est. Nam hinc pendet constructio, sed ita, vt prio-
res quatuor principale membrum absoluant. Sensus
est, quum ad Iesu cunabula concurrant pastores, cō-
currant Magi, concurrant Scythæ, Arabes & In-
di, gens pagana, quæ nihil secum adfert, præter sim-
plicē fidem, quum nec habeat legem, nec religionem,
nec beneficia, (Paganam vocant rusticam, & à sa-
cris alienam: quadrupedē, ob brutas cupiditates, qui-
bus anteà seruiebat) Tamen Iudæi, ex quorum gene
re prodiit Christus, negant & oderunt præsentem,
quem tot seculis expectarant, clamantes: Veni Do-
mine & libera nos. Veni & noli tardare, relaxa fa
cinora plebis tuæ Israël. Credas) credere possis. Nam
modus est potentialis. Venena) dixit veneficia, qui-
bus inducitur dementia. Furiisve lymphat.) Lym-
phati dicuntur phanatici, qui furore per numen ali-
quod immisso agitantur. Lympha enim aqua est. Et
creditum est olim, vt qui nympha vidisset in fonte,
furiis ageretur. Sunt & fontes, qui gustati demen-
tiam adferant.

Quid prona per scelus ruis?)

Apostrophe ad Iudeos. Agnoscimus, quod prius
cognitum nosse tamus & amplectimur. Prophetæ
& legis figuræ Christum depinxerant. Talis venit,
qualis erat promissus, & tamen Iudei nolunt agno-
scere. Resedit) pro reliquū est. Et integre dixit, pro sa
ne. Dacē tuorū principū. Haud scio an Prudentius
scripserit principū) vt duxerit quo intelligatur pri-

Universitätsbibliothek Paderborn

marius ac summus. Nam & Moses, & Iesu Naue, & Dauid duces erant. Sed hic erat omniũ dux. Ille eduxit Mosen ex Aegypto. Ille deduxit per desertũ, comitante illos petra: petra autem, vt scribit Paulus, erat Christus. Ille afflauit Samuelem ac prophetas, ille Dauid. Quanquam enim Christi vocabulũ pertinet ad naturam humanam, tamen ob hypostaseos singularitatem de homine prædicantur, quæ peculiaria sunt naturæ diuinæ, & contrà.

Hunc quem latebra & obstetrix,)

Rursus pẽdet post quartum dimetrum ordo, Duos depingit aduentus Iesu, alterum quo venit humilis, vt seruator omnium, alterum quo veniet sublimis, iudex viuorum & mortuorum. Qui hîc contempserũt humilem, illic formidabunt sublimem. Hunc) eundẽ. Veniet enim idem visibili corpore. Latebra) quia in obscuro oppido, in abiecto loco diuersorij. Et obstetrix) mulier contempta. Virgo facta) quo nihil incredibilius videbatur. Cunulæ) præsepe. Et imbecilla infantia. Nihil ea ætate contemptius. Hæc tã abiecta tamq; contẽpta regem dederunt vniuersis. A tã humilibus initiis Deus æternum illud regnũ voluit exoriri. Peccator) qui noluisti credere. Intueberis.) Videbunt in quem cõpunxerũt. A resurrectione nõ exhibuit se conspiciendum, nisi discipulis. In extremo die sese exhibebit omnibus. Celsum coruſ. nubib.) Sic ipse promittit in Euangelio: Amodo videbitis filiũ hominis venientem in nubibus cum maiestate patris.

UVA. BHSC. BU 10932

tris. Coruscis.) Sicut fulgur emicat ab vna cœli parte erumpens in diuersum, ita subitó videbitur. Deiectus ipse.) Tunc versis rerum vicibus, ille sublimis erit cum suis, cum quibus hic erat deiectissimus: & erunt deiectissimi, qui his videbantur sublimes. Irritis fletibus.) Tum enim sera erit pœnitentia, sed quisq; metet prout seminauit.

Cùm vasta signum buccina)

Magnificè dixit, vastam buccinam, quæ nusquam non audiatur. Sic Paulus: Canet enim tuba. Terris cremandis.) Vt per diluuium olim purgatus est mundus, ita tum per incendium purgabitur. Somniarunt hac de re nonnihil & Poëtæ ex vaticiniis Sibillæ, quæ multa refert Lactantius. Quanquam idem dicit Petrus epistola secũda, capite tertio: Cœli autem qui nunc sunt, & terra, eodẽ verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Ac paulo pòst: Aduenier autem dies Domini vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur: terra autem, & omnia quæ in ipsa sunt opera, exurentur, &c. Nam sat est indicasse locum, ad quem alluśit poëta. Et scissus axis.) Orbeis cœlestium corporũ per suos quiq; polos voluuntur, non aliter quàm rota volsitur per axem.

Iudæa tunc fulmen crucis)

Hoc carmen à sciolo depranatum restitui. Sic enim habebatur: Experta quæ sit senties. Quæ te

UVA. BHSC. BU 10932

furoris præsule Mors hausit, & mors redſdidit. Sensus hic est: O Iudæorum incredula natio, quæ Christum priori aduentu noluisti agnoscere, sed clamasti: crucifige, crucifige, nō habemus regem nisi Cæsarem, tunc quum videbis triumphale signū crucis è sublimi fulminis ritu perstringens oculos impiorū, per hoc agnosces, quis & qualis sit ille pridem cōtemptus, ac ludibriis affectus, quem mors absorbuit, te præsule furoris, hoc est te autore mortis, quæ Pilatum inuitum adegisti ad impium facinus, & mors reddidit, quēad modum Ionā absorbuit cetus, ac tertio die reuomuit.

ERASMI ROTERODAMI
COMMENTARIOLVS IN
Hymnum Prudentij de Epiphania Iesu nati.

*

CHRISTVS, *qui seruandis omnibus venerat, vnamquāque gentem captauit occasione rerum, quibus delectabatur, quibúsque fidebat. Iudæos allexit miraculis, Magos astrologiæ deditos, attraxit inditio stellæ peculiari luce fulgentis, & Græcis misit Paulum eloquentia pollentem, & appositum ad congrediēdum cū Philosophis,*

UVA. BHSC. BU 10932

losophis. Venit autẽ humilis, vt nos eueheret ad amorem rerum cœlestium. Ascẽdit in cœlos, ne per illum resuscitati ad vitæ nouitatem, posthac rerum humilium amore teneamur, sed eò ferantur studia nostra, quo præcessit caput nostrum. Itaque

Quicunque Christum quæritis,)

Stella Magis indicabat Christum, sed nobis Christum representat. Ille præuius in columna nubis & ignis eduxit filios Israël ex Aegypto. Idem nobis prælucens auocauit á tenebris peccatorum, ac viam nobis aperuit in patriam lucis æternæ. Descendit ad nos, vt dux esset in cœlum. Magi nisi sustulissent oculos in altum, non vidissent stellam: nos nisi cordis oculos erigamus in cœlum, nõ inueniemus Christum. Qui scrutantur venas auri & argenti, quorum animus semper est in scriniis, aut in patinis: qui latifundia iungunt latifundiis, quoniam oculos habent in terram defixos, non vident hanc stellam, Visere (pretiè est ire ad videndum, tametsi nonnunquam vsurpatur pro videre. Signum perennis) Sola gloria Iesu perennis est. Alioquin omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos fœni. Proinde qui gloriatur, in Domino glorietur. Signũ erat eius, qui lux est mundi. Stella corpus est lucidum. Ita Christus, quo nobis esset visibilis, carnem induit.

Hæc stella, quæ solis rotam)

Exponit quare dixerit, signum. Vincit decore ac lumine.) Non est verisimile stellam illam fuisse ma-

Bibl. BU 10952

iorem sole, sed gratia lucis antecelluisse. Sol enim sua luce perstringit ac percellit oculos obtuentium. Christus autem diuinitatis sue lucem cuius humana natura capax non erat, humani corporis familiaritate temperauit, vt possimus intueri. Et ideo subiicit Pro dentius: Cum carne terrestri Deum. Quoniam enim Deus vidit homines nihil amare posse, nisi quod viderent, fecit se nobis visibilem, vt vel sic amaretur. Et quoniam omnino confidere volebant homines hominibus, dedit eis vnum hominem, vt alienati a fiducia cæterorum hominum, totam fiduciam suam transferrent in hunc vnum hominem, qui neminem esset destituturus quod idem esset Deus.

Non illa seruit noctibus)

In exordio mundi Sol cõditus est, vt præesset diei: luna, vt nocturnis tenebris aliquod luminis solatiũ præberet: non quod luna non luceat aliquando interdiu, sed quod obscuretur claritate solis, quemadmodum & cætera astra, quæ non sequuntur lunam, sed luna lucente tamen apparent, alioqui luna maiores. Vt autem videantur minores, facit longius interuallum ab obtutu nostro, quum luna sphæram terræ proximam obtineat. Menstruam autem vocat, quod intra triginta dies peragat cursum suum in Zodiaco, quem Sol peragit anno. Ceteri quidã etiam tardius. Quoniam autem lumen habet mutuum à Sole, quum est illi proxima, nulla videtur, ac paulatim recedens à Sole, magis illustratur, donec aduersa soli

UVA. BHSC. BU 10932

sa soli toto orbe luceat. Inde rursus accedẽs ad Solem, decrescit. Vnde in literis mysticis rerum humanarũ gerit typum, in quibus multum est caliginis, nihil stabilitatis. Stultus, inquit, Sapiens, mutatur vt luna. Sol autem Christum designat, qui est sapientia patris, nullis obnoxia mutationibus aut vicissitudini. Quemadmodum dicitur annuum, aut diurnum, ita & menstruum. Sed sola cœlum,) Quia sola apparebat. Cœlum appellat aërem. Nec enim creditur illa fuisse in numero stellarum fixarum, aut errantium quæ vocantur, nec vlli affixa orbi, sed recens in hoc condita, vt per aërem incedens, magis indicaret æternam illam stellam Iesum Christum, in quem hæc verè congruunt, quæ dicit Prudentius. Cursum dierum.) Iuxta historiam non semper prælucebat Magis stella, sed quoties opus erat. Iuxta allegoriam Christus est stella sola possidens cœlum, dux & auctor omnis diuinæ veritatis. Hic est dies animorum, qui nescit occasum. De hoc vaticinatus est Balaam: Orietur stella ex Iacob.

Arctoa quamuis sydera)

Duæ sunt stellæ intra flexus anguis, quas Græci ἄρκτους id est, vrsas vocant, tam vicinæ polo Septentrionali, quem ab ipso ἀρκτικὸν appellant, vt nobis nunquam occidant Id indicans Verg. in Georg. scribit: Arctos Oceani metuentes æquore tingi.

Et Ouidius:

Magna minórque fera, quarum regis altera Graias

OVA. BHSC. BC. 10932

Altera Sidonias vtraque ſicca rates.

Siccas appellat, quod non mergantur: non quod vlla ſtella mergatur, ſed quod occidentes nobis videantur Oceano mergi. In ſe retortis motibus) Quoniam voluuntur circa polum, minimum conficiunt ſpatij, ſed videntur mox redire vnde venerant. Non occidunt, tamen plerunque fit vt non videantur, videlicet obductæ nubibus. Chriſtus autem neque nouit occaſum, nec vllis tenebris occultari poteſt. Hoc Prudentius ἀλληγορικῶς

Hoc ſydus æternum manet,)

Sydus ex pluribus conſtat ſtellis, vt vrſa, vt talrus. Stella ſingularis eſt. Aut igitur abuſus eſt voce ſyderis, quod apud Poëtas non eſt infrequens: aut ſydus appellat Chriſtũ, ſecum trahẽtem ſua mẽbra.

Triſtis cometa intercidat,)

Præter ſeptem præcipuas ſtellas, quas Græci planetas vocant, Latini errones, præter ſtellas fixas, quas innumeras habet octaua ſphæra, frequenter apparẽt nouæ ſtellarum ſpecies, inſignem aliquam fælicitatem aut calamitatem mortalium generi denuntiantes, Græci cometas vocant, Latini crinitas, horrentes, vt inquit Plinius, crine ſanguineo, & comarum modo in vertice hiſpidas. Sunt & pogoniæ, acontitæ, cecantiæ, lampades, aliæq; complures, ex forma quam oſtendunt nominibus inditis, de quibus tractat præter alios Plin. lib. 2. cap. 25. Dubitatum eſt autem, an hæ perpetuæ ſint, an ex tempore naſcantur, humore vim igneam

UVA. BHSC. BU 10932

igneam concipiente, & post occidant. Neque enim semper apparent in orbibus ipsis, sed frequenter in aëre hoc nostro, veluti Castores, qui videntur insidentes antennis, faces & bolides. Nec desunt qui putant nostras animas habere cognationem cum stellis, vt sua cuique sit peculiaris, quæ pariter cum homine nascatur & occidat. Hæc vtcunque habent, probabile est hanc stellam recens creatam fuisse, nec orbibus affixam fuisse, sed angeli ductu per aërem commonstrasse viam Magis. Tristis cometa.) Iuxta sensum allegoricum id accipiendum est. Nam & post Christum natum frequenter apparuerũt cometæ. Sed post exortam stellam illam Euangelicæ veritatis, non est quod quisquam timeat pestiferas Satanæ stellas, siue bellum, siue famem, siue pestilentiam minítantur cometæ, nihil est periculi his, qui sequuntur ductum huius stellæ, quæ est Christus Iesus. Et si quod est astrum.) Sunt & sydera parum prospera rebus humanis, quum occidunt aut exoriuntur, vt Orion, hyades, aut pleiades, quæ tempestatem adferunt, caniculæ cuius exortu solis feruor accenditur, feruent Maria, fluctuant in cellis vina, mouentur stagna, increscunt pestilentiæ, canes toto eo tempore in rabiem aguntur. Ea dicitur Sirius, à flãmæ candore: quamquam qui Græcarum vocum etymologiam cõtraxit, tot recitat opiniones, vt me pigeat referre. Iuxta tropologiam verò Sirius est Satanas, qui mẽtes hominũ ad insanos amores, ad bella, ad scelera concitat. Has

Vellicanus BIBLIOTECA 1093

stellas extinguit Christus exortus, ac prælucens mentibus nostris. Nec caret gratia, quod abusus est appellatiuo pro epitheto, Sirio vapore, quasi dicas: Italos mores, pro Italicos. Vaporem autem dixit exhalationem calidam.

En Persici ex orbis sinu)

Incertum vnde venerint Magi, nisi quod legantur ab Oriente venisse. Persis autem ad Orientem est Palestinæ, in qua est Hierosolyma. Periti interpretes.) Mox enim vt viderunt stellam, interpretantur natum regem. Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Porrò quos Græci Philosophos appellant, Persæ Magos vocant. Vetustissimæ Philosophiæ erat Astrologiæ studium.

Quod vt refulsit, cæteri)

Lucifer, cadẽ est Venus, qua nulla stella benignior, nec plus habens lucis. Nam & interdiu frequenter apparet, & sola omnium vmbram iacit super terrã: Nulla est gloria, siue prophetas & patriarchas conferas, siue Angelos, siue quicquid est in terris magnificum, quod Christi gloria non obscuretur. Globos autem dixit stellas, quod sphæricam habeant figuram, etiamsi nobis videantur radiis inæquales, ob interualli magnitudinem.

Quis iste tantus inquiunt,)

Describit stellã Christum ex significatione stellæ.

Astris imperãs) *quia cadũt & obscurãtur, Tremũt) id est, venerãtur, Lux & æthra) Æthra est purior cæli*

UVA. BHSC. BU 10932

cœli pars: habet enim & cœlum ipſum lucem ſuam.

Illuſtre quiddam cernimus,)

Nullum imperium humanum fuit aut erit perpetuum. Hæc ſtella ſignificabat regem, cuius nec initium fuerit, nec finis ſit vllus futurus. Vnde & diuinam naturam intelligunt. Nihil enim principio caret ſimul & fine, iuxta theologos, niſi ſolus Deus antiquior cœlo & Chao. Chaos fuit ante mundum conditum. Hoc itaque nihil antiquius.

Hic ille rex eſt gentium,)

Omiſſa præmiſſa perſona Magorum, quos fecerat loquẽtes, ipſe perſequitur ſermonẽ. Rex gentiũ & Iudaici populi) Iudæi Deũ appellãt Abrahã, Iſaac, & Iacob, ſed Euangeliũ docuit illũ eſſe regẽ omniũ gentium. Abrahã enim pater eſt omniũ credentiũ, & huius poſteris præſtatur, quicquid illi promiſſum. Iudæi ſunt, quicunque profitentur nomen Ieſu, & mentem habent à terrenis cupiditatibus circunciſam.

Aequanda nam ſtellis ſua)

Attingit hiſtoriam, quæ refertur Geneſis 22. Poſteaquam Abraham paratus erat immolare filium ſuum Iſaac, dixit illi Deus: Per memetipſum iurauí dicit Dominus, quia feciſti hanc rem, & non pepercíſti filio tuo vnigenito, propter me benedicam tibi, & multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.

Iam flos ſubit Danidicus)

Refert prophetiam, quæ eſt apud Eſaiam cap. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice

UVA. BHSC. BU 109B2ij.

eius ascendet, cuius allegoriam exponit. Ex Dauid filio Iesse prodiit Christus. Virga autem gestamen est regum, cuius viror significat perennitatem regni. Flos, insignem eminentiam. Ex humilibus initiis natum est regnum Euangelicum, sed rectitudine veritatis increscens, occupauit totũ orbem. Sequitur enim in eadem prophetia: Et percutiet terram virga oris sui: videlicet virgam indicans Euangelicæ veritatis, Subit autem dixit pro emergit quemadmodum Vergilius dixit subiicit, pro in altum iacit. Exin) id est, postquam apparuerat stella. Perciti) flagrantes amore videndi pueri. Stella) signum erat, sed vis quædam occulta afflarat illorum animos. Sulcum) Nauis dicitur poëtis sulcare mare. Ita stella videtur sulcare aërem. Prona face) velut adorabundũ. Caput sacratum) id est, puerum. Synechdoche est quemadmodum charum aut lepidum caput dicentes, totum hominem intelligi volumus. Quod) subaudi caput. Eoa) Orientalia, vel quod earum rerũ maximè fertilis sit oriẽs, vel quod ab Oriente venerint.

Agnosce clara insignia.)

Apostrophe est ad puerum. Puero, puer ô legendum est, Aliquis superscripserat o, vt indicaret vocandi casum esse: id scriba adiecit dictioni. Trinam indolem) In hypostasi Christi tres erant substantiæ, siue naturæ: diuina natura, anima humana, & corpus humanum. Verùm hic aliud annotat, tres velut personas fuisse in Christo: Dei, re-

UVA. BHSC. BU 10932

gis,

gis,& hominis,hoc est,sacerdotis.Quatenus erat homo, mortuus est, hoc est, immolauit seipsum pro peccatis mortalium.Huius rei typum habebat myrrha. Nam & sacerdotum erat,incendere thymiama, & defunctorum corpora myrrha oblinebantur , ne putrescerent . Rex erat, quoniam ipse dicit : Data est mihi omnis potestas in cœlo & en terra. Id indicabat aurum.Deus erat, edens miracula,seipsum reuocans in vitam . Eius rei figuram habebat thus, dicatum rei diuinæ.

Hoc est sepulcrum,quod (Deus)

Exponit allegoriam sepulcri.Quod animabus defunctorum est tartarus, hoc sepulcrum est exanimatis corporibus. Christus vt homo mortuus est, ac sepultus: vt Deus reuixit, clauso sepulcro Item huius anima vt hominis descendit ad inferos,sed vt diuinæ naturæ coniuncta , reuersa ab inferis , liberauit illic detentas.

O sola magnarum vrbium)

Apostrophe est ad Bethleem patriã Iesu. Allusit autem ad prophetiam , quæ est apud Micheam cap.5,Et tu Bethleem Effrata paruulus es in millibus Iuda.Maior magnarũ)dixit, pro eo quod erat, inter magnas maxima.Cœlitus incorpor.) Nõ quod corpus venerit è cœlo , sed quod absque viri semine, cœlesti opificio fœtus ille conceptus sit.

Altrice te summo patri)

Allusit ad prophetiam psalmi : Dominus dixit

VNIBAS BHSC BO 10932

ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem &c. Homo ex tonãtis spiritu) Homo erat, sed ex spiritu sancto conceptus. Deus erat, sed sub humano corpore, ita in vno summa inis erant coniuncta.

Hunc & prophetis testibus)

Persequitur quod dixerat hæres vnicus. Sator) hoc est, genitor erat Deus pater. Idem testator, quia instituit hæredẽ filiũ. Vnde & testamẽtũ vocatur nouũ ac sempiternũ. In testamẽto adhibẽtur testes ac notarij quo magis sit ratũ, Hi sunt prophetæ testes huius promissi, ac velut obsignatores testamenti diuini. Neq; enim liberũ, vt ita loquar, erat Deo rescindere testamentũ, posteaquam per prophetas erat proditũ. Quid igitur supererat, nisi quod erat legitimè promissũ præstaretur: et institutus hæres, iuberetur adire hæreditatẽ? Id quod factũ est, quum natus est Dominus Iesus Tum enim missus est, vt regnum assereret patri, cui ipse cõsors esset. Et cernere opinor dictũ, pro decernere. Deuincẽdus enim erat tyrannus Satanas.

Regnũ] inquã, nõ qualia sunt huius mundi, angustis circũscripta terminis, sed quod omnia cõplectitur. Diua) dixit, pro cælestibus. Sub dio, sub cælo. Et suspicor dia fuisse scriptũ. Tartara infra terrã sunt, angeli supra cælum. Et huc vsq; porrigitur hoc regnũ

Audit tyrannus anxius]

Christus rex erat, Satanas tyrãnus. Is per Hero dẽ belligeratur aduersus Christũ Audit ex Magis, & scri

UVA. BHSC. BU 10932

& ſcribis conuocatis, Anxius) Sic enim legis, turbatum regem Herodem.

Exclamat amens nuntio.)

Nuntium dixit, rem nuntiatam, Succeſſor) Chriſtus inſtat, quia iam natus. Pellimur.) Aliud erat regni genus, quã credebat Herodes: de quo elegãtem hymnũ canit chorus eccleſiaſticus: Herodes hoſtis impie, Chriſtũ venire quid times? Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia, Nemonõ execratur Herodis crudelitatẽ. Sed quicunq; dediti ſunt opibus aut honoribus huius mundi, ſimilẽ exercent crudelitatem in innocentes, quoties imminet periculũ, ne pereat illis, quod amãt. Ne qua) ne aliqua puerpera. Ita melius, quod amãt. Ne qua poſſit accipit pro tri ratio poſtulat. Alioqui ne qua) nuper nata. Animas ne qua via. Effuſa nuper) nuper nata. Animas nouas) Nam infundendo creantur. Rimatur) quia lethali vulneri locus quæritur.

Locum minutis artubus)

Mirè tractat hunc miſerationis affectum. Iugulóque maior pugio eſt) Quum pugio ſit gladiolus brevior, tamen iugulo maior. Eſt autem epiphonema rei narratæ.

O barbarum ſpectaculum)

Ad exaggerandam rei atrocitatem, ponit ob oculos varia mortis genera. Oculóſq; per vulnus vomit) Ex impulſu proſiliunt oculi. Lacteum cerebrum) nal lis adhuc pituitis, aut alioqui vitioſis humoribus corruptum.

UVA. BHSC. BU 10

Aut in profundum palpitans)

Quoniam infantis est tenerum corpus, & calore foueri solitum, palpitat ad sensum aquæ frigidæ. Singultit) Ob fletum sæpe singultiunt pueri. Hic frigus aquæ, & intercluſus halitus mouet singultum.

Saluete flores martyrum,)

Flos initium & spes est fructus sequuturi. Sic pueritia flos est ætatis. Sequuti sunt post vberrimi fructus martyrũ adultorũ. Hoc genus apostrophe conuenit epilogo generis Encomiastici.

Vos prima Christi victima)

Christiana victima est, mactare carnem cum suis concupiscẽtiis, quæ rebellant spiritui quemadmodum scribit Paulus Rom. cap 12. Exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam, Deo placentem, & rationabilem cultum vestrum. Sed præcipua victima est, vbi totum corpus pro Christi gloria impenditur. Ita Paulus ad Timotheum 2. cap. 4. Ego iam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Arã ante ipsam (pro ipsam legẽdũ suspicor, cuius. Palma & coron.) Dabantur & coronæ victoribus. Mirè seruauit decorũ personæ. Puerorũ est ludere. Ludum ante aram, in qua mactati sunt, sed ludunt palma & coronis, prius exempti vita, quàm scirent se viuere.

Quid proficit tantum nefas?)

Aduersus diuina consilia nihil valet humana vigilantia. Nihil non est factum ab Herode, ne Christus elaberetur, solus elapsus est.

In-

UVA. BHSC. BU 10932

Inter coæui ſanguinis)

Grauiter dixit fluenta ſanguinis: feſtiuiter autem, coæuum ſanguinem, eiuſdem ætatis infantium. Orbabat nurus) *Nurus dixit ſponſas. Orbatur, qui liberis priuatur, aut alioqui re chariſſima. Nec ſine tropo ferrum dixit gladium.*

Sic ſtulta Pharaonis mali)

Confert, hiſtoriam veteris teſtamenti cum hiſtoria Euangelica. Pharao rex Aegypti, videns increſcere populum Hebræorũ, iuſsit vt omnis fœtus maſculinus exponeretur. Moſes tamẽ expoſitus in Nilum, Deo volente ſeruatus eſt, inſcio rege. Confert igitur Pharonẽ cum Herode, Ieſum cum Moſe. Ieſus captiuos, ac diaboli tyrannide oppreſſos liberauit, ac cœleſtis Ieruſalem ciues fecit, Moſes ſuos ciues eduxit ex Aegypto. Receptorem dixit reſtitutorem. Cùm pondus alui) id eſt, cúm emitterent fœtum. Abſoluitur quod perficitur: abſoluitur quod dimittitur. Puerile (à puero dixit, Nam maſculum intelligit. Tollere) pro educare dictum eſt, ſiue ſuſtollere. Nam vetares partus, quos educãdos ſuſcipiebant ſuſtollere dicebantur. Alioqui tollitur, quod occiditur.

Mens obſtetricis ſedulæ)

Exodi cap. 2. narrat hoc factum à matre Moſi.

Ad ſpem potentis) Nam infantis indoles inſigne quiddam præ ſe ferebat.

Quem mox ſacerdotem ſibi)

Moſes dux, dux & Chriſtus. Sacerdos Chriſtus,

UVA. BHSC. BU 10932

& Moſes ſacerdotium inſtituit, Moſes legem tulit ſaxeis tabellis inſcriptam. Chriſtus autor eſt legis Euangelicæ, quam cordibus credentium inſcribit per ſpiritum ſanctum.

Licet ne Chriſtum noſcere,)

Aperit collationem. Moſes deſtinatus dux populi, quum videret Hebræum iniuria affici ab Aegyptio, occiſo qui parabat iniuriam, liberauit Hebræum. Quod tum faciebat in vno, mox factum eſt in toto populo, via patefacta per mare rubrum, in quo perit Pharao cum ſuis.

At nos ſubactos iugiter)

Aegyptus Hebræis ſonat tenebras vnde in myſticis literis gerit typum vitæ vitiis & erroribus obnoxiæ. Hæc vera lõgeq; miſerrima ſeruitus eſt, ſeruire vitiis. Ab hac liberauit nos dux noſter Ieſus, non per legis opera, ſed per gratiam, ac per fidei lucem depulit tenebras errorum.

Hic expiatam fluctibus)

Baptiſmum deſignabat mare rubrũ, quod per ſanguinẽ Ieſu Chriſti ſeruat Hebræos, ac tranſmittit in libertatẽ, Pharaonem cũ exercitu totə mergit. Vitia malæq; cupiditates ſunt exercitus Aegyptiorũ. Hebræis per noctẽ prælucebat colũna ignis. Nobis ad pietatem reſipiſcentibus, prælucet Euangelica veritas.

Hic præliante éxercitu,)

Confert hiſtoriam, quæ habetur Exodi 17. Moſes ſtans in vertice collis, tollebat manus in altum, &

UVA. BHSC. BU 10932

interea

interea vincebant Hebræi pugnantes aduersus Amalech. Christus in cruce pro nobis porrexit manus suas, & victus est hostis noster Satanas.

Hic nempe Iesus verior.)

Iesus Naue perduxit Israëlitas in terram promissam, expulsis indigenis. Verùm is nihil aliud erat, quã typus nostri Iesu: qui deuicto Satana, perducit suos in regnũ cœleste. Post longa dispendia.]*Quoniã Israëlitæ per annos quadraginta variis casibus agitati sunt in deserto, quum via sit nõ admodum longa ab Aegypto in Syriam. Suis tribul.*] *Fratres Christi sunt, qui illi per fidem copulantur.*

Qui ter quaternis denique]

Historiam quam legis Iosue *cap. 3. & 4. accommodat ad allegoriam. Quum Israëlitæ pedibus transissent Iordanem, inferiore parte fluminis defluxu suo relinquẽte siccum alueum, & superiore semet in altum agglomerante, Iosue iussit, vt è singulis tribubus singulos viros eligerẽt, qui rursus ingressi Iordanem, è medio alueo tollerent singulos lapides durissimos, quos in eius facti memoriam reponi iussit. Hos viros interpretatur duodecim Apostolos per quos Christus fundauit ecclesiam suam: quemadmodum legis Apolypseos cap. 21. Et murus ciuitatis habẽs fũdamẽta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorũ, & agni. Ter quaternis*]*id est duodecim. Refluentis*]*Ita psalmus: Iordanis cõuersus est retrorsum. Stemmata*]*dixit monumenta.*

BHSC. BU 10932

Iure ergo se Iudæ ducem)

Ex tribu Iuda natus est Iesus, iuxta prophetiam: Ex te enim exibit dux, qui regat populum meũ Israël. Vidisse testantur Magi) Aiunt enim: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? Cùm facta) Vidimus, inquiunt) stellam eius. In signo viderant Iesum, quẽ admodum Iudæi viderãt Iesum in figurarum ænigmatis, & oraculis prophetarum, priusquam nasceretur. Nimirum hoc est quod ait: Cùm facta prisco-rum ducum Christi figuram finxerint) quemadmodum modò declarauit de Mose & Iosue. Finxerint) dixit, pro designarint.

Hic rex priorum iudicum)

Christus in medio seculorum natus est, sic vt vtrunque tempus complectatur, & præteritum, & sequens. Rex erat synagogæ, rex est ecclesiæ. Rex erat patriarcharum, regum, ac Iudicum Israël. Rex est & posterorum idem Iesus Christus. Dominam ecclesiam vocat, quod huic se submittat orbis. Templum nouellum dixit ecclesiam, hoc est, templum spirituale. Et templum pristinum dixit templum Solomonis, quod ecclesiæ gerebat imaginem. Idem Christus vtrisque imperabat, sed aliter. Illis destinatus, his exhibitus: illis adumbratus figuris, his palàm declaratus: illis promissus, his datus. Illi seruabantur, quia credebãt venturũ: Nos seruamur, quia credimus venisse.

Hunc posteri Effraym colunt.

Non solum ea Iudeæ pars, vnde natus est Christus,

UVA. BHSC. BU 10932

stus, adorat Christum, verumetiam omnes tribus, quæ sunt duodecim, sortitæ nomina à duodecim patriarchis filiis Iacob.

Quin & propago degener)

Germani Iudæi sunt, qui genus ducunt ab Abrahã, Isaac, & Iacob, ac duodecim patriarchis. Nam hi coluerunt vnum Deum. Degenerem propaginem vocat eos, qui genus duxerũt ab Agar, Moab, & Ammon, vnde gentium origo, Deos multos colentium. Quæcũque dirum f. B. c. cox.) De Baal idolo, quod colebatur olim ab impiis, multa est mentio in libris sacris. Aram Baal demolitus est Gedeon, vnà cum luco, ac nouum extruxit altare. Quoniam autem variæ gentes erant colentes simulacra, ideo dicit: Quæcunque natio coxit dirum Baal) hoc est, execrabile simulacrum, feruidis caminis. Fumosa auorum) Fumosa dixit, vel ob vetustatem, vel ob fabrorum officinas. Sax metal. stip.) Tres materias refert Deorum, lapidem, æs, lignum. Opificium itẽ triplex: Metallum raditur lima: saxũ secatur: lignum dolatur.

Gaudete quicquid gentium est..)

Inuitat omnes orbis nationes ad laudandum Iesum, qui rex est omnium, per quem vnum omnes ad vitam reuocantur.

Laudate vestrum principem

Omnes beati ac perditi,)

Quibus res sunt prospere, beati dicuntur. Perditi)

UVA. BHSC. BU 10932

qui variis malis affliguntur. Sed sæpe beatores sunt afflicti, quàm beati. Vtrique tamen laudare debent principem suum Iesum. Beati]quod successu rerum ex ipsius benignitate fruãtur. Afflicti] quod per illius misericordiam emendantur ac purgantur, ne pereant in æternum . Viui, imbelli] Siue morimur, inquit Paulus, siue viuimus, domini sumus. Qui viuit ac valet, viuat principi suo, qui in hoc vitam largitur, vt reddatur melior. Qui ægrotat, laudet regem suum, qui nostro bono morbos immittit. Qui moritur, laudet principem suum, quoniam transfertur ad vitam feliciorem. Neque enim iam mors dicẽda est, quæ recta perducit ad vitam æternam, per Iesum aperto regno cœlorum. Non enim moriuntur, sed obdormiscunt, qui moriuntur in Christo, ad Angeli vocem & corporibus experrecturis.

FINIS.

UVA. BHSC. BU 10932

Errata paulò grauiora, & non ita cuiuis obuia, sic corrige.

ὑμνεοὺσας *pa.9.verſ.6.*
inuitarentur pa.9.verſ.29
hoſtem Protrahit pa.35.verſ.21.
ſciſsi pa.39 verſ.6.
liminis pa.180.verſ.22.
forte.præſultum torum pa.181.verſ.19.
pondera pa.197.verſ.23,
ſic colas pa.257.verſ.20.
inde domo. orbis & pa.258.verſ.2.
nequis pa.259.verſ.12.
proterit pa.269.verſ.16.
-quæ ſit pa.305.verſ.19.
Quiſqui pa.308.ver.22.
retinent pa.313.verſ.11.
triſulco pa.320.verſ.8.
habitúque pa.327.verſ.8.
pagana pa.356.verſ.15.
morſque pa.368.verſ.25.
limbo pa.408.verſ.98.
patria, patriæ nam pa.415.verſ.18.
vide Epiphanÿ 460.ver.23.
Referciens pa.478.verſ.14.
Amplificanda.pa.493.verſ.25.

UVA. BHSC. BU 10932

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
VALLADOLID
Dcg.
General

UVA. BHSC. BU 10932

UVA. BHSC. BU 10932

UVA. BHSC. BV 10932

UVA. BHSC. BV 10932

UVA. BHSC. BU 10932

BU
Biblioteca de Santa Cruz
10.932
UVA. BHSC. BU 10932

UVA_BHSC_BU_10932

BAU-UB-FF

UVA. BHSC. BV 10912